
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 D
9

HIERONYMI Cardani Mediolanensis Medici, DE VTILITATE EX ADVERSIS CAPIENDA, libri IIII.

Ex quibus in omni fortuna, rebus secundis & aduersis, diligēs lector mirabilem ad trāquille feliciterq; uiuendū (quantum in hac misera miserorum mortalium cōditione fieri pōtest) utilitatem percipiet: prȩterea magnam multarum, uariarumq; rerum scientiam, usum & prudentiā, Theologus, Iureconsultus, Medicus & Philosophus, sibi cōparabit.

DEFENSIONES EIVSDEM pro filio coram præside prouinciæ & senatu habitæ.

IOANNIS BAPTISTAE CARdani Mediolanensis Medici, *De Abstinentia ab usu ciborum fœtidorum libellus exiguus, quem moriens explere non potuit.*

mov

Cum Cæs. Maiestatis gratia & priuilegio.



BASILEAE.





AD LIGATOREM SEV compactorem.

Librum cum uoles diuidere in hunc modum poteris, Libri III. Finis est L II, & Primi Tomi, Secundi Tomi principium est. Quarti libri est littera a A.

ORDO

1 De Demōstratiōe
2 De Præparatione
3 De Fine bonorum
4 De Vtilitate generaliter capienda ex aduersis.

SECVNDI LIBRI

5 De Deformitate
6 De Morbis
7 De Dolore
8 De Senectute
9 De Morte
10 De Cæcitate
11 De Surditate
12 De Mutis
13 De Obliuione
14 De Impotētibus ad uenerem
15 De Claudis
16 De Vniuersali resolutione
17 De Amore
18 De Generali uitæ institutione.

TERTII LIBRI

10 De Principiū incommodis
20 De Paupertate
21 De Humilitate generis
22 De Contemptu
23 De Ocio in arte
24 De Infamia
25 De Inuidia
26 De Iniuria
27 De Amicorū paucitate
28 De Ingratis & perfidis
29 De Cognoscēdis hominum uitijs
30 De Inimicis
31 De Ira principum
32 De lite
33 De Exilio
34 De Solitudine
35 De Publica calamitate
36 De Temporū ac magistratuum prauitate
37 De Seruitute
38 De Phratriis
39 De Carcere

40 De De Tædio multiplicii
41 De Spe abrupta & calamitatib. fortuitis
42 De Signis eximiæ potẽtiæ & gloriæ
43 De Ordine uitæ ducendæ
44 De Cura morborum animi
45 De Caussis naturalibus

QVARTI LIBRI

46 De Consanguineorum & amicorũ calamitatibus
47 De Seruorũ improbitate
48 De Vxore ducenda
49 De Vxore contumace
50 De Vxore impudica
51 De Filiorum cura
52 De Filiorum miseria
53 De Filiis improbis
54 De Filiis cõtumacibus
55 De Filiis fugitiuis
56 De Filiis stultis
57 De Luctu
58 De Orbitate ubi de spuriis adoptiuis
59 De Filiis suppositis

TABVLA QVESTIONVM.

1 An Aliquod uitiũ. poſsit eſſe utile fol. 44
2 An Liceat mortis obliuiſci 184
3 An Liceat obliuiſci doloris illi9 184
4 An Liceat cognoſcẽti nõ timere 184
5 An in mortæ ſit dolor 196
6 An Mors ſponte ſubeunda 264
7 An Qui ſe ipſos occidũt poſsint eſſe utiles Reipublicæ 213
8 An Liceat amico occidere tyrannum 213
9 An poſt mortem nõ eſſe malũ 224
10 An Mors repentina terribilior 24
11 An Ante mortem prodigia 152
12 An Mors felicium infeliciũ morte miſerior ſit 259
13 An Maior dolor delicias nõ guſtaſſe an amiſiſse 261
14 An Cæcitas ſurditate deterior 268
15 An Amor ſit dolor an uoluptas 292
16 An Malorum memoria ſit iucunda 299
17 An Spes bonorũ futurorũ memoria preteritorũ ſit iucundior 307
18 An et unde bonis calamitates 355
19 An Preſentiũ bonorũ poſſeſsio, an futurorum ſpes iucundior 329
20 An Maior felicitas ſenis an iuuenis 332
21 An Ludus ad felicitatem pertineat 392

22 An Musica utilis sit 443
23 De Artium effectibus 501
24 Vtilitates scribentium 512
25 An Iniuria fœcunda 535
26 An Iniuria dissimulanda 531
27 An Acceptæ iniuriæ à regib. ulciscendæ 542
28 An Deterius inferre iniuriā, an pati 544
29 An Maior iactura patris, an filii 549
30 An Deterior iniuria accepta in patre quā filio 551
31 An Potius pater quam filius redimēdus 551
32 An Bene sperandum 558
33 An Infelicis uita durior felicis morte 556
34 An In futuris opinio rebus præstet 552
35 An Presens sit similius futuro, an preterito 561
36 An Amicus, an frater, an filius præferendus 563
37 An Liceat cum improbis amicitiam contrahere 560
38 An Filius possit beneficio superare parentem 632
39 Filii Cur aliis quam parentib. assimilētur 908

40 An Coniunctio cum descendentibus sit habitura finem 913
41 An Plus debeamus patri, an matri 919
42 An Amor in filios diuidatur 962
43 An Melius iustè quam iniuste perire 227
44 An Orbus felicior eo qui nunquam filios suscepit 1071
45 An Abnepotes ex pluribus filiis coniuncti quam ex uno 203.1099
46 An Abnepos filio charior 1100
47 An Melius sit relinquere filios improbos quam nullos 1102

ORDO LIBRORVM CVM HOC
Argumento congruentiũ & nomina.

1 Autoris De Libris propriis
2 De Consolatione
3 De Vtilitate capienda ex aduersis
4 Theonoston
5 In Thessalicum Medicum
6 Lyssa
7 Ciceronis Tusculanæ questiones
8 De Senectute
9 De Officiis
10 De Amicitia
11 Fragmenta
12 Ouidius de remedio amoris
13 Andreas Mattheus dux Adriæ de utilitate capienda ex aduersa fortuna
14 Plutarchus de differẽtia amici & adula-
15 Περὶ πολυφιλίας (toris
16 De Vtilitate capienda ab inimicis
17 De Sera numinis uindicta
18 Præcepta conuiualia
19 De Garrulitate
20 De Curiositate
21 De Liberis educandis
22 Alcyonius de exilio
23 Ioannes casa de potẽtiorũ & tenuiorum inter se officiis
24 Eiusdem de morũ institutione
25 Seneca de Beneficiis

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, in libros de utilitate ex aduersis capienda ad Octauianū Cusanū Iuriconsultum.

Praefatio.



TAnta fuit maiorib. nostris decoris & honesti cura, octauiane Cusane urbis nostrę insigne ornamentum, ut socrates de uita periclitans LYsiæ rhetoris ea tempestate primarij orationem luculentissimā & omnibus nostris absolutā aspernatus sit: testatus bonā quidem & pręclara orationē, sed minus tamen sibi cōgruentem. Ea ego quoq; ratione, cū multa in nominis familięq; tuæ laudem, tum operis atq; argumenti cōscribere possem, aut facundia atq; eloquentia ornare uirtutem tuā ac facta: aut utilitatem operis miris qui

busdam modis pro more extollere, malui sola proposita nuda ueritate, uelut decebat philosophũ grauem, ea hic proponere quæ ad intellectũ operis ipsius facerent. nam & eius dignitatem & tuã his præconijs indigere nõ existimo. Est enim operæ superuacaneæ & inanis prorsus laboris, ea quæ omnibus nota sunt & per se clara, grãdioribus uerbis uelle illustrare: nam si ueræ sunt, frustra, si falsæ, id adulatoris est improbi. Cũ ergo duo sint homini maximè necessaria, habere quod uelis, & his quę habes uti cõmode scire: hoc secundũ in cuiusq; potestate est, modo industriã, curã, diligentiãq; adhibeat: alterum nõ omnibus nec prorsus, sed plerisq; atq; maiore ex parte concessum est. Horũ igitur duorum causa quatuor hos libros cõscripsimus quã accuratè per id tẽpus licuit: siquidem ante medium cursum contigit mihi graue illud infortuniũ atq; calamitas, quę uel sapientissimũ quenq; de recta ratione deturbare potuisset. Et ut uera fatear, non tantũ profuere hi libri in hu-
iusmodi

iusmodi dolore, quantũ mihi profuit sci-
uisse mortẽ hanc iam multo ante prędi-
ctã, ordinatamq́ꝫ certo iudicio diuinæ sa
pientię quasi prodigio insignis alicuius
calamitatis. necesse enim erat ut è iusti
sanguine aliquis publico indicio, uelut
in aliȷs excidiȷs, causa quadã honestiore
in nostro excidio plecteretur: q̊d quan-
do futurũ sit, nec scit nec scire cupio. sa
tis fuit mihi obstitisse quantũ potuerim,
non solũ priuatum affectũ, sed etiã tan-
tum malũ ab omnium capitibus auerte
rem. Nã quod ad me attinet: quin perie
rim nihil abfuit, nisi diuina manus me
subleuasset, primũ monitu per somniũ,
deinde conscribendo libros illos admi-
rabiles Theonosti, in quibus affuisse mi
hi numen aliquod satis intelligo. nã sub
lato dolore omni luctus, me mihi resti-
tuit. neqꝫ enim solũ scribendo, sed etiam
legendo illos omnis calamitatis memo
ria, omnisq́ꝫ dolor abscedit ac tollitur. Il-
lis ergo libris nõ his opus est eis, quibus
dici id iure potest Euripidis.

ὦς τλῆμων, ὥς σοι δυσφόρ' εἴργασται κακά

Qui

Qui uerò quæ ferri poſſunt patiuntur, & humana quiq; curant ut quã feliciſsimè pro conditione ſua uiuant, his lectionem horum librorum haud inutilem futurã exiſtimo, nec ſolũ in aduerſis, ſed in ſecundis rebus. Secũdis enim rebus ſi quis abutatur, ut quidã amare, ambitioſe, crudeliter, iniuſtè, libidinoſe non iam ſecũdæ dici poſſunt, ſed aduerſę. Quod præclare indicat illud uirgilianum:

Turno tempus erit, magno cũ optauerit emptum.
Intactũ Pallanta, & cũ ſpolia iſta dieq;
Oderit.

Bona enim fortuna ſi quis malè utatur, perinde eſt ac ſi malam experiatur. Quot diuitibus opes nihil aliud quã luxum & morbos peperere? quot uiris uxoris pulchritudo dedecori & exitio fuit? Vidim9 Petrũ citadinũ cui cũ eſſet piſcina in hortis, ſuffocatus eſt in ea unicus illi9 filius, ſeptẽ annos natus. Bernardo itidem Scacabarotio delitiæ hortorum abſtulerunt unicũ filium annorũ

quatu-

quatuordecim. qui uerò artem adamantes perforandi inuenerat, & famā & lucrum adeptus est: uerū cū ex ea in Grȩciam transisset, ausus perforare adamantem Principis Turcarū insignis magnitudinis & pulchritudinis, & immēsi prȩcij, fallente successu seipsum interemit, ueritus grauiorem mortē. Plena est nostra uita huiusmodi exemplis, ut nō minus necessaria sit hȩc ars à nobis tradita, fœlicibus quā etiam miseris. Quod etsi tutò etiam liceret inter tot pericula uiuere: nihilominus saltem propter usus scientiam utilis est. Sed cū disciplinarū quedam magis sciā quam usu cōstent, ut Geometria, Theologia: quædam ex æquo, ut leges & medicina, hæc ex horum generum neutro est, sed ex tertio in quo plus ualet exercitatio quā scientia. Parum enim prodest sapiētia si quis stultè se gerat: ut ergo usum aliquis & exercitationem adipiscatur, quoniā usus ratio trifariam consistit, in adipiscendo ipsum, in promptè exequendo, & in eius perfectione habenda: hæc habētur

natura,

natura, arte, diligentia, exercitatione, consuetudineq́ cum peritis in ea atque expertis. diligentia quidem ad perfectionem facit, ad usum uerò habendum aut promptitudinem parum aut nihil: at natura ad promptitudinē plurimū confert, ad usum uel eius perfectionem parum admodum, uel prorsus nihil: ars uerò ad usus perfectionem plurimum conducit, & est principiū usus: ad promptitudinem autem operādi parum aut omnino nihil. rursus exercitatio ad promptitudinē usus facit, ad perfectionem nihil, ad usum uerò habendū est maximè necessaria. Ipsa etiam cōsuetudo cum peritis ad perfectionem usus plurimū facit, ad usum & prōptitudinem aliquid potest. principio exornandus est animus, corpus firmandum, muniēda omnia bonis sunt fortunæ ad excipiēdos ictus aduersos: inde cognoscere oportet qui finis sit noster, nisi enim finem nostrū noueris, uelut nauta qui quo cursum dirigat nescit, in incerto semper uagaberis, neque cognosces quod

quod uitę genus illi conueniat. scire aūt id non possumus, nisi natura nostra qualis sit intelligamus. Sed quod ad naturam ipsam attinet, duo sunt quæ dubitemus, tertiū uerò peculiare est ipsi fini. Et ad naturem quidem illud primum, an ob obitu animus pœnę & premij particeps sit futurus eorum, quæ in hac egerit uita: Secundum, an animi omnes eandem sint sortem subituri, solum magnitudine & paruitate diuersam. Vt si exempli gratia, omnes beati quidem futuri sint, sed alius alio magis aut minus: an uerò etiam pœnarum & dolorum capaces erunt. Manifestum est aūt in prima dubitatione quatuor questiones includi, nā si animi pœnas & premia subeunt, ambiguū nō est quin supersint & sint immortales, quodq́ꝫ singuli seorsū maneant, nec in unū confundantur: & quod eorum quæ hic aguntur in posterum ratio habeatur. Quod si ita est, palā fit etiā nos omnes neruos intendere debere, ut iustè, sanctè, innocenterq́ꝫ uiuamus, omneq́ꝫ cōsilium, omnēq́ꝫ cogitationem

tionem nostram eò dirigendam, ut post mortē beata illa uita æternaq; fruamur, neq; solum ut bonis illis tam immensis potiamur, sed etiam ut pœnas tam graues euitemus. Verum si pœnas non sumus subituri, sed solum futuri participes premiorum, poterimus tunc utriq; uitæ consulere, & futuræ uirtute ac probitate integritateq; morum, & præsenti curando illius commoda, ualetudinem scilicet, opes, filios, amicitias, famā, cæteraq; id genus bonorum, quæ cum honestate coniuncta sunt. At tertium dubiū non circa rerum naturam uersatur, sed in ipsius finis ratione tantum: atq; id est an ubi incertū sit de his, quæ ad animorum pertinent immortalitatem suppliciaq; ac præmia: imò nihil quasi comperti sit, uelut Epicurei existimant, expedi at sequi maiorem expectationem, licet ualde dubiam ac pene desperatā: an potentib. inhærere, nam quæ Aristoteles, stoiciq; produnt de honesto, uirtute, præclareq; ille de moribus disputationes, ac de iustitia, precipue si spes meri
torum

torum ab obitu auferatur, tam sunt frigidæ, inanes & ridiculæ, ut nihil magis. Quod si præter has dubitationes illud etiã scire liceat, de quo actũ est in libris de Arcanis Aeternitatis, an mundus scilicet & hominũ generatio finẽ aliquando habitura sint, an non, tunc expeditè de bonorũ fine determinare possemus. filiorum enim stirpis felicitas ad bona communia, non propria pertineret, cũ inter mortalia bona numeranda essent: alioquin aut prima futura ac principalis, longeq́ sapientia maior atq; uirtute. Itaq; & Socrates & quicũq; alij de moribus tractarunt absq; naturaliũ rerum determinatione, operam ut dici solet & oleũ perdiderunt. Absurdius tamen Aristoteles & Stoici egerunt, qui, ut dixi, sublata spe premiorũ & pœnarũ ab obitu conati sunt uirtutẽ esse bonã hominibus persuadere. Et essent quidẽ uirtutes hac ratione bonę, sed non omnes. Verũ sola prudentia, cõstantia, cõtinentia, fortitudine atq; trãquillitate animũ muniemus. Cõstãtia quidem ad-

uerſus calamitates quæ iam nos oppri-
munt: idq́ duaqus rationibus. Prima quod
æqua omnium mortaliũ futura ſit cõdi-
tio, imò melior infeliciũ. quoniam moriẽdo ni
hil amittẽt, atq; hæc ratio omni mœrori
ſatisfacit, tametſi apud puoſdam nõ ad-
modũ firma eſſe uideat. Altera prorſus
firma eſt, etſi nõ tã ampla, tanta tamẽ ut
luctũ quemlibet funditus euellere poſ-
ſit, & acerbiſsimos dolores tollere. Deſũ
pta eſt aũt ea è Plotino, oẽs uidelicet in
iurias, omnes luctus iuſtè nobis adueni
re & inferri: licet qui inferunt iniuſtè
nobis illas inferãt. Itaq; ſi iuſtè nos ſubi-
mus, etiam leniter ferendæ ſunt: quod uero
illas iuſte ſubeamus, haud dubiũ eſſe de
bet, cũ ſint præuiſæ: & ſi prævisæ, ordina
tæ, atq; ideo à Deo cõſtitutæ. quæcunq;
aũt à Deo cõſtituta ſunt, iuſta omnino
ſunt. Neq;.n. uel ſapiẽtia uel poteſtas il-
li defuit, aut inuidia uel ira moueri po-
tuit, quin omnia iuſte & etiam pro tem
porũ ratiõe diſtribueret. Neq; ergo du-
bitandũ eſt de tota iſta oratione, niſi for
taſſe ab eius initio quod eſt dictũ, omnia
quæ

quę cōtingunt præuiſa eſſe. At hoc oſtē dūt tot Pythij Apollinis oracula de Græcię calamitatib. de morte Philippi Regis Macedonū, tot oſtēta de Cęſarū obitu. Sed omittamus antiqua, & innitamur prę̨ſentib. ſolū ac uiſis à me in nece filij, q̄ cōſtat quatuor euidētib. prodigijs ita præuiſam, ut genus & dies latere nō poſſet. neq; uerò exiſtimandū eſt filium meū aut me tanti fuiſſe, ut noſtra cauſa noua lex ſcientiæ futuri ſit cōſtituta; quin potiꝰ omnia æquè certa eſſe apud Deū, nō tamen prodigijs oſtendūtur. nā ut luporū cędes iuſtę ſunt ob ſcelera, ſic agnorū ob ſacrificiū. Sic ille obtulit filiū ſuum, ſed præſciens mortuus eſt: & quā parum abfuit, ne unicū filiū ab Abrahā, ut immolaretur repoſceret. Quid ergo opꝰ eſt ut metuas, ne caſu in calamitatē incideris? iniuriam acceperis? iniuſtè damnatus ſis? Quod ſi ita eſt, hac una ratione confirmaberis; modo æqui patiens & amans fueris, ut animi intentionem haud remittas, aut in poſterum doleas atque euertaris. Simili ra-

tione feres fortiter incumbentia mala, non quia non terreant (ut ſtulti quidã perſuadere conãtur) ſed tanquum neceſſaria. Et ne ille aſsiduo metu euertaris, & uniuerſæ uitæ acta perturbes triſti cogitatiõe, nec ullã dulcedinem percipias: continebis etiã te ab ira, cupiditate atq; libidine, quib9 malis ſi ſuccubueris, non euades è maximis infortunijs, uixq; etiam à periculis ingentibus, etiã ſi Rex fueris. Pręſtat ergo nihil amare immodicè, quandoquidem huiuſmodi amores aut magnos luctus, aut magna damna afferre ſolent. Ad trãquillitatem aũt plurimũ facit conſyderatio hæc, q̃d quantũcũq; poſsideas, id totũ minimũ eſt totius terræ cõparatione: ipſa uerò terra totius orbis cõparatione, ne pũcti quidem inſtar eſt. Quid ergo tã amplũ eſt, ut partem aliquã poſsidere dici poſſis? Eius uerò quod habes nihil fermè tuũ eſt, ſed procuratorum, diſpẽſatorũ, famulorum, fictorum, amicorũ, furum, ſi deſint litigatores. Quin etiam qualis uſus? quanto plures in culina, tantò plu

tes qui tusſiũt, ſcreant, tractant cibaria
ijſdẽ ſordidis manib. quibus feces deter
gũt, et ſtercoraria uaſa deferũt. Ipſa uerò
uita q̃ breuis eſt, cuius initiũ fini cohę-
ret? Et in cuius principio nihil certi ha
beas, in fine nihil ſuperſit? Deniq; ad te
ipſo miſeriores cõuerte & lætus uiues.
Inſpice triremiũ calamitates, carceris du
ritiem, Xenodochiorũ fœtidatem, ſta-
bulorũ inopiam, in quibus ſtipula & fi-
mus pro ueſtibus hominũ ſunt. Cæterũ
nudi iacent media hyeme, ſqualore illu
bieq; obliti, fame, frigore, morbiſq; ua-
rijs conflictati, ut eorum multi ne manũ
quidẽ ad colligendam ſtipem extende-
re ualeant. Intuere illum qui iacet ad ur
bis noſtrę portã Ludouicã perpetuò in
lecto, cuius pedes perciſi à reliquo cor
pore ante illũ poſiti ſunt. Narrat Chry-
ſoſtomus, uidiſſe ſe Demophilũ quen-
dã claris parentib. ortũ iam quindecim
annis perpetuò trementẽ, in ſũma paup
tate cũ unico ſeruo trahere uitã. Alium
nomine Ariſtophneũ Bythiniũ cõuul-
ſionib9 totũ diſtortũ, iam p ſexenniũ in

maxima omniũ rerũ inopia cũ ancilla ui xisse, cũ nullus ob fœtoris magnitudinem illi appropinquare auderet. cõuerte te deinde ad dãnatos, ad metalla, ad lapidicinas captiuosq́ Turcarũ, ubi uxor filijq́ singuli diuersis dominis uendunt distrahendi & asportandi in lõginquissimas regiones, quorũ nec nomina audire licebit. Filia & uxor prostituunt, filij in cathenis impuberes ad fœda ministeria, puberes ad fodiendã terrã adigunt, & tamen hi oẽs uiuere uolunt, tu uerò deploras tuam calamitatem. Quid de priuatis omnibus dicam, nulla domus miseria caret: si diues, insidiæ, liuor, discordia: si pauper, omnia desũt. Inde morbi & metus omnia exagitant, hęc cũ tu cõsyderabis, in summa tranquillitate uiues. Restat ut de prudentia agamus, in qua facto magis quam uerbis opus est. Peccatur autem circa illam multis modis, primum ignorantia præceptorum quæ hic traduntur: usu quoq;, atq; ob id consuetudines loci callere oportet. Quod uero plurimũ obest huic uirtuti est

eſt improuiſum conſilium, ſeu arte inimicorũ, uel tecũ tractantium: ſeu q̃d rei natura & preceps occaſio nihil temporis det, ſeu ſtultitia tua aduerſus primũ & ultimũ errorem te exercebis diligenter, ſi non unquã quicq̃ proferas aut deliberes, niſi perfectè intellecta re, item re etiam intellecta, niſi conſilio peritorũ in ea re adhibito. nihil etiam arduum aggrediaris niſi prius parentib. aut fratrib. aut coniunctiſsimis adhibitis in conſultationem: reſpõſũ quoq; in diẽ ſequentem differas, etiam in leuibus negotijs que inchoaturus es. Perſępè enim ex leuibus initijs magnæ in tota uita mutationes eueniunt. cõſydera etiã cũ quib9 negotiũ tractas, amici ne ſint an inimici aut ęmuli tui, item prudentes an ſtulti, improbine an ſimplices, quæ cauſa eos impellat ut te ſolicitent. Semper uerò ab his qui te urgent cauebis, & rem ipſam quo magis impellũt differes. Doli enim pellis eſt celeritas, & qui urget dolũ armat, qui retardat & remittit cõpedes illi inijcit. In repentinis aũt caſib9

quantũ potes te retrahe&, id saltem cognosce an doli quicquam subsit. id etiam caue, ne in irreparabilia mala te conijcias, deinde quos potes in cõcilium adhibe, & Deũ roga ac consule. Optimũ est autem ut prius periculo occurras, quã ui ipsi rei, totiq; negotio inconsultus ad rem accedas. Casus quoq; prudentię cõsilia perturbat, audis falsa narrantem & assentiri melius est quã contendere, sed si potes, non andire melius est. Abstinebis etiã scõmatibus, memor eius quod accidit Antiphonti à Dyonisio & pertinacis filio à Caracalla, cũ eum Geticũ quod fratrem Getã occidisset p iocũ appellasset. statim enim occisi sunt ab illis, quos scõmate offenderat. In uniuersum autem memineris maximã stultitiæ partem, imò totã ferme in nimia de seipso existimatione cõsistere. nam qui minus q̃ decet de se pollicent̃ hos timidos solemus nominare, qui & si nõ ita occasionibus utãtur ut decet, securius tãto tamẽ uiuũt. At de se plus pollicentiũ tria sunt genera, q̃ omnia ad insaniã pertinẽt. Primum

mũ tamen q̃d solũ plus scire sibi persuadet, ob frequẽtiã in stultorum numero censeri non solet. nam omnes hoc morbo fermè laboramus: at maiora aut plura sperare quam habiturus sis, stulti plane est, & inter stultos hi numerari solẽt. Verum plus posse quam possis credere aut habere quam habeas, hoc non iam stulti solum, sed insani atque perditæ amentiæ est. Itaq; ab hoc maximè, tum etiam à secundo genere cauendum est quòd si etiam à primo te eximere potueris, magnam certè calamitatũ occasionẽ abrumpes atq; effugies. Cæterũ uirtutes hæ animi sublata immortalitate etiã nobis utiles sunt, sed nõ tamẽ eis plene utendum: neq; enim temperabimus ab aliena uxore, à uirgine, nec pro patria pugnabimus, sed solum his ad cõmodum nostrum utemur: alijs autem nullo modo, uelut Iustitia, Fide, Liberalitate, Veritate, nisi quatenus ad nomen & gloriam captãdã fallendũq; hominẽ utiles erũt. Ergo ut ad rẽ redeã, cũ in libris Theonosti finẽ hũc nostrũ animiq;

fœlicitatem ac pœnas ita ostenderim, ut multi forsã dubitare uelint nulli possint quamtumuis athei sint. ob id omnia ea auxilia præsentibus in libris prętermisi, quę nullo modo prauam tractationem atq; usum conuerti possent, ne minimo lucro maximam iacturam facerem, aut facere alios docerẽ. Circa usũ aũt diligẽter obseruare oportet res, opportunitates locorũ, temporũ, personarũ, ac reliquarũ conditionũ. Ambitiosum honorabis, auaro lucri spem propone, iuuenibus illecebras, luxus & uoluptatum ostende, iniuria affectis uiam ulciscendi ita non secus ac aues piscesq; tum feras escis proprijs allicies atq; captabis. Animo diligenter præparato ad corporis curam te conuerte, recta uictus ratione atque laboribus temperatis. Inde fortunę auxilia quæres, uxorem, filios, amicos, opes: plurimum autem ad has confert uersari cum probis, prudentibus, benefortunatis, ijsque quibus cum tu fortunatè aliquid experiris: & contra eos deuitare, quibus cũ infœlices euentus sortiris

tiris. Neminem plus iusto amabis, nec prorsus amabis qui te non amet, præter parentes, filios, fratres, fratrumq́ filios, si contingat ut ab illis non ameris, nec hos quidem, ubi alij sint ex his qui te amēt. nihil enim infelicius eis qui te nō amant, aut immodicè amare. Aequalis .n. molestia est seu possideas, seu amittas. Præterea cū fœlicitas nostra in trib9 cōsistat, re, expectatiōe et opiniōe: q his duabus ultimis prudenter utitur, prima haud ualdè æget. Nam constare felicitatem magis opinione quam re indicio est, quod si quis nondum susceperit filios, aut unum habeat tantum, non dolet nec tristatur: idem cum quatuor susceperit, perieritq́ unus, dolet ac lamentatur: Rursus siquis non cogitet in maximò etiā luctu cōstitutus, nihil mali sentit, perinde afficitur ac si nihil incommodi passus esset, neque doleret unquā si nunquam cogitaret. nam dolorū corporis qui nos cogitare de se cogunt alia ratio est: opinione igitur nō re, aut saltē magis cōsistunt humanę felicitates atq́ miseriæ

miseriæ. Expectatio aūt quasi media est inter opinionē & rē: re ipsa tenuior, opinione solidior. Verū nisi animum ipsum præparaueris, nullo horū trium modorum beatus esse poteris, imò contra miser eris. nam beatus esse nullo modo potes, imò miser es, cū optatis nō frueris: at si animū & cupiditates non cohibueris, fieri nō potest ut illis potiaris. humana enim mens cum cupiditatibus in infinitum efferatur, nunquam poterit satiari, cum natura humana infiniti nō sit capax, imò ne magnæ quidem cuiusdā partis eius quod optat: necesse est ergo ut siquis non cohibeat cupiditatem & desyderia, quamuis potēs fuerit et Rex maximus quidam, ut miserrimus sit prorsus. Quod si modū his posueris facilè feres aduersa propria, & si propria etiam facilius aliena: filiorū, fratrū, uxoris, amicorum, assuetus enim patienter feres tua incōmoda, leuius feres aliena. Facilius etiam curabis illa, modo hi obtēperare uelint. ut enim medicus facilius alienos morbos q̄ proprios curat: ita et sapiens

piens ac prudens aduersa filiorũ & uxo
ris q̃ propria: & licet dicat Chrysostom9
supremũ malorũ sustinet qui in metũ in
cidit, ne sine filijs decedat: hoc tamen su
premũ malũ, ꝙ cogitatione auget mul-
tis modis dissolui potest. Si animus ad
loca beata migrat, si generatio humana
aliquando finit̃, si filij fratrũ aut ex ma-
tribus, sororibus patrueles supersint: nã
si sint, perinde est ac si filij superfuissent.
Demũ illud cogita simile esse hoc, ac si
doleres q̃d orbis terrarũ monarcha na-
tus nõ sis, nam plures monarchæ sunt q̃
ij quorum stirps futura sit sempiterna: q̃
modocunq; aũt & quandocunq; finem
habitura sit, perinde est prorsus ac si si-
ne filijs obijssent. His rationibus, si ratio
nis cõpos es, tibi planè satisfacies, etiãsi
ad opinionem nõ rem respexeris. Illud
etiã animaduertens, quot homines sua
spõte sine filijs obire uoluerũt, seu sacris
initiati, seu etiã profani. Hoc sũmo (ut ui
detur) malorũ è medio sublato (ita enim
nostrũ semper est institutũ) alia omnia
& minora aut mediocria, aut minima fa

esse feres. sunt uerò & è calamitatum genere quædã quę sui natura bona pariunt, ut labores, paupertas, inimicitiæ. Vt enim ex lilij herba grauiter olente nascuntur flores admodũ iucundi odoris & formæ gratæ: ita ex malis quibusdam peculiariter bona oriuntur. In hoc genere sunt morbi qui assiduè reuertũtur. hi enim temperantiã pariunt & continentiam, & mortis timor hominẽ cautum facit, probum ac ad omnem occasionem paratũ. Similis rationis sunt lectiones & fabulæ, ac intemperies Poëtarum, in quibus & si non ex malis bona seliguntur, ex turpibus saltẽ pulchra excerpere licet. Sic etiam turpium imitatio delectat, ut in ectypis muscarum & scarabeorũ imaginibus, & in histrionib. cũ ebrios stultosq; fingũt. Luctus quoq; delectant his in rebus q̃ ex se horrorem pariũt. Pictura quoq; horrẽdi excidij delectat etiã illos q in eo periculo fuerũt. Velut apud uirgiliũ, cũ Aeneas Troię ruinã in pariete miraretur.

Sic ait: atq; animũ pictura pascit inani

Sed

Sed quia cū ea ceciderant tot amici, atq; coniuncti, subijcit Poëta: (uultū.
Multa gemens, largoq; irrigat flumine
Alij uero non ita, sed uelut in tragœdijs alienarū calamitatū cōmemoratione uoluptatem capiunt. Vtinā ergo huiusmodi calamitates eueniant quarum meminisse non pigeat, & ut alienis potius quā nostris exemplis fiamus sapientis. Certe propter ea quæ ad usum necessaria esse atq; utilia docuimus exempla nō leuem uim habent, ut potē q̄ uiuę cuiusdā instructionis rationem exprimūt. neq; solū exempla calamitatū, sed etiam errorū ac uitiorum longe magis persæpe nos mouent quā uirtutis: uehemētiusq; cōmouemur aspectu ebriorū atq; insanientiū, & eorū q ex pfusione mendicāt, quā temperātium, continentium atq; parcorū. Minima ergo mutatio in animo uelut in hipomocho causa magnę diuersitatis succedentiū, affectionū & casuū, si eñ animus sit prudens ac fortis, tū cōtinens, temperatus, atq; tranqllus, paucæ diuitiæ, honores modici, non multi
filij

filij & amici sufficient ad felicitatem: si æstuet intus, nihil satis est. Nō ames, q̃d facilè te deserere posset. honestus ergo ac tutꝰ est Dei amor, inde uirtutis, post diuitiarū, & uxoris. filios ama, sed non adeò perditè, forsan te deserent. Præter hæc ama tanquā osurus, ut sapiens ille dicebat. aliqui ex eorum discessu aut uoluntatis mutatiōe, siue amici sint, siue amatores uel domestici, non leuem senties dolorem. Porrò si in calamitates iam decideris, quadrifariam contingit plenè illis posse satisfieri. Primum si in eodem genere aliquid boni maius oriatur ex ea calamitate, quod secus ortum non fuisset, uelut cuidam affini nostro seni contigit, cuius uxor cum mortua esset, & ipsa cuius iuuenculam duxit, ex qua tres filios masculos suscepit: Alius & ipse affinis noster, cum filium unicum extulisset, atque ex eo amissa hereditas aliā duxit uxorem, ex qua septem filios habuit, & nunc fœlix uiuit. Sic Cæsari ex damnatione senatus accessit imperium, multi ex

oppugna

oppugnationibus & accusationibus in claruere ignoti alioqui. Deinde si ex malo maius bonum alterius generis exoritur, quod euenit Themistocli qui exilio factus est dominus quatuor urbiũ, cum domi haud prædiues esset. Sic Romulus expositus & Cyrus magnę gloriæ ansam arripuerunt, et paulo ante nostra tempora Castrutius Castracanus. Sic Hiero. ex morbo & eruditus & melior euasit. Ad hæc si plenè uindictam de his qui calamitatem intulerunt, sumere licuerit. Postremò si in posterum exitium parari sibi intelligunt, qui iniuriam intulere, nec tamen interim quieti uiuunt, quemadmodum & Christiani Iudæos ulti sunt. cauendum est autẽ ne nominatim in hoc genere quenquã lacessas: periculosum enim est tibi & illis gloriosum. apparet enim & caligulam & Neronem & Erostratum, multosque alios facinorosos homines quęsisse famam ex flagitijs. nolũt multi nominari, non ob dedecus, sed ob metum, ubi metus desit, eam infamiam nominis

 æternita-

æternitati utilem esse putant. Quapropter familiam in odium posterorum in iniusto facinore, si ultio te delectat, cōmemorasse sufficiat. Cæterum maximæ calamitates sunt quæ syncere sunt, ineuitabiles & ex quibus redire non licet: atq; ideo mors sine dedecore & cruciatu, his tamen qui dedecus morte maius non esse existimant. Mors etenim cum cruciatu & dedecore, dum animum distrahit atque confundit, licet astantibus sæuior uideatur, magis tamen sæua est quæ syncera & breuis est. De corporis autem dolore aliud statuendum est: is ergo ostendit & in malis & in bonis nihil maius esse cogitatione. Quod si rationibus prędictis magnum animi dolorem, si tristitia sit ex pręsentibus atq; pręteritis, seu timorem ob futura & incumbentia leuare non licet, magni & noui dolores ac casus solent curari: aut potu uini in quo radix mādragoræ diluta sit, ut docebat hypocrates, uel si breuis sit affectus croci orientalis. Vitiorū aūt animi maximorū qualia sunt alea, amor im

modicus,

modicus, ptinacia, stultitia, impotentia, incōstantia in aliis medela est, si rationi nō paret, nec auxiliis uincunt̃ naturalib. timor & tristitia maxima ac diuturna, ac desuetudo. In bonis aũt adipiscēdis maxime curabis ut sensim ascēdas, ac quasi per gradus: unde si primũ gradũ amiseris, uelut in scalis, postmodũ pedem nō adeò extendere licebit, ut possis ascendere, sed herebis in imo. Ergo primum hũc gradũ quã celerrimè poteris arripies. Quæ uerò plurimũ ualent ad persuadendum sunt, honestũ, utile, exemplũ, præces uel minę, religio, & persona grata: cōsiderãdũ est etiã ut res tãti ęstimes dũ habeas, quanti si iã amisisses. etenim si homines sensum amissionis haberent dum possident, nemo nisi ui & coactus in miseriam incideret; sed quoniam dũ habemus non sentimus, qualis futurus esset dolor si amitteremus, turpiter in eum errorem incidimus: palam enim est calamitates omnes atque miserias in amissione atque priuatione consistere. nã dolor est amissio indolētiæ & morbus

 ualetu

ualetudinis, & luctus Christianorum. ergo si filiũ uel fratrem, uel fundũ, uel domum, uel pecuniam habeamus, ubi amiserimus dolemus uehemẽter. In curia ergo habentiũ causa est, & ludi & aliorum errorũ, ex quibus in ingentes calamitates incidimus: quis enim est qui si dolorem amissionis pecuniarũ ex alea antequã amitteret sentiret, in animũ inducere posset, ut ei se periculo nisi prorsus amens exponeret? Cauere igitur oportet ut diligenter dũ habemns perspiciamus, & in filijs quidem ac domesticis castigantes, abstinentes, subuenientes, ne cogamus illos abscedere, aut ne improbos reddamus: contra cũ ulcisci improbum quempiã familiarem in animo est, nihil melius optima tractatione nam postq̃ deseruerit nos, sentiens quãtum amiserit grauiter plectetur, dirum hoc pœne genus, atq; ut alias dixi à ciue nostro Lypithocho excogitatum. In his uerò quos deserere cogimur, si ante nos fuerunt, naturæ necessitatem proponere expedit, ut in parentibus, fratribus,

bus, maioribus. nam nisi illi prius te relinquunt, omnino necesse est ut illos relinquas tu pari dolore, & peruerso naturæ ordine. In ijs aũt qui post nos uenerunt, ut fratrib. minoribus, filijs, equis, si amiseris, cogita tempus in quo nondum habebas. pari enim sorte nunc uteris, neq; uero tum dolebas nec tristabaris, interiectũ aũt tempus quo usum illorum possedisti, quid est quod non id inter delitias & fausta colloces, eorũq; memoria quæ tunc acta sunt recreeris? In omnibus præterea causis quæ hic nõ adeò explicatæ uidentur, imitatiõe per supplemento uteris, uelut in custodienda & cohercenda impotẽti familia. exemplũ duces à phratrijs, ubi tot capita & tam diuersis moribus & conditione adeò quietè continentur, fame, uerberibus, carcere, duritie, ut cogantur ea maximè quæ nolint: deserere amicos, amplecti inimicos, ut omnia in obsequio posita sint & uoluntarijs coactis actionibus. Eademq; ratio in sacris uirginibus, atq; has perpetuò in domo cõtinemus,

illos nō nisi impetrato discessu & comite adiecto, ne libere quicquā agere liceat. Eadem ratione impotentes domesticos & petulantes domabimus. His ergo armatus præsidijs quicunque ad hunc librum legēdum se contulerit, intelliget quantum utilitatis, decoris ac uoluptatis sibi comparare ex eius lectione liceat. nā quæ tanti magni philosophi, eorū pace dixerim, in hoc genere scripserūt uix catulæ mortuę luctum leuare posse uidētur, ut in aduersis nō modo suppetias non ferant, sed alia docentes, alia sentientes, ac agentes miseros suos clientulos aliorum iniuriæ exponant ac detegant: quamobrem parcè illorum lectione utendū est, quæ nec pietati satisfacit, aduersisque pręceptis atque ambiguis sententijs cū ea luctatur, nec utilitati hominum atque uulgari opinioni, sed ipsos impotentes & pauperes ac cōtemptos efficit, nec ualidis rationibus leuat miseriarum dolorem. Nos uero tum hic humanitus, tum in Theonosto diuinitus docuimns eas rationes quę omnino ge-

nus omne calamitatis abundè leuare possunt, sed tamen ita ut quædam adeò acerbę sint, ut plane ęnarratione eorum quæ in Theonosto continentur indigeant: ibi enim explicata non solũ atq; dilucida est enarratio immortalitatis animorum, sed & coniunctionis illorũ cũ dijs glorięq; immensæ, tũ splendoris ac uoluptatis ineffabilis qua ab obitu fruuntur. In cuius quidem libri confectione sperabamus aliquo adiumento futurũ eum Marci Antonini librũ, qui de illius uita nuper in publicũ exijt. uerũ seu illius non sit, quod magis arbitror: seu melior fuerit princeps quam philosophus, seu fœlicior quã sapiens, nihil deprehendi q̃d ad meũ usum possem traducere. Multa enim cũ essent nõ aspernanda, tã inordinate tamen & cõcise & prorsus sine ulla demõstratione scripta erãt, ut alio Antonino expositore indigeant. Cæterum tibi ò flos patritiæ gentis urbis nostræ Octauiane Cusane, qui solus in tanta calamitatè me non aspernatus es, sed cum despectum me
 prorsus

prorſus ab omnibus exiſtimarem, in ipſo acerbo luctu munere etiã egregio ſignificaſti, quantum ſi licuiſſet uoluiſſes, uirtutemq; apud bonos atq; probos uiros, uirtutiſq; opinionem immobilem eſſe. tibi, inquã, hoc totum debetur, debentq; mortales, cuius ſingulari prudentia & probitate factum eſt ut abſolui potuerit. Quare munus hoc noſtrũ qualecunq; accipe uir ſplendidiſsime, meq; tua in me beneficia teſtari honorificentius non poſſe puta, quam cũ me mihi per te unum reſtitutũ fuiſſe profiteor. Vale Ticini XV. Kal. decembris, M. D. L X.

INDEX EORVM OMNIVM, QVAE IN TOTO HOC CARDAni opere maximè obseruatione digna uisa sunt.


BARrthonius ex hortulano rex fit 425
Abortum facientia 975 & 976
Abraham unicum filium habuit 988
accepta uix possunt reddi 621
achillē quid nobilitauerit 714
achillinus philosophus peripateticus 259
actio ulciscendi naturæ aduersat 727
actionē sua tēpora habere 763
adolescens quo ordine institui debeat 871
adolescentem fallere facile est, uincere difficile 1022
adolescentum uitia innumerabilia 1026
adolescentium quatuor institutores 996
adrianus imp. laudatur 210
adrianus irrisus est 492
adriani Imp. dictum ad inimicum 724
adulator duplex 655
adulator non uni addictus 655
adulator & dissimulator passim in aulis reperitur 654
adulatoris proprium 655
adulatoris descriptio 654
adulter quomodo cognoscatur 694
adulter quō definiatur 959
adulterium abominatur 121
adulterium omnibus nationibus olim inuisum 959
adulteria execrabilia esse 966
Aegypti rex ex seruis eligitur fol. 824
Aegyptiorum in funebris mos fol. 386
æmulatio discenda 526
æmulationis exemplum 527
æmulatio inuidia & indignatio stimuli ad uirtutes 528
æmulatio triplex 526

aetas est gratus 586
affectus tristes ex opinatis 106
affinitatis electio 942
agathocles archagatum filium liberauit 946
aglaia quid 630
acharistia cur non legibus interdicta 619
alchimia quomodo depauperat hominem 402
altiatus 730
alcibiades 467
alea inter principes qui luserint 374
alexander magnus uno oculo cœcus fuit 261
alexāder Mammeæ Coturnicū pugna delectabatur 374
alexander ab initio Galba nūc euasit 483
alexander nō fuit ingratus 612
alexander Clitum nutrici suæ filium occidit 753
alexandrum quid nobilitauerit 714
alexandrum magnum accepto in crure uulnere resipuisse 153
aloysius Donatus noctu occiditur 764
aloysius Gonzaga uini potū extinguitur 254
ambitio quid sit 497
ambitiosus quis sit 731
ambitiosus ex leuibus causis ad iram concitatur 731
ambitiosi ingenium 681. 682
ambitiosi crudeles 683
ambrosii templum fulgure ictum 869
amicus qua lege accusandus sit 57
amicus qualis quærendus 482
amicus quomodo cognoscendus 483
amicus uerus quomodo cognoscendus 558
amicus res rarior est fratre & utilior 563
amicus filiis & fratribus præferendus 565
amicus ad amici animum quibus se accommodare possit ac debeat 568
amici definitio ex Seneca 558
amici optimi officium 736
amico in amicitia utilitatis causa contracta quid faciendum 573

amico quibus in causis prodesse possimus 608
amicum cur amemus 562
amici qui boni & qui improbi 520
amici qui eligendi 560
amici qui sint 562
amici qui fugiendi 570
amici optimi qui 573
amici inconstantes qui 574
amici beneficia non reddentes pessimi 577
amicorum multitudo quid efficiat 568
amicorũ officia quomodo præstanda 569
amicorum officia 569
amici non minimum laudandi 560
amicos quales debeamus desyderare 558
amicis quid in beneficiis dandis & recipiendis considerandum restat 576
amicis quid faciendum ut firma fiat amicitia 566
amicis quomodo agendũ 631
amicitia tria scitu dignissima requirit 48
amicitia uera qui cõiuncti fuerint 49
amicitia quatuor principaliter causis conflatur 50
amicitia quibus constet 559
amicitia unde inchoanda 559
amicitia quæ uitanda 560
amicitiæ contraria 560
amicitiæ quibus rebus parentur 560
amicitia cur sit fœda & parum decora 560
amicitia quõ magna sit 561
amicitia cur stabilis 561
amicitia cur utilis 561
amicitia uera quæ sit & quid sit 562
amicitia præsentis, præteriti & futuri temporis 562
amicitia qui digni sint 570
amicitiæ ueræ exẽpla 563.564
amicitiæ quid aduersetur 566
amicitiam contrahere cum improbis non læsa æstimatione licere 568
amor quid sit 290
amor quid effecerit 291
amor tria in se continet 292
amor insaniæ pars 292

anacharsis Scytha 795
anastasii uoces septem 800
andreas Maldura Iuris. 763
andreas Mattheus Auiæ princeps tredecim annis in carcere fuit 837
animus noster qualis sit 842
animus deliberatus quomodo intelligendus 1145
animi firmitatis optimum argumentum 497
animi mala corporis detrimenta sequuntur 88
animum à mœrore quid auertere soleat 138
animæ immortalitas quib. perspecta fuerit 232
animã superesse ex quibus coniectari possimus 727
annibal 467
annorũ distinctio quid ue quolibet anno faciendum 223
antonius sibi ipsi manus intulit 208
appelles Alexandrum regem irrisit 369
appetitus uehemens ex paupertate nascitur 404
argumentum uitandorum incommodorum 134
aristoteles mortuus exul 225
aristoteles 798
aristoteles Calistheni nepoti quale præceptũ dederit 752
aristoteles aram extruxit 625
aristotelis infortunium 514
aristotelis forma 152
aristoteles Plato antea uocatus fuit 151
aristippus filium quam ex concubina habuit neglexit 990
aristides optimus fuit uir 787
arrius Antoninus Neruæ miserabatur 360
arriani dictum de corporibus suis atq; imperatoribus 42
artes quæ breui & absq; sumptu 405
artes quæ captiuo solatia adferunt 842
aspasiæ Hermotimi Phocensis filiæ uirtus 882
athenarum urbs cur in ærumnis fuerit 1120
athenienses quid nobilitauerit 714
athenienses ueneno sontes occidebant 1109

atrei

atrei crudelitas 537
atrox in infidos qualis 484
atticus seipsum cibi abstinentia occidit 197
attici in Ciceronē beneficia 711
auaris inuidia perutilis 658
aufidius Iurisconsult. cæcus historiam scripsit græcam 265
augustus bis à Pompeio uictus annali prælio, ludere pergebat 737
augustus puerorum societate delectabatur 374
aulæ impedimenta maxima duo 485
aulicorum mos in dando 604
aulicis quomodo uiuendū ut omnibus accepti & grati uiuant 485 & 486
authoris scopus 8.

B

BArathrum quid 841
Bassiani Imperatoris crudele factum 754
beatitas est umbra somni 66
beatitatis cumulus quibus absoluatur 46
beati in magnis calamitatibus fol. 315
beati qui 39
beneuoli 53
benefacere cū Diis nobis commune 148
benefacere cuius sit proprium, fol. 602
benefacientem recipiendi causa quæ cauere oporteat 607
benefaciendi ratio 609
beneficiū cōpensat Deus 598
beneficiū cui impartiendū 602
beneficiū optimū quod sit 602
beneficium in 3. generibus repositum 603
beneficiū liberius petere quàm repetere licet 617
beneficiū dare conuenit 614
beneficium pollicitus si es præsta 631
beneficii collatio lege metiri non potest 620
beneficii loco flagitium dare quàm malum 632
beneficii compensatio est uirtus 635
beneficia quibus impartiri deceat 584
beneficia in quos conferenda fol. 484

bene-

beneficia in quos cōferēda 591
beneficia quæ cum decore dan tur quæ sint 605
beneficia sunt 4. generum 708
beneficiorum & compensatio-num multitudo 622
beneficiorum immemores qui sint 626
beneficiorum ratio 589
bonitas quid 312
bestiis subiici non minus sup-plicium quàm exuri 1114
bonus qualis sit 311
boni iuramentū quale esse de-beat 575
bonum simpliciter quid 59
bonum summum 59
bonū summū trib. cōtineri 70
boni summi defluctio 68
bona paulatim congesta magis delectant, quam quæ confer-tim adueniunt 19
bona principaliter tria 121
bona prima 144
bona tria hoī proposita 836
bonorum diuturnitas incerta fol. 229
bonorum ac iucundorū qua-tuor genera 907
bonis exui melius est quàm fi-de 47

C

cæcitas, calamitas morti proxi-ma 161
cæcus qui d icatur 162
cæsaris uictima corde caruit 251
cæsaris humanitas 490
C. caligula importūus fuit 678
C. cæsaris mores & natura 526
caio rabirio quid profuerit 1133
calamitas cui assimuletur 9
calamitas ab umbra somnii 66
calamitatis diuturnitas molles animos enecat 15
calamit. expers qualis sit 124
calamitates si nullæ, nullæ quo que uoluptates essent 81
caligula improbitatis exemplū præbuit 698
calumniam ab accusatione co-gnoscere non esse arduū 735
cambyses Prexaspis filium sagit ta transmisit 748
cambyses uino deditus 748
captiuo quæ facienda sint 769
carcer breuis temporis multa uitia corrigit 837
carcer cuius rei author sit 842

carceris tria genera 834
carceris septem genera 841
carceris incommoda 842
cardanus febre tertiana decubuit 156
cardanus mortem timet 183
cardanus nomen suũ unde habeat 439
cardanus uxorem ducit 465
cardan. surdus esse uellet 270
card. ueneris impotẽs fuit 280
cardanus de seipso 377
cardanus pro educatione filii quantum impenderit 451
card. socerũ laudat 459. 460
card. paupert. suã deplorat 493
card. quãdo scripsſ. suos lib. 513
cardanus premitur infamia 521
cardanus conqueritur de morte filii 572
card. scribit quo animo princeps in amicitia erga eũ fuerit 575
cardanus de suis libris 593
cardanus septem in filio consideranda dicit 1107
cardani diligentia 158
cardani in medicina doct. 174
cardani memoriam quid iuuerit 378
cardani studium 438
cardani socer ex quæstu uiuebat 487
cardani natiuitas 427
cardani mos & fortuna 513
cardani casus in amicitia potentiorum 572
cardani incommoda 785
cardani filii captiuitas 1052
cardani carmina in laudem filii 1054
card. clementia erga filiũ 1051
cardani animus syncerus 1127
card. respõs. ad criminat. 1144
car. fil. iustè dãnari nõ pot. 1151
carolus V. Imp. Max. uenena nõ esse formidanda dixit 718
carolus Magnus propter pietatem laudatur 108
carthaginenses ingrati 649
cato octogenarius græcas literas didicit 198
cato Censorinus 198. 199. 200. 201.
cato Vticensis mori noluit 236
cato Censorinus octogenarius filium habuit 989
cato Vticensis accensis carbonib. seipsum suffocauit 236

catul-

catollus uix trigesimum excessit annum 306
cerdo Medicus fit 166
cerebri substantiam restaurantia 1042
certatio honesta 130
censorum potestas 517
Christum latuisse 134
chymistarum & necromanticorum persuasiones 109
cibaria foetida non esse edenda fol. 1153
cibi qui utendi sint 218
cicero primus apud Rom. philosophiam docuit 406
cicero quomodo nomine & praenomine omnes ciues salutare didicerit 496
ciconia exemplum gratiae 638
ciuis bonus quis sit 316
ciuitas quibus consistat 520
claudicatio duo facit 284
clientium & amicorum officia quorsum pertineant 853
cogitatio in mortis periculo fol. 244
colomannus Pānoniae rex 152
concedendo quae sint cauenda fol. 176
commodus 348
commodum peculiare in aduersis 115
compeditoribus quid faciendum in aula 486
communia cum omnibus duo sunt 98
conditionum quae sit optima fol. 472
coniunctio amicitiae uinculum fol. 559
conon pro Atheniensibus se sponte occidendū offert 198
cōsiderāda circa calamitates 8
consuetudo malorum ipsa mala minuit 90
continentia quid sit 131
contemnens leges ambitiosus est 737
contemni & iniuriam pati utrum maius 496
contemptus iustam ob causam cur difficilius tolleratur 493
contemptus quid 487
contemptus duplex 488
contemptus cui probo occurrere debeat 408
cōtemptus in probo uiro quid fol. 491

contemptus

contemptus aduersatur gloriæ & honori 498
cõtemptui habentur tria 606
contemptũ præ se ferentes cauendi 545
contemptum contemnere posse maxima pars auxilii in contemptu 490
contemptum quę tollant 498
contumelias perferre quid 539
contraria bonorum & malorum 24
corporis sanitas quomodo curanda 43
corporis detrimenta maiora sunt fortunæ 80
criminum genera 763
crudelitas apud Tartaros uitium non est 588
circulus ingratus 638
crinium expugnatur 813
curiosi qui 670
custodiæ liberæ multæ genera fol. 834
cyrus Gyndum fluuium aboleuit 755

D

DAemoniorum principis uitium 484
δάκνω quid 630
dandum est libenter 603
decorem in quibus ostendamus 498
defensionis causa uidenda est an iusta sit 767
defensionis conclusio 1144
deformitas inter mala fortunæ censenda 87
deformitare quid nominet fol. 149
deformitas corporis animi pulchritudine sanienda 152
delicta duas ob causas puniuntur 1112
deliberationis nominis error fol. 1120
demetrius ducenta sestercia repudiauit 641
demetrius Phalereus apud Ptolomæum maximo in honore fuit 795
demetrii apud Senecã dictum fol. 466
deportatio nostris temporibus quid sit 1115
desyderium pecuniarum & opum magnarum stultitiæ signum 408

deum liberè agit 596
deum amare quid sit 101
deos cur colamus 579
dii semper felices 64
diē in tres partes partire oportere 873
dignitas nihil adfert commodi fol. 482
dignitatis ratio magis habenda quam loci 497
diogenes à puero superatur 1
dioge. cruditate extinctus 197
diogenes uenditur 823
diogenis prædulcis uita 1
diogenis ad emptorē dictū 823
dionysius Heracleotes inædia extinctus 197
disciplina libris tradita quid sit 39
dissimulator ad inimicos se habet ut ad amicos 652
dissimulator quinq; modis cognoscitur 652
dissimulator qualis 653
dissimulator & adulator in aulis reperitur 654
dythyrambus quid sit 441
diues hoc tempore administrator non dominus opū suarū fol. 394
diues qualiter filios educare debeat 409
diues quando sit diues, & quādo pauper 472
diues plures fidos amicos habere ob duas causas 419
diuiti quot onera extra ordinē imposita sint 393
diuites ob ipsas diuitias multis conflictari modis 21
diuites cur amare debeam' 54
diuitum minus nunquam dolore animi uacuus 39
diuitum & pauperum filii quādo eruditi 473
diuitiæ ex diuitiis fiunt 401
diuitiæ quæ malo alterius non parantur 424
diuitiæ quomodo acquirendæ fol. 477
diuitiarū parādarū modi 405
diuitiarum commoda 419
diuitiarum duo genera sunt fol. 424
diuitias fugere multa offert cōmoda 481
diuitias nihil prodesse 410
diuturnitas calamitatis molles

animos efficiat 185
domitianus muscas uenabatur fol. 374
domitiani ira atque inopinata supplicia 756 (484
dominus ambitiosus furiēdus
dominatio regum quæ 530
draco leges scripsit sanguine humano 817
draguti factum cum se redimere non posset 838

E

EDucatio filiorum 88
epicurus uoluptatis laudator 242
epicurus uoluptatem sequi iubet 296
equites duo Regē Hispaniæ Ferdinandū Castolonensem citarūt ante Christi tribunal 651
error paruus in principio maximus in fine 454
eiuratio quid 551
eunuchi & mulieres longioris uitæ quam uiri 281
εὐφροσύνη quid 630
eusocrates philosophus cicutā bibit 212
exiliū spontaneū sibi qui elegerint 785
exilii lenimentum 138
exilii genus triplex 784
exilii causæ 788 (785
exilii cōmoda & incommoda
exilii incommoda sex 785
exilii comites 789
exuperatio quando fiat 559

F

FAbius Maximus impetū Annibalis eludendo rem Romanam curatus est 108
facinus editurus quid agere debeat 214
factis quem iuuare nolimus, quid illi sit faciendum 583
falsum quid 397
fames auxiliū & medicina contumaciæ 1035
fœminarum uituperatio 947
fœminas obsequentes quid efficiat 955
fatui risu dignoscūtur 688
fatuos prudentes reddentes artes 1043
fauor uulgi instabilis 487
fœlicitas quid sit 84. 119 et 121
fœlicitas nostra ubi cōstat 27
felicitas Romana mulier 567

felicitatis nostræ maxima pars ex cõtrariis ortũ habet 20.23
felicitatis apex in uirtute repositus est 35
felicitatis partes 36
felicitatis tria necessaria 321
felicitatis ordines quatuor 370
felicitatis certum signum 851
felicitatis nouem genera signorum 862
felicitatis partes 970
felicitatem in uoluptate statuit Epicurus 297
ferro occidẽs spernit legẽ 1110
felix quis esse posit 518
fidem fallendo quos iniũria afficiamus 542
filius cur parentes superare beneficiis non posit 632
filius Persei regis Macedonum faber 481
filius parentem in uita bis seruasse potest 633
filium habere probũ patrimonium ingens 1018
filii & animæ & corporis partes sunt 88
filii fugitiui 1037
filiorum educatio 88
filiorum curam habendam esse 976
filiorũ res tribus constant 971
filiis miseria quot modis cõtingat 991
fortuna aduersa quid efficiat fol. 113
fortunæ calamitatũ ordo unde sumatur 88
fortũatos casu beatos esse 487
fortitudo seruo prodest 825
flagitium inferẽs admittit 545
florentini in suos ingrati 649
franciscus Caluus immobilis decumbebat 288
franciscus Crimignola Venetiis securi percutitur 813
francisci Crimignolæ facta 813
funebræ quomodo celebrantur 395
Furis descriptio 672
furis forma & natura 673
fures externi grauius puniuntur quàm domestici 1110
fures qui 672
furtum an donum maiũs faciendum 576
furta domestica publice uindicanda non sunt 1110

Gedeon

G

GEdeon septuaginta habuit filios 988
Genus hominum quod occulit suum odium 733
generatio æterna 60
generationi utilia 974
gentium uariarum in funeribus mores 387
genuensis prætorias domos edificat 77
galli quales 484
genuensium fœnus 241
germani quales 484
germanæ fœminæ suspendi maluerunt quàm seruire 847
gualielmi Postelli mors 254
gula plures occidit quàm gladius 753
græcorũ in funebris mos 386
gratus unde 630
gratum magis oportere esse erga patriam quàm erga parentes 625
grati homines 117
grati cur habeant plures amicos 590
grato uiro quid perspic. 576
gratia dominorum quomodo consequatur 480
gratia nil celerius senescit prouidentia 486
gratia à quib. repẽdi soleat 579
gratiam si non reddit amicus quid agendum 615
gratiæ genus 612
gratiæ debitũ ubi finiatur non est facile statuere 621
gratiæ duo sunt genera 576
gratiæ optimum genus 577
gratiæ 3. quæ in tribus actionibus consistunt 650
gratiæ quotuplices 630
gratiæ græcis charites dominatur 630
gratiæ se inuicem pariunt 631
gratiæ reddendæ exemplũ 638
gratiam expectanti quid præstandum 595
gratiam non reddentes quales fol. 626
grauissima in puero 982

H

HArpagus filius patri in cœna opponitur 749
heliogabalus 348
heluetiorum urbes laudantur fol. 790

herculem quid nobilitauerit fol. 714
heroica uirtus 314
hierony. dictũ de diuite 476
hierusalem cur excisa 1126
hippias qualis 492
hippopotamus patrem occidere fertur 640
hyppocratis laus 228
hirundo ingrata cur sit 638
hirundinis uirtutes & cur non ingrata sit ducenda 638
homo ad quatuor comparandus 311
hominis munus filios docere fol. 627
homini mala contingere utile esse 857
hominem non una ratione delectamus 51
hominem bonum quid efficiat 320
hominẽ quæ depauperant dulciter 402
hominem quæ euertant 522
hominem prudentem quid efficiat 718
hominẽ infamẽ nihil reddere potest quã uita flagitiosa 787
homines quib. ceruix amputatur non absque dolore moriuntur 239
homines uirtutes potius quam uitia cur nõ sequãtur 308
homines qui non sint in amicitiam recipiendi 570
homines officiosi 117
homines improbi 117
homines grati 117
homines euentu alicuius calamitatis cognoscuntur 118
homines qui laqueo strangulãtur crudelissimè perire 238
homines quibus rebus ad deliberandum moueantur 580
homines omnes in humanitate conueniunt 723
hominum genus cõuiuiis gaudere 52
hominum studia quatuor 573
honor quõ recuperãdus 488
honestum residet in filio, utile autem & spes in filio 550
horatio Rom. unus oculus excussus fuit 261
hospitii ius apud Scotos 52
honor quomodo restituatur fol. 549

humana

humana humanitus tractanda sunt 627
humanæ res tribus cõstãt 596
humilitas & paupertas affines fol. 478
humilitas à paupertate quomodo differat 479
humilitatis descriptio 478
hypocritarum pessimum genus 695
hypocritarum forma 696
hypocritas dãnat Christus 695

I

IAson sordidis natalibus fuit fol. 967
iactura filii an patris maior sit fol. 549
impatiens qualis 678
impatientiam cohibẽdã quid iuuet 887
improbi homines 117
improbi quales sint 698
improbi perfidi cur sint 699
improbum designantia 702
improbitatis duo genera 697
improbitatis propria 697
improbitatis exemplum in Caligula 698
impiorum oblationes Deo nõ gratos esse 627
imperatores ingratitudine quid effecerint 648
imperatoris Bassiani crudele factum 754
imperatores eruditi 819
impetranda quomodo quæque sint 490
importunus qualis 676
importuna tenuitas auaritiæ species 674
importunum quid sit 603
impudentes qui 669
inæqualitatis genera 744
incontinens & intẽperans differunt 310
indignatio similis inuidiæ affectus 527
indignatiõis iustæ effectus 491
indorum consilium de hæreditate 563
ineptia stulticiæ pars 664
inepti qui 664
inertis descriptio 690
infelix cui nihil aduersi accidit fol. 124
infelicẽ esse cuius uitiũ sit 148
infamia tribus modis obest fol. 517

infamia duplex 516
infamia cõflatur ex inuidia 519
infamia cur laboremus 519
infamia iusta quid 520
infamia iniusta quid 520
infamiæ contraria 516
infamiæ querela 519
infamiæ iniustæ utilitates 521
infamiam quæ augeant 521
infans à tertio mense gestari incipiat 978
infans quamdiu lactandus sit fol. 978
infans cũ ambulare gesſit quæ cauenda sint 979
infortunia ab animatis, inanimatis & hominib. quæ sint 629
infortuniorum nostrorum origo quæ sit 629
ingratus quis sit barbaris 589
ingratus est perfidus 581
ingratus quomodo recusare posſit 620
ingratus quando det beneficia 581
ingratus quid sit 595
ingrati in patronos cur iterum in seruitutem redigendi 619
ingrati sumus in Deum, ille in nos nunquam 600
ingrati & infidi, ingratos & infidos inueniunt 624
ingrati & perfidi titulus 574
ingrati homines quot modis fiant 262
ingratũ uideri pesſimum 575
ingratũ fouere ingrati est 578
ingratum describit Plautus 582
ingrati pesſimi 626
ingratorum natura 578
ingratorum effectus 586 & 587
ingratorum pœnam ad Deum spectare 647
ingratorum flagitium 625
ingratis benefacere pars mali est 578
ingratis quibus benefaciẽdum fol. 580
ingratorum principum exempla 624
ingratitudinis & perfidiæ signũ in quibus præcipuè animaduertendum 575
ingratitudine Imperat. quid effecerint 648
inimicitiæ pesſimæ 89
inimicitiæ & odio dediti 736
inimicus quomodo aduersarium

rium deducere possit 494
inimicus grauis quis nō sit 736
inimici occulti 732
inimicorum genus quod odio prosequendum 520
inimicorum conspiratio dum repugnatur, confirmatur 131
inimicorum suspicio ne augeatur quid faciendum 541
iniuria plus ledimur quàm ob opum iactura 88
iniuria condonanda 535
iniuria cur inferatur 524
iniuria finis & effectus inuidiæ fol. 524
iniuria quo animo inferatur fol. 530
iniuria quid 530
iniuria quibus inferenda 532
iniuriam amens inferre nō potest 533
iniuria quando inferatur & ultio 533
iniuria cur non à Diis inferatur 533
iniuria circa quid uersetur 534
iniuria ex quibus producatur fol. 543
iniuria quō deuitanda 543
iniuria accepta quæ liceât 547
iniuria quando uocatur iniusta fol. 548
iniuria quomodo recompensanda 614
iniuriæ peculiaria commoda fol. 546.547
iniuriæ offensæ genera quatuor 548
iniuriæ irritamenta quomodo & quando fugienda 544
iniuriæ damna 552
iniuriā non patimur à Diis 530
iniuriā pati deterius est quàm iniustum 53[illegible]
iniuriā inferre aliud est quàm iniustè agere 531
iniuriam inferendo contingit iustè agere 531
iniuria quomodo cognoscenda 53[illegible]
iniuriam à latronibus non accipimus 534
iniuriam à quibus accipiamus fol. 534
iniuriam Deo inferre periculosum, & qui inferant 536
iniuriā inferre an accipere deterius sit 544

iniuriam nobis illatam familiarium iactura redimere nõ licet 551
Iniuriam quis recipiat ibid.
iniuriarũ satisfactionis duplex genus 547
iniuriarum utilitates 545. & fol. 546
Iniurii tribus ex caussis calamitates perpatiuntur 520
iniustorum genus quale 943
iniuste curuos nihil agere deceat 551
Intelligentia pars summi boni fol. 74
interfecti per inducias potentiam 740
inuerecundi signa 670
inuidia ostentatione paritur. fol. 601
inuidia quomodo confletur. fol. 619
inuidia odio persimilis 522
inuidia & odiũ in quibus conueniant, & quibus differunt.
inuidia quid sit 523 & folio 524
inuidia non inter uitia & mala numeranda 528
inuidia calcar ad magna opera 528
inuidia commune malum. folio 657
inuidia auaris perutilis 658
inuidia quid 659
inuidiæ & iniuriæ discrimen. fol. 524
inuidiæ uitium 339
inuidiæ triplex genus 400
inuidus etiam de bonis augetur 527
inuidus pronior est ad irã ambitioso 737
inuidi proprium 529
inuidi descriptio 657
inuidi quos incisos seruant. folio 523
inuidi discordias serunt 657
inuidiorum damna & effigies ex Ouidio 525
inuidiorum notæ 656 657
inuidendi genus duplex 525
inuideri uoluptas est & res utilis 528
inuideri & inuidere quomodo differant 529
ioannes ex pontifice Cardinalis fit 838

ioannes Barchi capitali suppli cio damnatus 896
io. Petrus de Meda uxorem 25. uulneribus confodit 1129
ioannis casæ liber de amicitia. fol. 483
ioannis Petri Buzii fabella. folio 590
iouis ars fulmine tãgitur. 870
iræ definitio. 91 & 687 543
ira Principis quod sedari soleat fol. 131
ira aliqua utilis 686
iracundum circa contentionẽ uersari 8
irati quàm deformes uideantur 893
irrisor quid præ se ferat 693
irrisores qui sint 692
itali quales 484
italorum mores 489
iuba Mauritanei Regis filius herbariæ cogitationi incubuit 481
iucundum nihil quouis amore 365
iucundum quid sit 396
iucunda per se quæ sint 301. & 302
iudex corruptus pecunia qualis 534
iudicia & æstimatio hominum quatuor rationibus moderã tur 529
iudicia quid fecerit 1131
iulius Cæsar Scaliger quid pro memoria usus fuerit 280
iuriscõsulti & medici nõ sunt inuidi 658
iurisconsultorum iniqua iudicia 520
iustinus è subulco Imperator. fol. 425
iustinianus imperator 101
iustus est contemptus 488
iustus iniustè infamatus dupli ci emolumento fruatur. 520
iusti progeniem nõ deficere in æternum 411
iuuenes qualiter nutriẽdi sint fol 437

L

LActãtius Firmianus usq; ad mortem in uolũtaria pau pertate uixit 471
latro qualis sit 678
latro Lugduni strangulat mer catores 168

latronem

latronem designantia 679
laurentii templum fulgure arsit 869
lex uenenariis magis parcit quam siccariis 1111
leges contemnens ambitiosus est 737
legibus non subiacent, quæ iusti aguntur 412
leonidis dictum 137
liber qui uult esse, seruum se philosophiæ faciat 141
liberi qui sunt 823
libertate assueto durũ est carcere premi 842
liberati carcere meliores efficiuntur ibid.
libidinosum multipliciter dici 693
lilii Gregorii liber de nigratis, pag. 582
lingua apud principes plures occidit quam manus 753
lis quid efficiat 761
litẽ qui exercet qualis esse debeat 781
litium duæ partes 762
litium genera ibid.
litibus abstinendum 781
L. Anneus Seneca conatus est suo iudicio homines felices reddere, 3
lucri oratio 455
luctus & grauissimi doloris signum 386
luctus duobus modis hominẽ depauperat 402
ludus an ad fœlicitatem pertineat 378
ludus publici diuisio 381
ludorum genera duo 378
ludorum genera in summa decem 392
ludouicus Galliæ Rex diu in uinculis fuit 838
lupi ingratitudo 640
lusores quales sint 695
lusorum descriptio 694
luxus hominẽ solet depauperare 402
lycii sacrificium 672

M

MAchabeę 7. filii propter dominum morti se obrulerunt 1064
magnates cur inimicitias exoptent 715
malum pessimũ in sene quod si-

sit 172
mala malis quatuor modis deteriora sunt 22
mala uera 112
mala omnia despicienda esse. fol. 376
mala quæ 441
malorum causa unde dependeat 4
malorum in uniuersum genera 12
malorum simpliciũ genera 12
malorum diuisio 17
malorum terminus 23
malorum effugiẽdorum ratio prima 37
malorum consuetudo ipsa mala minuit 90
duo malorum genera 214
malorum ultimorum esse desperationem 862
mali multi temporis processu optimi euadunt 476
manlius è saxo Tarpeio præcipitatus 247
mansuetudinis oppositũ. 324
M. Catonis natura et ingeniũ. fol. 526
mathias & Lusignanus è carcere ad regnum Pannoniæ peruenêre 838
maximinus è lixa et calone Cæsar 425
medici principium 357
mendicus factus est orbis imperator 468
mens immortale in nobis 69
memoria uoluptatum præfertur spei 307
mercator esse debeat 455
militaris ars omnibus communis 459
mithridates 467
mitus à Tyberio occisus 753
mœcha quid agat 958
mœchæ cur obsequentes se uiris præstant 957
mœchæ quasi principiũ sepulchræ sunt 969
molestiarum tenuium tillationem sentire uacui esse animi pag. 851
monomachia unde initiũ ducat 548
monumenta sapientum perpetua 60
morbus insaniæ proximus 892
mors incuitabilis 12

mors quid sit 206
mors repentina 246
mors impiorum qualis 554
mortis ad tractationẽ sex pertinent 254
mortis genus lepidissimũ. 186
morti inhærentia 193
mortem neminẽ alacriter ferre 10
mortem quæ sibi sponte intulerint 208 209
mortẽ tria tẽpora habere. 237
mortem non malam esse 335
mortem signa indicant 252
mortem sibi qui consciuerint. fol. 848
mortalium conditio est, ut extimo malum metiatur 167
morientium tria mala præcipua 862
mori an uiuere misere miserius 555
mortuus an uiuus fœlicior. folio 554
mortuos deflere dignũ est 597
mores principium 309
morum genera duo 868
moses pauperib. quæ largitus fuerit 710
mosis præceptum 61
mulier ad generationem filiorum quæ eligenda sit 972
mulieres grauidæ ante triduũ sepeliri non debent 249
mulieres & eunuchi longioris uitæ quàm uiri 281
mulieres fœcundæ quales 971
mulierum mores & facta 968
mulieribus abstinendum. 950
mutũ esse minus nocere quã surdum 275
mutuo quibus debeamus dare 584
musicus qualis sit 446
musici pauci nostro tempore. fol. 446
musicos omnes impatientes esse 885
musica tribus constat 446
musica & Aristologiæ minuũt molestiam paupertatis. 477
muscillus gallo irascebatur. folio 66

N

NAso in Pontum relegatur. fol. 754
natura solæ duæ quæ euaserint fol. 30

naturæ mortalium bonorũ 33
natura uitiorum infinita 850
naturæ portentũ Claudius Imperator 698
naturalium studiorum pars optima 327
nauigatio patiẽtiã auget 891
necessaria ad felicitatem consequendam 35
necessitatem omnem admittere auxilium 14
nicromãticorum persuasiones fol. 109
negociationis finis quis 516
nepotis erga suum educatorẽ fides 103
nero auream domum condidit fol. 77
nero 348
nero in coniuratos contra se sæuit 489
nero in plurimos gratus fuit fol. 641
nero ducẽta sestertia Demetrio dono dare uoluit 641
nicolai Piciuini dictum 360
nicolai Vignarcæ dictum 401
nicolai Gomberti damnati ad triremes uirtus tua 840
nutrix quæ eligenda sit 976
nutrix quomodo alẽda sit 978
nutrix puerum scrofæ lactandum subiecit 1041

O

OBligatio inter filium & patrẽ abrumpi nõ posse 791
obsequens rustico contrarius fol. 666
obsequentes qui 666
obsequentum descriptio 666
ocium ingeniorũ præstantium fol. 513
ocium omnis negociationis finis 516
ocio pernitioso quomodo occurrendum 515
ocio qui uitam transigere possint 515.155
occidendi actio naturæ aduersatur 727
octauius quando mores mutauerit 705
occultarum inimicitiarum ratio 728
odium in suos directum sit 523
odium cum contemptu unde oriatur 489
odisse inimicos par est 541

offens_a_

offensa iniusta quae dicenda. folio 532. & 533
officiosi homines 117
omina omnia Christianũ spernere decet 856
opes luxum pariũt, luxus tàm animum quàm corpus enervat 433
opibus nihil mobilius 426
operis huius utilitas 18
opifices amicitia indignos esse quosdam recenset 570
opinio 408
optari quid debeat 478
oribasius Medicus quid fecerit in exilium pulsus 471
ori cura quae adhibenda sit. folio 177
origenes spreuit opes Romam uocatus 470
orestes insanus factus 538
ostentator qualis sit 679
ostentatorem designãtia. 680
ostentatio doli pars 679
ottonis Imperatoris in funere milites se sponte occiderũt. fol. 297

P

PAccunii à cœna factum 196
palauicinus Vicecomes duodecim annis in carcere fuit 838
panem leuem quis excogitauerit apud germanos 113
papiliones ut tollendi 854
paruus in paucis est excessus. fol. 567
pastoralis apud Turcas seruitus utilis 826
pater an filius praestantior 550
patres in solitudine fœlicissimi fuerunt 470
patrisfamilas instructio 433. & 434
patritiorũ Venetorũ laus. 458
patriae potestati subiici quid sit fol. 826
patientia trib. absoluitur 405
patientia genus triplex 885
patientiã nauigatio auget. 891
pauper à multis muneribus & periculis immunis est 393
pauper diuite nihil infelicior. fol. 412
pauper diuitias melius tractat quam diues 423
pauperis cõditio melior quàm diuitis 393
pauperem nihil impedire quo minus

minus diligentius studebat fol. 475
pauperum plus celebratur fama quàm diuitum 418
pauperũ genera quatuor 431
pauperum felicitas 470
paupertatem non parum conferrè ad orationem 404
paupertas & auxilium 441
paupertas uerà 470
paupertas ad pietatem conducit 478
paupertatis utilitas 395
paupertatis uolũtariæ effectus fol. 471
paupertate ad quid opus 423
paupertatem nõ esse miserã 85
peregrinus solitarius magnis exponit se periculis 801
perfidiæ nota 660
perfidiæ maxima exempla 663
perfidiæ crudelia exempla 741
perfidi descriptio 663
periurium quid sit 477
perpetuo nihil 24
personã respiciendam esse 1137
persarum regis frater ad Turcam defecit 363
persarum rex unius urbis ciuibus nares discindi iussit 755
petulantes 675
petulantes qualis sint 676
petulantia adolescẽtibus familiaris morbus 676
phalaris crudelitas 611
philippus uicecomes Mediolanens. noctem timebat 189
philippi regis dictum facetum fol. 159
philosophi tres tyrannicã ui periere 338
philosophi beatissimi 100
philosophorum optatus lapis duplex aureus & argenteus fol. 468
philosophiam nobis consolationem adferre 135
phocion contemnitur 489
pithagoras quinquennale silentium suis discipulis imperabat fol. 276
plato gibbosus 151
plebs tota inuidet 658
plebem maximam partem sine gladio incedere 284
pœnis grauibus multa obnoxia fol. 994
poëtarum fabulę plus sordium

habent quàm sinceræ uirtutis 1023
poëtarum licentia 588
pompa quid sit 381
potentia & sapientia utra melior 479
potentiæ summum bonũ quod sit 480
pontificis nepos ab equo lapsus occiditur 231
pontifices se seruos seruorum Dei appellant 824
præceptum taciturnitatis 42
præcepta duo 127
præxaspis à Seneca repræhenditur 749
prauos odisse iustitiæ pars 244
princeps quid cogatur facere fol. 346
princeps quomodo considerandus 746
principis in ira quid faciendum 131
principis Ferrariæ anus duos fratres excæcare coacta est 363
principis odium quomodo fugiendum sit 758
principum genera tria 347
principum conditio 354
principum error 356
principum medici 357
principũ peculiaria solatia 360
principum uitam calamitosam quatuor declarant 373
principes raro ad senectutẽ perueniunt 358
principis in conuiuiis tantũ cæteris feliciores 366
principes duo aut tres filios dilexerunt 362
principes deo similes & origini 371
principes nihil melius habent priuatis hominibus 349
principes non facile in amicitiam recipiendi 573
principum mores 309
probus uir ubi sit 312
probi officium 311
probitate quomodo opus sit fol. 600
propositio de utilitate ex aduersis capienda triplex 126
prudentia opus est ad fingendam rectam stultitiam 777
publii Mimi carmina de iniuria 539
publici ludus diuisio 381

publicæ

Publicæ calamitates graues 895
pugna quid sit 381
pulli columborũ ad quid prosint 222
pyrata præfectum citauit ut intra constitutum tempus interiret 651

R

Rationis usus multiplex 37
Reconciliati ex grauiss. inimicitiis 743
regio qualis pro habitatione deligenda sit 793
reges & benefortunati infelices 496
respub. modo gratæ modo ingratæ 646
remedium contra stultitiam fol. 1042
repulsa grauis quid sit 583
repulsa in præstanti uiro quid fol. 491
res humanæ motu augẽtur 393
res mortalium caducas 1045
rerum principia duo 711
Rebus omnibus quæ detrimentum afferunt abstinendũ 338
retributiones quibus in casib. poscere licet 615
rhinocurura urbs in Aegypto fol. 755
risus quid 688
romulus ex incestu natus 967
romani libertatem quãdo amiserint 817
rom. pop. lex de supplicio 779
romanorũ more omnia in potestate parentis 1032
romanos uitam beatissimã duxisse 94
rosimunda regem Alboinũ occidit 661
rusticorum descriptio 665
rustici qui 665

S

S. Ioannis arcis obsidio 815
Sapientia nos regit & nõ grauat 571
sapiẽtiæ iactura grauissima 90
sapientiæ maiori quam nõ fortitudinis habẽda est cura 95
sapientiæ optimum bonũ 480
sapientiam uirtutem 89
sapientem rarissimè irasci 90
sapientum monumenta perpetua 60
sardanapali uoluptas 182
sarra Columnæ Cardinalis pontificem

tificem mori coegit 838
satisfactio qualis esse debeat 551
scelus nullũ tam dirum quod pecunia non diluat 948
scipio pompeii socer gladio se transfodit 235
securitas duplex 69
seditiosorum hominum genus quale 943
seleucus Asiæ minoris & Syriæ rex fit 425
seneca manu trunca fuit 286
senecæ epistolarum argumentum 17
senecæ sententia de iniuria nõ ulciscenda 535
senex ne se misceat alienis conuiuiis 177
senem decentiã 182
senem feliciorem iuuene 333
senes quales sint 171
senectus aliqua in se continet bona 11
senectutis incommoda leniri possunt 12
serapion Eremita seipsum uendidit 824
sensuũ cognitio ad sapientiam pertinet 328
serpentes ex dorsi spina in sepulchris nascuntur 727
seruitus maximum malum in humanis 821
seruitus sine uirtute quibusdã perpetuum nomen attulisse fol. 823
seruitus tẽpore belli utilior est libertate 824
seruitus pastoralis apud Turcas utilis 826
seruitus modesta quæ sit 826
seruitutis finis 829
seruitutem plurimis profuisse fol. 822
serui propria 825
seruorum & ancillarum commoda 823
seuerus Afer nulla causa trucidabat homines 348
signa mortem indicant 252
spectacula quæ sint 351
societas quorum fugienda 44
socrates statuarii filius 467
socratis laus 319
socratem quæ uexarint 47
socratem damnatum in carcere obiisse 225
solitudinis genus duplex 800

solitudi-

solitudinem diuinam rem 800
solitudinem periculosam esse fol. 801
solitariè uiuere cuius sit 701
solitariũ non habere unde auxilium speret 804
solon cur de parricidis legem non tulerit 1123
solymannus filium cum nepote sustulit 362
scanderbergi modus ad cohibendam iracundiam 887
stultitiæ signa 697
stultitiam & insaniam nullam utilitatem habere 11
stulti descriptio 696
stultorum genus quale 943
stupidorum notæ 688
studia quid sint 228
sylla milites ueneno sustulit fol. 1109
syracusorum ingratitudo 648
summum bonum 59
summum bonum tribus contineri 70
summi boni destuctio 68
surdorum tria genera 268
surripi quòd potest infinitum est 576

T

TAciturnitatis præceptũ 42
Taurea filios suos occidit fol. 1064
taurinorum consuetudo 420
tempus omnẽ uim humanum frangit 134
tempus sanis adimere quid soleat 164
tempus quale turpissimè pereat 305
tempus omnia esse 442
templũ Ambrosii fulgure ictum fol. 869
templum Laurentii fulgure arsit 869
tenuitas importuna auaritiæ species 634
testes quales esse debeant 766
thesaurorum inuẽtio ob quid nos delectet 20
thrasylus furore correptus 180
tibullus uix trigesimum excessit annum 306
timagenes domo expellitur fol. 754
timidi descriptio 692
timor omnium effectuum maximus 184

timor ubi est, ibi & dolor 292
timor quid 545
templarii cuiusdā historia qui qui regem & pontificem ante tribunal dei citabat 650
tormenta tribus causis adhiberi solent 770
torqueri fœdam rem esse 835
toxaris Scytha 795
testis qualis esse debeat 773
trismegisti historia nihil uetustius 60
tullii Marcelli mors 197
turci gloriantur cum serui principis appelluntur 824
tyrannis scelere paratur 810
tyrannorum natura 518
tyrannorum descendentes reges nominantur 810

V

VAni qui 670
Variarum gentium in funeribus mores 387
uecordes qui 666
uecordis signa 669
uecordum descriptio 667
uenditio sola lucrosa 455
uenenum rationem proditionis habet 1110
uenenū non grauius esse quàm uenenum 1108
ueneno petulantia & uiolentia abest 1111
ueneno non facilius occidi, quam ferro 1112
uenena exosa propter principes 1115
uenenarii capite puniendi uel dignitatis respectus deportandi 1109
ueneta urbs quamdiu incolumis floruit 818
uenetiis ius recte ministrari fol. 765
ueneris impotentia 280
uerum quid 397
uestium mutatio quantum possit apud uulgus 494
ugolini Piscani comitis casus fol. 115
uia commodissima ad felicitatem 2
uia ad ueram felicitatem 25
uiator quomodo autoritatem seruet 494
uicissitudo omniū rerum 24
uictima Cæsaris corde caruit fol. 251

uictus

uictus opportunus quis 398
uinculorum & triremis duo genera 834
uinum perpetuo ut quis fugiat fol. 1022
uirtus natura sua sempiterna fol. 52
uirtus quid sit 311
uirtus heroica 314
uirtus tribus constat 600
uirtus inuidiam excitat 601
uirtus uoluptati præponenda fol. 971
uirtutis finis 310
uirtutis essentia in quo consistat 310
uirtutem finem bonorum cur statuunt 66
uirtutes trib. modis nobis prosunt in perferendis aduersis fol. 40
uirtutes quot sint 310
uirtutum opposita 324
uir probus ubi sit 312
uiro probo quæ patria utilis fol. 473
uiri maximi eremitæ 797
uiri boni seipsos occidētes 210
uiri sapientes qui sint 313
uiri sancti cur in solitudinem iuerint 270
uirorum multorum doctorum misera conditio 226
uita quid sit 747
uita nostra bene acta, itemq; mala 856
uita humana somnium 1044
uitæ generalis institutio 300
uita quomodo bene instituenda 471
uitam nostram tribus constare 43
uitare quos debeamus 621
uitellius 348
uitia duo in amicitia accidunt fol. 88
uitia à naturę defectu oriri 308
uitia quot modis coërceri & depelli soleant 554
uitia tria pessima 1028
uitia quæ in adolescente uix permutari queunt 1028
uitia in uirtutes uertendi ratio fol. 1027
uitiis ut careamus quid faciendum 498
uiticis folia ad castitatem deducere 962

ulciscendi actio naturæ aduersatur 727
ultio quando accessaria 539
ultio homini quid cõferat 537
ultio iniuriis non conuenire quando uideatur 540
ultionis genus contumeliosissimum 539
ultionis modi omnes similes fol. 740
ultionis diuinæ mali principes ministri sunt 543
ultiones cum uoluptate uidesi 519
ultionẽ qui sumpserint 724
ultionũ fructus atque exitus 538
ulysses Diomedi charus cur sit fol. 717
uoluptas summa in tribus 73
uoluptas suauissima est quæ tristitiæ successit 81
uoraces quomodo cognoscantur, 691
utilitas quæ capiatur ex scriptis Cardani 513
uxor locuplex raro commoda fol. 944
uxor falsa adulterium non amplius uera uxor 1148
uxorem probam occidere flagitium esse 1148

X

XAntippen mulier laudatur fol. 46
Xenocrates 528
xenodochii exemplum in iniuria patienda 546

Z

ZElotypia quid sit 931
zenon ab Antigono munera accipiebat 642
zenonis philosophi apud Athenienses authoritas 796.

FINIS.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE VTILITATE CAPIENDA EX ADVERSIS.

Liber I.

DE DEMONSTRATIONE.



IOGENES Philosophus, *cum esset pauperrimus, solebat tantum secum deferre peram & baculum.* Baculum *quidem, ut reor, pro sustentaculo, quòd iam ætate esset inualidus, tùm etiã ad abigendos canes ac feras, si quæ illi iter agenti obuiã uenissent.* Perã *uerò in qua & lupinos, quod erat illi familiare edulium & olera deferret, eadem etiam aquam hauriret & biberet. tam paucis uir ille cõtentus erat.* Dormiebat *autem hyeme sub porticibus substrato fœno paleaúe, æstate in hortis sub dio, & super herbã.* Hæc *illi prædulcis uita atq; suauissima uisa est.* Quam *etiam magnus* Alexander *comprobare uisus est.* Verùm *cum aliquando præteriens fontem, conspicatus esset puerum uola manus caua bibentem, abiecta pera dixit:* At *iste sine philosophia, sed sola natura instructus, frugalitate me superauit.* Existi-

mans beatissimum esse paucissimis indigere, quòd dij qui tales absq; dubio sunt, nullis prorsus indigeant: neque enim illis est cibus, aut potus, uel uestimentum, aut domus, aut pecuniæ, aut aliquid horũ, ob quorũ possessionem nos tota uita discruciamur. At illi tamen nullis indigent, quoniam eorum uita atq; natura sibi in omnibus sufficit, hominis autem non ita. Quamobrem si quis dijs se hac in parte comparare uelit, poterit & piscibus ac ranis eadem ratione se conferre, dicens: pisces in aqua, & maximè æstiuo tempore dormiunt noctu, & ranæ in limo: at ego similiter id agam? Nónne hæc planè stulta ratio esset, ac consilium perniciosum? Non ergo simpliciter carere multis ad felicitatem uia est, secundum Diogenem, sed ita animum ac corpus paratum habere, ut quàm paucissimis indigeat. Hoc felicissimum uitæ genus est, ut contra durissimum & miserrimum, ita animo & corpore molli anxioq; esse, ut dum ad mortem properas, alias super alias sarcinas laborum, curarum, atq; diuitiarum tecum trahere cogaris: cum quibus dum moreris unica spes sit in animæ interitu ob tot admissa flagitia, & si etiam illud tibi persuadeas, & dolor tot parta, totq; laboribus relinquendi, & quòd amplius non reuerteris, nec in æternum (cum tamen Dij, Sol, Luna, elementa, hominũ genus, imò & cuniculorum & muscarum, & ædes ac ciuitates in æternum mansura sint) amplius eris. Quamobrem horum fœlicitatem, si quis rectè perpendere uelit,

lit, non in ipsis partis constare deprehendet, sed in stultitia, in amentia, in ἀλελησμένῳ, quod est nõ cogitare, seu λελῆσθαι, quod est obliuisci, imò scire potius nolle, repositum esse. Cum ergo harum extremarum opinionum utraq; uitiosa sit & inutilis, palã est, nos aliam quampiam rationẽ quasi mediam inuenire oportere, quæ omnibus in rebus satisfaciat: id fiet, si quod in utraq; opinione utile est, in unum conferamus. In prima illud est optimum quàm paucissimis indigere, in secunda pluribus abundare: sic enim beatos illos esse uidemus, qui longè plura sunt, quã sint ea quibus indigent: longè uerò beatiores, si plura habeant quàm optent. Ergo si quis id possit efficere, efficiet etiam ut homines sint beati. Id uerò plures conati sunt, tùm generaliter, tùm ex parte docere.

Inter quos L. Anneus Seneca fuit: is in epistolis conatus est homines suo iudicio felices reddere. Illud maximè ac sæpius proponens, paratos nos esse oportere aduersus calamitates omnes, tùm perpetuò meditari mortis aduentum, ratus, ut arbitror, eum qui mortem alacriter expectare posit, cum à malis liberemur, sine molestia uicturum: quemadmodum enim si quis in carcere positus, sciat certò se breui liberandum, carceris incommoda facilè feret: ita qui certò se nouit morte euasurum præsentia mala, ubi credere possit non esse in morte malũ, beatus ea spe uiuet, & calamitates omnes æquo animo feret. Ita tàm paucis, scilicet meditatione

tione læta mortis, & contemptu paupertatis, felices nos reddere posse arbitratur. Adijcit his duas alias rationes, quarum altera est non esse malum in dolore, is enim est quem maximè metuere solemus. nam diuturnus est non magnus, si magnus non diuturnus: at malum oportet, si formidabile esse debet, magnum fore ac diuturnum. Altera, quòd quæ præterita sunt, iam non sunt mala: quinimo eorum memoria dulcis atq; iucunda est. Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Præsentia quoq; mala torquere hominem non debent, momentaneũ enim est quod præsens est. nec quisquam tàm grauem fert dolorem, qui si speraret statim bene se habiturum, non modo non patienter ferret dolorem illum, sed qui nõ lætaretur. Verùm omnes ob id dolent, quod perseuerantiam metuunt, & ingruentia deteriora, quam quæ patiuntur. Et ideo malorum causa tota pendet ex expectatione futurorum, non ex præsentibus aut præteritis. Verùm de futuris etiã torqueri non debemus, quòd omnia futura sint incerta. Et quantumuis certa sint, non adeò unquam certa erũt, (ut ipse inquit) quin hoc certius sit, futurum incertum esse.

Verùm hæc Senecæ opinio multifariam manca est peccatq;. Omitto nunc quod ad stylum attinet, nam & Cicero ait, multum conferre ad persuadendum, ut res fide dignæ etiam ornatè dicantur. Si mors inter indifferentia reponitur, ad quid perpetuò in ea meditari? si inter mala, ad quid totam uitam perdere in tàm tristi contem-

contemplatione, ut momenti terrorem effugias? quem etiam non sic effugies: aliud enim est res, aliud uerba: aliud ratio dictat, aliud corpus sentit. Itaq; *stultissimam eam opinionem, & ex atra bile ortam existimo.* Erat *is positus in maximo mœrore, dum has scriberet episto las: metuebat enim sibi iratum* Neronem, *ac suprema minitantem, ideò semetipsum his nugis nitebatur consolari.* Verùm *mittamus hæc, unum sat habeo egregiè insanum hoc esse argumentum, ut ille dicebat:* Dic *rogo quis furor est, ne moriare mori?* Quod *si semel mori ne moriaris furor est, quanta maior amentia insaniaq; plenissima, millies mori quotidie, ne semel moriaris, atq; id etiam non obtinere: imò ne id quidem, ut tunc à metu mortis sis liber.* Accessit *huic errori longè maior impietas, absurditas ac nequitia: impietas quidē quòd* Dei *non meminit, sed omnia ad stultam, uanam & incertam quandam sapientiam, gloriæq; breuissimæ expectationem refert: non* Dei *prouidentiæ, non beneficiorum memor.* Sed *quænam sapientia sine* Theologia, *philosophia naturali, mathematicis, ullius quoq; artis cognitione, sed solum ut mori sciamus: tanquam si ad ea quæ refert de tollerantia, non multi canes tranquillo magis animo, quā hi sui sapientes ac fortes uiri perferant mortem.* Videntur *igitur hæc non minus absurda quàm impia.* Sed *quid absurdius, cum toties mortis meditationem inculcet, animum mortalem tamen esse dicat? quod si uerum adhuc esset, mali rhetoris officio*

fungeretur: at nunc cum falsum sit, quid stultius aut magis intempestiuè excogitari potuit? Hortatur nos ad mortem, & nihil à morte superfuturum persuadet. Quis tam amens? nisi omnino non solum improbus sit, sed de diuina bonitate diffidat, qui malit non esse quam esse, etsi in maximis miserijs sit constitutus? Nequitiam uerò & improbitatem summam illis suis in epistolis ostendit, cum in tot præceptis suis, neq; liberalitatis in amicos, neq; misericordiæ in pauperes, nec ullius penè uirtutis, quæ ad societatem humanam spectet meminerit. Sed omnia ad solitudinem, tollerantiam ac ferinam illam uitam referat. Fortuito id factum dices? nil minus: sed uafro consilio, animoq; quo semper fuit. Cupiebat libros suos legi, addictus inani illi opinioni uanæ gloriæ post mortem adipiscendæ, sperabat id maximè consecuturum, si ea quæ neminem grauarent, intermisceret. Nam diuites, ob stylum Epicuriq; intermixtas sentẽtias, (forsan plus de seipso persuasus quam decuit) existimabat gratam habituros lectionem suarum epistolarum, si nihil intermisceretur, quod illis molestum esset, non ut usuras remitterent, amicis largirentur, pauperes pecunijs iuuarent, impotentium iniurias ulciscerentur, iustitiam defenderent, castè moderateq; uiuerent. Sed puerilem quandã, ac omnino insanam speciem paupertatis suadet, dignam potius risu, quam Philosophiæ præceptis. Pauperes etiã ad leuandas miserias (quanquam ut dixi sanè frigidis argutiolis)

lis)

lis) in earum epistolarum lectionem pro nos futuros sperabat. Ita uir hic pessimus omnia ad commodũ proprium uertens, & Dei & hominum oblitus est. Vnde etiam illud quod Cicero & reliqui oratores referunt, ei ad persuadendum defuit: opinio scilicet bona de rhetoris uita. nam qualis hic homo, qui de paupertate tolleranda, uerba facit? qui non toto quadriennio Neronis amicitiæ septuagies & quinquies centena millia aureorum coronatorum congessit? totam Italiam fœnore exhauriens? uiduarum testamenta captans? Suillij accusator, Neronis adulator, conscius paricidij illius, aut saltẽ laudator, quod defendere scelestissimum fuisset. Illud omnino omni scelere maius, & cuius meritò non satis iustas luit pœnas, ut in Neronis Encomio diximus, quod Neronem suæ commissum fidei, & in salutem humani generis illi traditum, non curauerit in Philosophia erudire, ut diutius illum, quemadmodum Tacitus refert, in sui admiratione, contineret. O hominem omni latrone peiorem, Catilina scelestiorem, qui ob sui commodum, neq; necessarium, neque magnum, nec laude dignum, totum humanum genus perdere sustinuerit? qui tot flagitiorum, cædiumq́; quas ille perpetrauit, causam præbuit? Sed hæc mittamus: satis sit dictum Senecam (nam sine præfatione talem uirum nominare non decet) etiamsi quæ scripsisset uerisimilia fuissent, fide dignum his in disputationibus censeri non posse. Nam quis credat paupertatem laudanti, cum

 ipse

ipſe tantum opum, tamq́; iniuſtè congeſſerit? quis probitatem, cum fuerit proditor ſui diſcipuli? quis bonos mores, Stoicaq́; dogmata, cum palàm eſſet Epicureus? Itaque nobis qui hæc potius uitæ genere, quàm præceptis probauimus, id muneris maximè conuenire uiſum eſt, & ut certam rationem beatitatis uitæ institueremus noſtro exemplo omnibus cõmunem: utq; ea quàm paucißimis indigeret, ſufficeret autẽ undequaq;, quonam meliore modo, aut qua uia excogitari potuit, quã ut aduerſis pro commodis meremur? nam cum uita noſtra, aut ſecundis, aut aduerſis plena ſit, ſed omnibus plura ſunt aduerſa quam ſecunda, plerisq; etiam longè plura ſunt aduerſa ſecundis, ſi aduerſis commodè & ad utilitatẽ noſtrã uti ſciuerimus, nemini fermè modus bene beateq; uiuendi deerit. Conſtat ſanè hoc argumentum longè aliud eſſe ab eo, quod docet aduerſa eſſe utilia optandaq́;, aut ſaltẽ ferenda, quodq́; docet quónam pacto ferenda extenuandaq́; ſint aduerſa, ſi eueniant, atq; quomodo quàm commodißimè ferri poßint, utq́; ex eis utilitatem capere liceat, quod propriè præſentis inſtituti intentum eſt. Quinq; enim cum ſint circa calamitates conſyderanda, primum, quòd bonæ ſint et utiles, ſecundum quòd indifferenter, ambo hæc paradoxa ſunt, & ad humanas actiones inutilia: quin etiam ſolis Philoſophis atq; Chriſtianis accommodata, & de quibus in libris de conſolatione actũ eſt, & à Stoicis atq; religioſis uiris abundè tractatum. Reliqua tria ad præ-
ſentem

sentem attinent institutionem, utilia quidem hominibus, & minimè à sensibus humanis ciuiliq́; negociatione aliena. Hæc autem sunt, quomodo quis calamitatem ingruentem euitare posit, aut declinare uel imminuere: quomodo ubi superuenerit, eam facilius, et cum minore periculo iacturaq́; tollerare: demum quomodo ex ea commoda consequi posit. Vnaquæq; enim calamitas, nisi admodum sæua sit, uiperæ asimilatur: in qua fel oculis humanis saluberrimum continet, quod si quis promptè eruat, plus commodi ex illo, quàm ex tota uipera incommodi consequetur. Conandum est igitur ut hæc omnia promptè inuenire, & consequi possimus. Præsertim hoc ultimum, scilicet modũ expiscandi commoda. Etenim hoc ipsum ad quotidianas actiones, et ciuilem uitam maximè accommodatum est. Prudentes enim uiri, & præcipuè exercituum duces, non meliorem ansam felicitatis & gloriæ, quã mediocrem aliquam calamitatem inuenere. Inde Cæsar imperium orbis adeptus est, prius uictus à Pompeio, & ex hac clade nactus occasionẽ tàm insignis uictoriæ. nã priore casu Pompeius animatus, ausus est ancipitem spem certæ uictoriæ anteferre. Sic Annibal uictus, funditus Romanum exercitum iuxta Cannas deleuit, ut contrà Annibalis damna Romanos euexerunt. Camillus ex exilio summus Imperator & patriæ liberator euasit. Agathocles Syracusis obsessus, multas ex ea necesitate gloriosasq́; uictorias consecutus est. At uerò & uita-

re aduersa, & imminuere & lenire solatijs; quis negare potest non esse prudentis uiri officium? Octauianus Augustus, & Tiberius Cæsar amissis filijs ad urbana negocia, & res imperij se transtulerunt. Alij in hortos concesserunt. Quidam fortiter aduersa tulere, quidam non. At qui ea libenter tulerunt, ex belli ducibus nullum exemplũ inuenio, nec minus ex priuatis ciuibus. Annibal & Philopœmen fortiter tulerunt supremæ diei aduentum. Decij, Martius Cato Vticensis mortem ultro expetiuere. Turpiter, cum dignissimi nece essent Perses & Iugurtha, pro eis deprecati sunt. Sed qui libenter, qui alacriter tulerint, nullum exemplum inuenio. Socrates summus Philosophus, & spontanea paupertate insignis, mortem fortiter tulit, alacriter nequaquam. Videtur igitur Philosophia fortẽ efficere posse aduersus paupertatem atq; alacrem, aduersus luctum filiorum, ac propriam mortem uix fortẽ efficere posse. Multum igitur debent inter se fortiter ferre calamitates, & eas inter bona habere, sed multo magis debẽt calamitates existimare bonas et utiles, aut docere quomodo ex calamitatibus bona atq; utilia consequamur. Illud etiam animaduertendum, quod quæ consolatione indigent, rarò possunt esse utilia, & quæ ad utilitatem conuerti possunt, parum indigent consolatione, dispar ergo non solum tractatio hæc est, sed fermè in contrarijs constituta. Sed & res ipsæ ad diuersos pertinent, laudare enim aduersa, facundi rhetoris munus est, for-

titer

titer ferre generosi animi, aut diuinæ sapientis, utilitatem ex eis excipere, prudentis.

Differt etiam hoc argumentum plurimum à defensione, cum in ea persuadere nitimur, in aduersis nihil mali esse repositum. atq; id per aliquot calamitatũ genera discurrendo euidens est. Insania defendi & laudari potest, quòd præteritorum malorum memoriam auferat, præsentium sensum tollat, imminentium sententiam non admittat. Omitto quòd Erasmus in declamatione illa stultitiæ tantis eam laudibus illustrarit, ut maximè stultitiæ fauisse uideatur. At quomodo tamen ex stultitia aut insania utilitatem aliquam colligere liceat, nondum potui inuenire. Extrema quoq; senectus aliqua in se continet bona, scientiã multarum rerum, uenerationem, admirationem, prudentiam auget, multas à nobis perturbationes, tùm animi, tùm corporis extinguit, magni doloris metum in morte aufert: nemo tamen ex ea ætate fructum capere euidentẽ docere poterit. Omnia deniq; mala laudari, aut ut non sint mala defendi possunt, ut tamen liceat ex ipsis omnibus fructum utilem colligere fieri nõ potest. Nam ex Phthoe, Carcinomate magno, resolutione, accusatione læsæ maiestatis, cum in uinculis fueris (è quibus tametsi innocens euadas, excarnificatus tamen & parum superuicturus exibis) nunquam utilitatem capere licebit. At contra è uitijs plurimis utilitates consequuntur, nullum tamen uitium laudem potest promereri. Multum

tum igitur intereſt inter laudationẽ, defenſionemq́; caſuum atq; malorum, ac illorum prudentem tractationem, quæ in tribus, ut dixi, conſiſtit: in uitando ac minuendo illa, in ferendo leuiter, ac ut ita dicam, deliniendo, tertio in utilitatis quæ ex eis haberi poteſt, tum commodorum inuentione.

Primum igitur ſcire oportet in unoquoq; genere, quid fieri poßit, quid non. Veluti ſenectus ineuitabilis: leniri tamen poſſunt illius incommoda, atq; utilitas ex ea captari poteſt. Mors ineuitabilis, nec cõmoda licet ex ea capere, nec lenire illius atrocitatem, niſi quatenus dicamus, Vincula facilius uitari poſſunt quàm leniri, aut utilitatem capere. In uniuerſum malorum genera duo prima ſunt, intimum & externum, utrunque neceßitate & magnitudine definitur. Externorum duplex eſt genus, aliud propriè externum, ac cõſenſu omnium tale dijudicatur: atq; id ad fortunæ arbitriũ pertinet: aliud quaſi mediũ, quod corpori accidit: corpus enim nulla pars eſt noſtri, nobis tamen communicat. Atq; cum his omnibus eueniat ut ſint perpetua, maxima & ineuitabilia: quas conditiones palàm eſt exitialibus malis conuenire. Alia uerò mixti generis. Erunt ergo ſimplicium malorum genera decem, atq; inſuper unum quod ex pluribus conſtat. Hæc mihi breuißima & abſolutißima malorum diuiſio uiſa eſt: uelut dicamus, intima mala ſunt, aut neceßaria, aut perpetua, aut maxima. Neceſſaria quidem ut perturbationes: maxima ut

ma ut insania: perpetuum autẽ nullum est genere. nam si esset, animus non esset bonum quippiam. Externorum maximum est luctus, necessarium miserum esse, aut inuideri, perpetuum carere securitate. Mediorum autem necessarium mors, maximum sensuum priuatio, perpetuum senectus: hæc enim ubi aduenerit, semper in deterius labitur: uidentur ergo corporis mala omnibus deteriora, quòd externa non adeò nos tangunt, & mutari possunt, intima autem non percipiantur à nobis. et ob id neq; nos torquent, nec uitari aut minui, nec leniri possunt: nec quicquam ex illis boni excerpere, aut consequi licet. Quæ uerò nec maxima nec perpetua sunt, neq; genere neq; numero, tametsi sint necessaria, decimum constituunt genus. Mixta autem, uelut, si quis senex, æger, & pauper sit, aliquid magni mali feret ex omnibus. Et si unumquodq; ex his per se tollerabile esset. Verùm omnium horum ratio ex simplicibus cõstat. Itaq; uidentur tantũ octo superesse modi, de quibus sit consyderandum. Iam uerò si quis etiã omnia animi mala tollat, & necessaria quæ nec magna sint, nec perpetua fient, cum decimo genere, id est eorũ quæ nec perpetua sunt, nec maxima, quinq; in uniuersum genera. Sed hoc quintum genus, quoniam & maximum & perpetuum esse potest, licet non tale natura sit, ut dolor ac paupertas, erunt septem rursus genera, de quibus erit disputandum: nam mors præter id quod est malum necessarium, maximum etiam est. Porrò ne-

cessaria

cessaria sunt ineluctabilia, differri tamē nonnunquam possunt, ut uerò necessaria nil prohibet ipsa, quin leniri poßint. talia quoq; minuere licet, non tamen quæ maxima sunt. In *uniuersum necessitas omne admittit auxilium. præterquã quod ne eueniat, prohibere possit. Maxima nec utilitatis ansam præbent, nec uitari possunt, delinire tamen eorum sensum licet. Perpetua tollere non possumus, sed eandem subeunt legē, quam quæ necessaria sunt.*

Itaq; ut singula iam diligentius percurramus, cum non ex omnibus malis ansam utilitatis capere liceat, nam non solum maximis, sed etiã cum minima fuerint fructũ non capias, uel si plura sint & mediocria, ut superius diximus. Hæc enim implicant animum; illa non mouent, nec meliorem efficiunt, aut prudentiorem hominem. Generaliter autem quousq; hominē obruunt, prorsus sunt inutilia, seu multitudine, seu magnitudine ipsorum malorum, seu ipsius hominis mollitie, aut imprudentia uel metu, aut quouis alio modo. Quæ igitur in ipso homine sunt, omnia sunt huius generis: insania, ira, timor, stultitia, inuidia, imperitia. non enim ex his fructum aliquem omnino decerpere licet: nam cum in animo sint, animum obruunt, atq; ideò hominē: homo enim animus est. cũ enim, ut medici dicunt, à sana parte sanetur morbosa, qui fieri poterit, ubi totus ægrotet homo, ut à seipso sanari poßit? Quædam uerò sui magnitudine obruũt, ut morbi ualidi, extremaq; senectus,

maximè,

maximè, si orbitate aut prauis filijs oneretur. nam incõmoda illa nec tolli, nec leniri possunt, nec ex his utilitatem possumus ullam sperare. Diuturnitas etiam calamitatis molles animos penitus enecat. Multi etiam natura, uel educatione effœminati, uel imperiti, aut ad iram nimiũ proni aduersis franguntur, & concidunt, tantum abest, ut utilitatem aliquã ex his consequi possint. Vnde tales ex malo in malum, ex infortunio in infortunium transeunt, dum priora excutere nituntur. Hinc alijs miserabiles uoces & eiulatus, alijs exitiale fatum finem imponit. Ergo quæ maximè ad consequendam utilitatem ex aduersis faciunt, hæc sunt: Primùm fortitudo, deinde prudentia, inde rerum experientia, parataq; ante ex his ad ingruentes casus auxilia, ex opibus, amicis, autoritate, robore corporis, exercitatione: demum ut quæ hic scripta sunt diligenter perlegerit, ac diutius pensitauerit, didiceritq;, præcepta non solum mente comprehendens, sed sæpius exercendo ea tractare, & ad usum accõmodare assuescat, tùm maximè quòd multa sint, quæ nulla arte scribi possunt, aut præceptis doceri. Quapropter & plurimũ ad hoc confert ingeniũ uiri, aliæq; animi illius dotes, ac promptitudo quædã ad ciuilia negocia. Tum uerò regina illa humanorũ casuum fortuna, in omnibus multum potest.

Ergo cum in his experientia opus sit maximè, expertis credendum est. Eosq; dignos censeri, qui de talibus scribant, qui etiam uitæ genere, ac patientia doctri

nam

nam testantur et confirmant. Ob id ergo peropportunum mihi fuit, ac maximè decens, cuius totus uitæ cursus calamitatibus plenus fuit, adeò ut necesse sit, si quicquam mihi faustum ac felix contigerit, caprifici instar radices in calamitatibus protulisse. Quod si cui etiam per infortunia uita diu, ut nobis per gloriosa certamina ducta est, difficile tamen fuerit admodum bene scribere de his, cum exercitatum ad scribendum huiusmodi argumentum ualde requirat hominem. ob id non nisi incerto genere quidam scripserunt, ac quasi de parte huius argumenti. Primum quidem quod sciam Cicero in libris de Consolatione in morte filiæ Tulliolæ qui perierunt: & de senectute quem habemus, atq; utinam totum hoc argumentum complexus esset: hac enim nos molestia careremus, & ampliorẽ colligerent homines fructum ex ea, quàm nostra lectione. Forsan et Officiorum libri ad hoc pertinent, & de finibus bonorum. Verùm nemo exquisitè hoc nostrum institutum uidetur esse complexus, sed omnes circa contemplationẽ illam uersati sunt: quid bonum, quid malum, & quis finis, taliáq; eiusmodi: non autem ad opus ipsum, atq; ciuilẽ uitã peruenimus, ea supponentes, quæ unicuiq; sunt perspicua, commoda scilicet esse bona, incommoda autem mala. Nõ multo pòst successit Seneca, de quo diximus, uir qui maluit in perpetua mortis sollicitudine uiuere, quàm pauper in trãquillitate: nemo enim dubitare potest, quòd si, ut Poëta ait, Senecæ prædiuitis hortos Nero non

ro non concupiſſet, ſi in priſtina uita atq; humili conſtitiſſet, aut rediſſet ſaltem, non ſibi conflatã fuiſſe inuidiam, nec uocatum in coniuratione̅, uel ſaltem illius ſuſpitionem: nec potentiam illius principi formidabilem. Veruntamen *ut ille homo fuerit malus, epiſtolæ illæ multum huic argumento conducunt, nec ille fraudandus gloria, nec nos furtum quaſi admittere debemus, quinimò liberè fateamur multum ex ea lectione iuuatos: uerſatur tame̅ ut antea declaraui, fermè totus in hoc argumento, mortem non eſſe malum, atq; ideò nullum eſſe malum, quandoquidem morte ipſa omnia incommoda effugere liceat.* Aliud *eſt magis abſurdum, & planè impium, ſapiente̅ non debere metuere* Deos, *quòd illi non potentiores ſint ſapiente: quandoquidem ſapiens à* Deo *ſola perpetuitate differat: imò minus, ut ita dicam, hac in parte differt, ſi hominis animam exiſtimemus immortalem: uerum differt à* Deo, *quòd non perfectus eſt, nihil uere nouit, omnibus indiget quod ſecurus non eſt, ſed comisq; alijs.* Itaq; *cum planè deliret in his, non tamen quæ bene ſcripſit ob hoc derelinquere decet: præſertim quòd ea ſapientia licet ingrato aduenerit, non tamen inuito* Deo, *imò & ſponte tribuere.* Quamobrem *qui bene dicta uiui improbi damnat, ſuæ ſortis ignarus eſſe uidetur, omnes enim ſumus improbi, ſed magnitudine plurimu̅ nunc ab altero differt.* Is *ergo mala ſatis compendioſa diuiſione partitus eſt: in mortem, paupertatem, & externam uiolentiam.*

Satis breuiter apteq́;, ac forsan etiam pro suo instituto sufficienter: at non pro nostro, qui quomodo illa in unoquoq́; præstare poßimus, quæ præposuimus docere aggredimur, scilicet quomodo uitari, declinari aut minui poßint? quomodo commodius aut leniter ferri? demum quàm utilitatem ex unoquoq; genere, & quomodo decerpere liceat.

Porrò utilitas huius operis, ut reor, non mediocris cuique futura est, non enim hoc dedicare propositum est, ut paupertatem operibus, orbitatem filijs, inimicos amicis, paradoxa struendo cōparare uelim: absit, penè enim amentiæ hoc genus uidebitur his, qui nō perfectè iam ad diuina penetrauerint: sed si quis multitudinem occasionum bene generandæ rei ex aduersis cū exiguitate commodorum, magnitudini illorū quæ adeò rarò nobis ex felicitate ipsa adueniunt, comparare uelit: & hunc quasi cumulum & aceruum integro frusto, maiorem ex aduersis quam secundis rebus fructū colligere posse nos intelliget. Quem etsi perexiguum esse contendas, dum illum qualisusq; sit aspernanti, nihil maius assequeris, colligenti nihil amittis, colligere melius fuerit quam aspernari. Etenim si quis alea perdat centum aureos coronatos, inde mutata sorte decem tantum recuperet, collusore se subducente, nunquid decem illos uir prudens quos recuperauit abijciet? Quin etiam, quod sæpe dixi, animaduertat nostra omnia ex minimis conflari, nihil esse integrū apud mortales, maxima quæq;


quæq; ab exiguis ducere originem: non solum minima ne pereāt sollicitus erit, sed ad quascunq; occasiones bonas captādas, & lucra quantūuis exigua colligēda, diligentiā et curā adhibebit. Tum uerò illud accedit, quòd quemadmodum qui sorbilando bibunt, non adeò delectantur, ut qui sæpè ac sensim parum hauriūt: ita bona paulatim congesta magis nos delectant, quam quæ confertim adueniunt. Vt etiam ab amaris edulijs potus dulcißimi apparent: ita ex aduersis secunda, ex calamitatibus prospera, ex iacturis lucra suauißima esse uidentur. Atq; id in re merito, cum quæ nobis confertim, ac quasi insperato bona adueniunt, fœtus fortunæ existimantur, quæ sic multis laboribus ex calamitosis decerpuntur nostris propriè, industriæq; nostræ. Ergo tùm ex comparatione ad præcedentem animi uexationem, tùm quòd quæ sensim parantur, sæpè renouata uoluptate magis delectant: quod natura nostra nouitate præsertim quæ grata sit, & uoluptatē afferat gaudet: tùm quia natura ex industria nostraq; uirtute, quæ sic parantur, parta etiam esse uidentur: tùm quòd nunquam fermè hæc occasio desit, illa uerò rara admodū, quibusdam autem nūquam aduenit, & collectus aceruus sæpè magna illa fortunæ blandientis munera, quòd rara sint superare solet, his tot causis hæc doctrina de utilitate ex aduersis capienda, sed & alijs etiam plurimis, quas inferius docebimus præstātißima est, atq; hominū generi maximè accommodata. Sic diues, eruditus, fama cele

bris, cuncta habeas, nisi ad aduersa uitanda, declinãda, minuenda, leniter ferenda, decerpendamq; ex his utilitatem paratus sis, fortuna opes turbabit, tempora ut præsentia fauebunt imperitiæ, fama multis casibus & personatis uiris nutabit, gloria gestorum conuellet, amici peribũt, filij improbi euadent, ut omnibus huius contemplationis, tametsi non semper futura sit una necessitas, nec contemni poterit nisi ab his qui parum experti ex ætate, parum prudentes natura, parumq; naturæ gnari ob imperitiam & malam educationem, non mutuò hæc fortunæ dona accepisse se putant, sed quasi connata nunquam mutari posse credunt.

Verùm si quis humana reputet, maxima nostræ felicitatis pars, ac fermè in omnibus ex contrarijs ortum habet: Delitiæ ex dolore, uoluptas ex indigentia, gaudia ex sollicitudinibus nascuntur. Vbi quis salebrosam uiam superauit, ubi naufragiũ euasit, ubi filius ex graui morbo sanatus est, tùm lætitia maxima affici solemus, nihil curamur aut mouemur, si nihil horum præcesserit. Atq; ob id qui opes industria pararunt, sibi quasi gratulantur, & felices multo magis se esse putant: quam si in opulentia nati essent. Cum tamen hi nullas molestias in uita senserint, illi uerò plurimas. Thesaurorum autem inuentio ob id nos plurimum delectat, quòd non solum pristinam paupertatem depellimus, sed quia Deorum donum esse uideatur. atq; ob id etiam nos dijs gratos esse persuademus. quod certè si

ita

ita esset? præstantior esset muneris causa, maioreq́; in pretio habenda munere ipso. Itaque omnes hac institutione indigere uidentur pauperes, siquidem quorũ maximus est numerus, ob paupertatem ipsam. Diuites *quoq; ob ipsas diuitias multis cõflictantur modis: grandine, furtis, fuga debitorum, sed fac ut nihil horum eueniat, aut si euenerit minimè torqueat, uel ob immensitatem opum, uel hominis liberalitatem, id ne impetrabis ne lis te non discruciet, aut filius improbus torqueat, uel odium principis, uel morbus, uel alia quæpiã mala crux? Sed etsi nihil horum adsit, adhuc poteris etiã sine suspitione, sine timore, qui te omnino non torqueat uiuere? poteris euadere calumnias, iniurias, probra quorundam petulantium? uerum fas, quod fieri non potest unquam, ut omnia secundent, nónne uel senio conficieris tandem, uel iuuenis morieris? quorũ utrunq; miserrimum. qui enim senio confectus est, iam mortem ad horas quasusq; præ foribus stantem habet: qui iuuenis moritur, urgetur eo quod procul abesse existimabat. Itaq; nisi his præceptis munitus sis, & multo plura, & longè maiora incommoda senties, quàm sensurus esses in uita: & grauius illa te torquebunt, nec licebit ex his incommodis aliquam utilitatem colligere.* Verum *si aptè his rationibus utaris, & multas & diuturnas commoditates capies & etiam magnas.* Cum *enim uitam hominum contemplaris, inuenies honores, potentiam, diuitias, reliquaq́; maiora fortunæ dona, ex aduer-*



sis & calamitatibus ortum habuisse.

Sed non eodem modo, neq; eadem facilitate licet ex omnibus malorum generibus utilitatem consequi. nam ex maximis & leuibus malis ac intimis, minus ac maiore cum difficultate solemus utilitatis capere. Ex animi igitur morbis nullam prorsus, ut dictum est, nec ex his qui corporis cum sint, animo tamẽ propiores sunt, uelut comitiali & obliuione. Difficulter etiam ex magnis corporis infortunijs: ut carcere graui, tormentis morbisq; atrocibus, raroq; consequi utilitatem, etsi cõsequaris, leuißimam atq; inconstantem licet. Quatuor enim modis mala malis deteriora sunt, si facilè eueniãt: si magna sint ac grauia, si perpetua, si plurima, at contra bona bonis præstant fermè ijsdem rationibus. Ergo etiam in corporeis detrimentis magnum discrimen est: ea tamen generaliter fortunæ malis peiora sunt. Sed et in his rursus differentia non leuis, quædã enim magis nos tangunt: ut filij parentesq; & uxor, tùm diuitiæ, sed honor & contemptus propiora nobis esse uidentur diuitijs & paupertate: hæc autem magis quàm serui uel amici inimiciúe. Ex huiusmodi, quo maiora sunt, eo maiores utilitates capere licet. nam ubi minima fuerint, nos nõ mouent. Ex intimis si sint mediocria, à magnis enim aut multis simul obruimur. In cæteris quæ media habentur, si magna sint admodum, sed non in extremo, fructum maiorẽ excerpere licet, simul enim & nos mouent, & alios in admirationem trahunt. Terminus

igitur

igitur omnium horum est, ut maximè moueant nos, nec terreant aut obruant, sic enim obstupescimus in maximis calamitatibus atque concidimus. Nec tamen adeò putes me insanire, ut uelim te subire maiora mala, ut utilitatem egregiam consequaris. quæ enim per se sunt, multo ampliora sunt his, quæ quasi ex industria nos facimus. Dico uix fieri posse, et maximè in his, quæ omnino à nobis non sunt aliena, ut bona sint detrimentis comparanda, ne dum æquanda. Quare caue diligenter, ne mala tibi asciscas, ut post modum horum librorum fructum consequaris. Quinimo ut iam sæpè admonui, id cura quam diligentißimè, ut surgentia inhibeas, minuas atq; declines: declinare uoco, cum id agis, ut licet euenerint, quam minimum ad te pertineant. quo maximè præsidio uti solemus, cũ mali genus externum ac quasi commune est.

Quisquis ergo non prorsus est infœlix (atq; sub hoc genere maxima pars hominũ comprehenditur) maximam partẽ suæ felicitatis ex aduersis colligere se posse intelliget. nam ut medici præclara illa antidota ex deleterijs componere consueuerunt: ita nihil in humana uita tàm utile, tàm uenustum, quam quod ex malis bonisq; simul conflatur. Sanitas post magnum morbum, culta paupertas, filij ab orbitate, quies post longam uexationem, inimicorum reconciliatio, reditus à peregrinatione, atq; huiusmodi quàm plurima. Ergo nihil tàm suaue est hominibus, quam ex malis transire ad bo

na, & ex aduersis utilia colligere. Nihil tàm commune mortalibus, quam ex obscœnis atq; neglectis optima quæq; sibi parare rusticorũ more, qui ex cœno ac fimo sordidioribusq́; alijs, quæ nec nominare fas puto, uberrimum segetum, leguminum, fructuumq́; prouentum colligere solent. Ostendit ipsa rerum series nihil tàm familiare aut frequens, quã ex bonis mala, ex malis bona oriri. ibi summum persæpe incõmodum, ubi atq; unde maximam sperabas felicitatem. Contrà in aduersis ac penè desperatis casibus occasiones diuitiarum, splendoris, nominis tui, ac deniq; salutis. Quæ maximè opportuna sperabamus, exitialia sæpè experimur, & contrà quæ exitialia opportuna. Nil tam perpetuum nobis ut uicißitudo rerum ac mutatio, nihilq́; prorsus esse perpetuum. Soleo humanas res hancq́; totam machinam sublunarem, & quæusq; in ea contingunt, cereæ massæ aßimilare, in qua dum comprimitur, tubera in cauitates euadunt, caua protuberãt, formæ omnes uariantur, modo in similes, modo dißimiles transeunt, pulchras, fœdas, aspectu horribiles aut iucundas. Quæ ut conspicua sint in huiusmodi exemplo ob temporis breuitatẽ: ita si quis longum illius spatium, quod tamen breue est, sed uitæ humanæ comparatione longum uidetur, consyderet, quòd latet nos, & admiratione dignum forte uideri multis posset, etiam manifestè ita se habere uidebit. Non referã nunc exempla quæ in alijs libris scripsimus, hoc unum satis sit pro omnibus, ita omnia mille

annorum

annorum, aut paulo plurium cursu mutata, ut non solum principis cuiusquam, imò ne ullius quidem egregij aut potentis uiri stirps agnoscatur, adeò ut cum tot Romanos, Græcos, aliosq; famosos uiros ex historijs fuisse certò sciamus, nullius autem horum descendentes uideamus, dubitare quis meritò poßit hos, qui nunc extant, non ab alijs hominibus, sed ex terra, ut quidam referunt, aut ex lapidibus originem duxisse. Ergo ut ad rem redeam, cum mutationes, ut Philosophi dicunt, ex contrarijs & in contraria fiant, ubi genus qualitatis mutatū fuerit, ex bonis mala, ex malis bona orientur, uideturq; mihi natura hoc quodam egregio exemplo, atq; maius aliquid expreßisse. nam in montibus nobiliorum metallorum, ac gemmarum argumenta læuibus quibusdam indicijs expreßit, quasi innueret in malorum aggeribus persæpè (non enim semper) felicitatis thesauros latitare, quos si quis non cōtemnat, futurum ut labore ac industria maximas opes cōsequatur. Vtq; ex uili habitu, ac fœdo ministerio diuitiæ comparātur immensæ: sic ex malorum aceruis sæpius perpetua gloria, & iucunda uita deducitur. Cū igitur malorum nobis tanta sit copia, bonorum tàm rarus prouentus, ille rectè instructus ad humana negocia, ad ueram uitam, ad felicitatem comparandam solum dici poterit, qui malis bene nouerit uti, atq; ex illis utilitatem decerpere: quòd præter commoda quæ adeò multiplicia sunt, ut nulla hora fermè, nedum dies ab his uacua futura sit,

 illud

illud suauißimum uidebitur collegisse propria industria atq; labore, tùm adeò opportunè bona ex his quæ plurimum obesse iure meritò timere poteramus, eaq; in rem nostram uertisse ac commodum, quæ quisq; tanquam peßima ægrè sustinuisset. Atq; ex hoc etiam sublata spe, æmulis tùm inimicis noceri posse, cum uiderint nos aduersis tanquam secundis feliciter uti. Quid postea dicam de gloria, de laude quæ hanc tantam prudentiam, tantamq; dexteritatem in rebus arduis ac difficilibus tractandis consequitur.

Sed cũ, ut dici solet, suus cuiq; sit asylus, obijciet aliquis multa ad hæc. Primum quòd felices & præsertim diuites talia & contemnunt, et iucundam uitã ducunt. Verum hi quanquam sibi felices uideantur, miserrimi tamen sunt, & mortalium conditionẽ ignorant. accidit autem eis quippiam nõ absimile, quod filijs eorum qui alienas possessiones cõduxerunt: cum enim dum pueri sunt, patrem colligentẽ fructus colonisq; imperantẽ uident, existimantes fundos eos esse suos, lætantur, at ubi adoleuerint, nihil suum esse præter laborẽ animaduertentes, uehementur tristantur & dolent. Ita si quis hæc bona cõducta reputet esse sua errore proprio, felix est, sed ubi quod euenire necessariũ est, uero domino reposcẽte illa, aliena esse resciuerit, angitur multo uehementius, non solũ quòd omnia repẽtina mala magis nos torqueant uelut insperata, sed quoniam hominẽ imparatũ ad pondus subeundũ reperiũt. Præterea qui sic tanquã de bonis

de bonis suis securi uiuunt, nec quid sit malum, quid calamitas, experti sunt, non norũt quid sit iucundum aut dulce, nec percipiũt ex eo quã habent uoluptatẽ. Quis enim dulcedinem opũ percipiet, nisi expertus paupertatis, aut sanitatis, nisi morbo oppressus? aut quietis, nisi qui uel in mari fluctuauerit, aut ab inimicis uexatus fuerit? Et hoc quoniã nostra felicitas, ut rectè definiunt Epicuræi, in indolentia seu ἀπαθίᾳ consistit. At hanc priuationẽ non nisi cõparatione eorũ quæ sunt, uelut tenebras lucis, & surditatẽ auditus, & carceres libertatis, unquã percipere poteris. Propterea ergo uoluptatẽ in ortu filiorũ primogenitorũ, omnes non leuẽ percipimus, quoniam nemo statim ab initio filios adeptus est, ut opes & sanitatẽ quæ contigit pluribus simul adesse nascentibus. filij etiam ipsi aliquid sunt, præter id quòd nobis adesse necessarium sit. Sed nec qui ab ortu ipso sic felices nati fuerint, his propter quæ felices esse existimãtur, uti noscere possunt. Sed si opes habeãt, aut profundũt nimiũ, atq; sic cito ad paupertatẽ deueniũt, aut nõ audent omnino uti, timẽtes quod nesciũt. Quòd ergo plures se sine hac disciplina felices existimẽt, non id mouere nos debet, sed præstat scire, an sine ea esse poßint felices. nam & stultorũ magnus numerus (scilicet eorum qui lætã stultitiam patiũtur) felicẽ se credit, alij principes, alij diuites se existimãtes, cũ sint forte mẽdici: nemo tamẽ ob id illorũ conditionẽ subire uelit, nõ solũ quòd uerè beata nõ sit, sed quòd, quod non est, credendo

dendo decipiantur. Itaq; non ſolum utilis eſt hæc cogni tio ad felicitatem conſequendam in aduerſis, uerùm ad fruendum bonis neceſſaria. Sed hæc infra clarius oſtendemus.

Alij aiunt, hæc omnibus naturaliter comperta eſſe, uſuq; magis quam doctrina conſtare: nam plures ex his qui literas non norunt ad maximam potentiam eue buntur, quam ex eruditis, plenos etiam eſſe libros his nugis, ſic enim hanc diſciplinam appellans, ut iam locus non ſit uacandi huiuſmodi præceptis. Quinimò aiunt quidam, doce Medicinam, Geometriã, Arithmeticam, totq; alias inſignes artes, propòſitum tuum laudabimus, libros tuos euoluemus, aliquid ex te in his diſcere poſſe fatemur? hic quid doces, aut quos uel cur? Num tu tanta hac tua ſapientia, atq; tàm præclara non omnibus adhuc miſerijs oppreſſus es? tantus artifex nõ ſibi conſulere poteſt? non tu in diuitijs, non tu in honoribus, in amicis, in filijs fortunatus es? Si diu uixiſti, ſi incolumis, debes hoc naturæ, aut ſi modo aliquid tribuere tibi ipſi uis, debes medicæ arti, non morum inſtitutioni. Hæc atq; alia plura obijci mihi ſimilia poſſe ſentio. uerum neque ob hæc fractus, non deſiſtam, quin quibus poſſum modis humanum genus iuuem: nihil primum in huiuſmodi argumento ſcriptum eſſe cõtendo, aut ſi modo ſcriptum ſit paucis in partibus ac exiguis: at totum ipſum de quo nũc agitur intactum adhuc eſt, ſed ſi modo etiam multa ſcripta eſſent, aut non bene

omnino

omnino aut bene, sed non quantum oportuit, etsi quidam ornatius, nónne etiam melius si quis dicat, alius autem ornatius qui melius dixerit anteferendus erit? Sed cedat res quouis modo, pium est propositũ iuuare mortales, illosq; ab erroribus liberare. Nec quisquam mihi obijciat casus aduersos, illud potius laudet ac admiretur, quomodo cum tot aduersis neq; fractus animo sim, nec mœstus uiuam, nec ad ullum turpe obsequium redactus, nec etiam miser. Nec mihi defuerunt maiorum occasiones, si eas inter bona numerassem. Scribimus autem hæc succisiuis horis, ac ut ille dicebat:

Synthesibus dum gaudet eques dominusq; senatus
Dumq́; decent nostrum pilea sumpta Iouem.

Sic nobis ocium hoc nostrum utiliter cõsumere placet, genioq́; nostro paremus. Vtrum uerò aliquibus profuturum sit haud dubito: uidemus enim & canoros prænatura arte fieri meliores, & pugiles arte reddi præstantiores, & bonos studijs philosophiæ proficere, atq; in omnibus hoc idem obseruamus. Quid enim aliud est disciplina libris tradita, quam meditatio absoluta? an uerò sine meditatione rectè agere nobis perpetuò licebit? imò uix paucis in rebus collimare continget. Timeo ne mihi obijcias, hæc esse præcepta puerilia, nam & in scholis quædam carmina Catonis nomine leguntur huiusmodi argumenti? At cur non etiam damnas quæ Aristoteles in morali Philosophia scripsit, si tàm humilis & abiecta est hæc doctrina? uerùm nego quicquam

quam simile his, quæ hic traduntur in libris scriptum esse. Atq; id etiam nego, naturã plus aut tantum posse in huiusmodi quantum artẽ, uelut nec in musica, nec architectura, aut alijs quæ arte ulla cõstant. Sed & plura scriptis his in hac lectione exercitato, ad singulas occasiones agendorum præcepta emergent, quibus infinitæ illi casuũ uarietati satisfacies. Sed cur uideantur aliqui sola natura magis profecisse, cur etiã nemo his artibus factus sit opulentus, cur nos non maximos honores simus consecuti, licet artem calleamus, nunc audi. Primũ quidem ad nostram causam facit, cũ adeò hæc ars utilis sit, ut qui eam etiam absq; disciplina & præceptis exercuerint, magnum commodũ ex ea consequantur. Inde etiam id contingit, quòd ars generalior est & certior, natura autẽ promptior ad casus repentinos nos efficit, ut nescias quid horũ sit præstantius ad finẽ consequendum. Hoc unum tamen certũ est, utrũq; simul plus posse, & neutrum illorum per se perfectum esse. Quinimò qui sola natura duce è magnis casibus euasêre, tandem tamẽ miserabiliter periêre: ut Iulius Cæsar, Castrucius, Valentinus Gorgia, & ante hos omnes Romulus. Vsus sum exemplis in hac tractatione aut autoritatibus ad hunc usq; locum, quòd res quæ tractantur in usu sint quotidiano, & pertritæ apud omnes. Rara et admiranda rationibus, autoritatibus ac exemplis fulciemus: ita iucũdior, clarior simul ac breuior hæc historia euadet. Præterea qui natura duce id nacti sunt, non idem sunt consecuti,

consecuti, quod non docemus, scilicet ueram felicitatem, sed quasi ipsius felicitatis simulachrum. Opes adepti sunt, sed non tranquillitatem, prudentiæ opinionem, sed non prudentiam, potentiam, sed non securitatem, regnum, sed non facti sunt reges, laudem, sed non gloriam, socios multos scelerum, sed nullos amicos. Itaque quod illi agunt, nec tutum est, nec laude dignum, nec omninò bonum. Quapropter nec nostri instituti est omnes eas artes tradere, quæ ad potentiam & opes parandas, amicosq; conciliandos faciunt, sed eas solum quæ ad felicitatē sanctæ atq; honestæ sunt. Si enim paucis licet intentum assequi, cur id potius non assequemur, quàm multis laboribus illa, quibus etiam adeptis adhuc laborandum est? Scio artes esse tyrannicas, de quibus nimiū in libris de sapientia egimus: plectimurq; iustè ob id diuino iudicio. quapropter leniter ex meritò quicquid patiare ferendum est. Sed simplicitate nimiā aberrauimus. neq; enim hoc intelligebamus, idem esse sapientiam, felicitatem & probitatem, atq; uirtutem. Audieramus sæpè hæc, maximè à Stoicis, sed cum res ipsa paradoxa uideretur, multiq; contradicerent, nec ullus, quamuis subtilibus argumentis, quos συλλογισμοὺς uocant, abundare se profiteantur, id satis probauerit, uitā uerò eorum à sententia hac ualde alienā non credebamus. Itaq; postquam hæc intelleximus, felicitatem & tranquillitatem quàm breuiori uia licuit quæsiuimus. Omnia illa relinquentes quæ nos remorarentur.

morarentur. stultum enim si cum iter agas equum quærere, qui te multis ac magnis saltibus, ut te homines admirentur exagitet, nec ad hospitium sit ducturus ea die, alium uerò qui deducturus sit spernere. Et rursus breui calle relicto, ut amicos cõuenias, dum cauponam non potes attingere, latronum periculo te exponere. Cum enim eò ætatis peruenissem, ut uel ad felicitatem, uel ad opes & breuem hunc fastum peruenire non possem, malui felicitatem atque tranquillitatem sequi, quam turbulentam illam & laboriosam opum, atq; honorum præposterorum adeptionem. Et quamuis hæc obfutura filijs poßit obijcere, nos tamen maius et proprium, & certum bonum alieno incerto, atq; minori anteponere decuit. Itaq; propositum nostrũ in hoc opere est, uiam quomodolibet potentibus, ac miseris diuitibus, ac pauperibus ad felicitatem aperire, atq; etiam cum his ut omnia bona, quæ ad hanc felicitatẽ faciunt, qui non habent adipiscantur: hi modò exigua, alij magna maximaq́; pro cuiusq; conditionis ratione.

At dices, nónne eadem absq; his calamitatibus nobis parare licebit? Quædam etiam facilius & melius, quædam autem non: atq; in quibus parare licebit, non hoc uolumus ut calamitates subeant, ut expiscentur inde lucelli aliquid, sed postquam subierint, habeant quo recreentur. At multa sunt quæ absq; malo bona haberi non possunt. Nec Cyrus, si modò uera est historia, nec Romulus, nec Castrutius eò potentiæ peruenissent, si

expositi

expositi non fuissent, si non in paupertate educati. Nec corporea uoluptas absq; dolore, uidemus ante coitum lentiginem, ante auræ suauitatem calorē, ante scalpendi delectationem pruritū. Quies non sentitur nisi post laborem, somnus post uigilias, atque alia huiusmodi. Quamobrem et Musici hoc noscentes, crudam diatessaron ante diapente, & horridam eptaphonin ante diapason collocant. Ea enim est natura mortalium bonorum, ut semper in malis sedem habeant. Opes dum parantur in laboribus & iniustitia, conscientiaq; scelerū, dum partæ sunt in sollicitudine: uoluptates ut dixi in doloribus & anteacta miseria, honores in timore & cura, amicitiæ in tædio & suspitione, filij in metu, cura, iactura rei familiaris, potentia in periculis & inuidia. At quæ immortalia bona sunt in immortalibus, ea omnia cum summa etiam sunt uoluptate, atq; ideò ab his toto genere differunt. Quæ autem in nobis non eodem modo omnia. uirtus enim omnis, & dum paratur, & dum parta est cum uoluptate, est & iucunda, sapientia autem non ita, sed dum paratur, molesta & grauis est, parta uerò delectat sine ulla tristitiæ permixtione. In sapientia enim purum & merum gaudium repositum est.

Plurimi etiam obijcient, Theologos melius hæc docere posse ac persuadere? at id omnino falsum est. uersantur enim ut Philosophi solū circa ea quæ uulgo paradoxa uidentur: uelut amplectendam paupertatem, at

nos fugiendã docemus, illi morbos, contemptũ, aliasq; calamitates laudant, nos minimè, sed uitanda hæc omnia suademus, si fieri potest: aliter quomodo leuius perferantur docemus, aut quonam pacto malum bono pensando minora ac tollerabilia reddantur. ita ut uniuersum hoc nostrum institutum sit circa res & operationem: at Theologi solum disputant, res ipsas minimè mutant neq; tractant. Quo fit ut hæc argumenta plus differant inter se, quã nox à die. Quòd si quis rursus id pertritum in mediũ afferat: facilè cum ualemus nos ægris consilia dare. Non negabimus adeò miseram esse muneris conditionem nostram, ut multorum qui ægrotant aut orbi sunt, uel in carceribus, aut omnino miseri aut contempti: sed quid horum non fermè paßi sumus aliquando? et si quid nunc non patimur, beneficio id accidit constantiæ atq; uirtutis, tùm præsentis, tùm præteritæ, quas non negamus Deorum esse dona. Nemo inuidebit casibus nostris, uitæ multi, fortunæ pauci forsan possent. Sed quid ego hæc? suo loco per se nota erunt, ut non sit necessarium persuasoria oratione. Quid esse potest lætum seni, etiam si nihil aliud aduersum patiatur, modò uelit res æstimatione uulgi iudicare? At nos iam quinquagesimum octauum annum superuiximus, nec paupertas discessit, casuq; filij acerbißimo conflictati, nec quicquam ex principum amicitia acceßit. Et tamen cum his omnibus ita quieti uiuimus, ea cum animi tranquillitate, ut nec Metellus ille, quem unum pro

exemplo

exemplo felicitatis historici referunt, beatior uixerit. Ergo summus apex felicitatis in uirtute repositus est, ornamenta in fortunæ casibus, naturæq; liberalitate.

DE PRAEPARATIONE.



SED iam tempus est, ut de Præparatione agamus. Cum enim ad felicitatē assequendā duo maximè sint necessaria, bona atq; decora, & ut ab aduersis minimè lædaris, utrisq; horum tàm necessaria, quàm utilis scientia illa est quæ docet: quomodo bona ipsa dignoscamus, quomodo adipiscamur, utamur, ac quemadmodum illis aduersus mala ipsa nosmet muniamus. Principio igitur omissa disputatione de bonorum finibus ac paradoxis illis; cum paupertas morbi, orbitas cæteraq; huiusmodi bona sint: aut quòd felicitas in sola uirtute consistat, ea solum supponemus atque tractabimus, quæ sunt ab omnibus concessa: uelut illud quod qui amentes sunt, qui dormiunt quatenus tales sunt, nec felicitatis, nec infelicitatis sunt participes. Hæc est summa utriusque, absolutißimaque ratio, agnoscere se esse filicem aut infelicem, nemo inuidebit illi qui inter summas opes se miserum arbitretur & eiulet, animus ille solus est, qui felix est aut infelix. nisi uelis & uasa potoria esse felicia, matulas autem debere infelices appellari? Sunt mihi diuitiæ, forma corporis, amici,

filij: ista non sunt felicitatis pars, nisi ut ad animum referuntur. Atq; idem de miseria censere oportet, si habere ac poßidere non sunt felicitatis pars, nisi quatenus ad animum referuntur. Nec ualere nec robustum esse felicitatis partes sunt, nisi quatenus ad animum referūtur. Vt enim uestes corporis indumenta sunt, & ipsum exornant: ita corpus animi est indumentū, et uestes etiam animi indumenta, & ideò non magis homo infelix ob morbum aut paupertatem, quam ob uestes atq; similia: animi ergo participatione homo solū est infelix, si non ad animum penetret dolor, multo minus est infelix quā lapis aut equus. hi enim infelices non sunt, quoniā nec felices nec infelices esse possunt. At qui non dolet, non est infelix, quoniam causa infelicitatis abest. De Socrate cum in carcere perijt, rectè æstimantibus dubium nō est, si non doluit non fuisse infelicem. Hoc enim dubium non est, aliter omnes morientes essent infelices, sed an doluerit? An ergo debemus mala quæ in nobis nō sunt, ad nos sponte deducere? Etsi scabies aut elephantiasis, aut pestis in ueste est, illam quamuis alioqui pulchram, decoram & sumptuosam circūdare corpori, ut & nos eodem contagio afficiamur? quin potius erit à nobis quantumuis pretiosa sit, procul abijcienda? ita & corporis & fortunæ calamitates, atq; molestias non solum abijcere decet. sed si, ut dixi in ueste sint pretiosa, id est, diuitijs, filijs, patria, honoribus, ne contagium ad nos deueniat, ne animus molestia afficiatur, diuitias abijcere,

cere, si aliter fieri non poßit, patriam filiosq; relinquere, & honoribus renuntiare debemus. Hæc igitur sit prima ratio effugiendorum omnium malorum, atque aduersus calamitates nos præparandi.

Verùm ut etiam illis resistamus, & melius aduersa ferre aut declinare ualeamus: uelut in graui bello, in obsidione, alijsq; magnis periculis, nos munire decet, animi, corporis ac fortunæ bonis prius comparatis. Animum igitur cum omnibus uirtutibus munire expediat, tùm maximè fortitudine, prudentia & moderatione. Hæc habent natura, consuetudine, ratione, sed in fortitudine plus natura & consuetudo, quam ratio possunt: in moderatione consuetudo, inde natura, demum ratio: in prudentia ratio & consuetudo, demum natura. Vbi tamen natura omnino repugnet, nihil horum haberi potest, maximè fortitudo & moderatio. Aristoteles tamen in omnibus quæ ad uirtutem ac uitia pertinent, totum in educatione à teneris fermè constituit. Est autem moderatio alia à prudentia, quoniam multis accidit ob naturæ impetũ, ut occasione uti non poßint, aut modum rei imponere, dum prudenter omnia animaduerterint. In quem errorem nos sæpè incidimus. nam naturæ sum iracundæ, & sibi non omninò imperantis, sed præcipitis paululũ, & à perturbatione uictæ. Vt uerò usus plurimum conducit, ita maximè ab ipsa pueritia dũ educantur. Porrò ut ad rationis usum redeam, quoniam ea sola multiplex est, & in manibus

nostris, ideo diligentissimè pro fortitudine assequenda, quod omniũ quæ huic proposito necessaria sunt, difficillimum est, assuescendum, ut Seneca *rectè docet, ut de morte cogites. nam primum illa ceu communi ianua ef fugere omnes calamitates licet.* Et *hæc cum sit necessaria, tamen omnia exuperanter, ut ita dicam, continet propter quæ discruciamur. Pauper es? at non meministi cum morieris etiam quæ habes te deserturum?* Filius *aufugit? at non cum morieris illius consuetudine perpetuò es cariturus?* Mortuus *est amicus, an non cum morieris omnes amicos deseres? cum nunc uno duntaxat priuatus sis?* Ergo *mortis meditatio quæ nobis proxima instat, etiam si diu superfuturum te scire posses, cum ad præteritorum annorum memoriam, quam cito diffugerint, reuolueris, dissoluere omnem animi tristitiam fermè potest.* Fermè *dixi. quoniam nostris temporibus, atq; mihi quædam maiora morte acciderunt.* Velut *si cui filius uitam prauam degat, morte propria hoc quidem grauius est, maximè si unicus sit, nec hoc malum ipsa morte finitur.* Et *rursus duriora principum præcepta, quibus non solum fortunæ & uita in discrimen uocantur, sed etiam gloria & fama.* Ita *omnis ætas suas patitur calamitates, & suos quisq; patitur manes.* Sed *hæc alibi docuimus.* Illud *unum ex priore exemplo cognouimus, ne ulla calamitas sua utilitate careret, nullum dolorem, ut antea fermè dixeramus, maiorem esse animi molestia.* Nullus *morbus ubi non adsit mor-*

tis metus. nam hic ad animi dolorem non corporis attinet, æquare potest animi dolorem. Quapropter cum diuites non poßint esse uacui dolore animi, non etiam possunt esse securi ab infelicitate maxima, nec ullo modo magis quam pauperes. Quinimò cum animi dolor maior sit in diuitibus ac felicibus, quam pauperibus ac miseris. quippe in animum uacuum, dolor & molestia magis pedem figũt, & propagantur tanquam in puro solo: sequitur ut diuites ac felices cũ uexantur, sint pauperibus & miseris ipsis longè infeliciores. Sed et quod sanum est uehementius dolet, ita animus curis uacuus si quãdo opprimatur, redditur miserior. Ita in hoc acerbo dolore hæc mecum meditabar atq; concludebam, ut Deus conditionem nõ solum mortalium, sed etiam cunctarum rerum quæ sub cœlo sunt, æquasset. Quæ enim omnino non uiuunt, doloris pariter & uoluptatis ex æquo sunt participes. Quæ uiuunt nec sentiunt, et mortem & uitam absq; incommodo experiuntur. Quæ sentiunt, sed non cogitant, ut non uehementer malis conflictantur: ita nec uoluptatibus plurimum afficiuntur. Quæ intelligunt, si animi doloribus non assueuerint, mirum in modum cum curæ subeunt, quas subire necesse est in hac nostra uita, afficiuntur. Qui beati sunt bonis corporis atq; fortunæ, hi uacuũ habent animum à molestia. Ideò cum mors aut luctus, aut calamitas superuenerit, maximè dolent. Ergo ut breuiter concludam, summa felicitas & infelicitas, nisi uirtus aut ma-

xima aliqua fortuna ordinem peruertat, apud eosdem habitant. Ita stupidi & acuti sensu ex æquo in utroque genere, scilicet bonorum & malorum sumus. Sed iam propositum prætergredimur, ut ergo ad propositum redeam, non solum fortitudine, moderatione & prudentia animum cultum habere decet, uerùm omni alio uirtutum genere: comitate, liberalitate, iustitia, ac cæteris similibus, sed hæc ut illa, non ex æquo nos afficiunt, nec nobis sunt necessaria, nihilominus conandum est propter casuum ingruentium & fortunæ uarietatem, ut animum exornatum omni uirtutum genere habeamus. tùm etiam quod minus afficimur, etsi afficiamur, homines ad misericordiam magis commouentur ex calamitatibus nostris, atq; ideò magis etiam suppetias ferunt. Tribus igitur modis reliquæ aliæ uirtutes nobis auxilio sunt in aduersis perferendis, & quod minus homines improbi & æmuli, inimiciq; ad offendendum ob spectatam uirtutem bonamq; de nobis famam: & quod nos minus afficimur, & quòd nobis minus turpè sit casu, quàm propria culpa opprimi: demum quòd plures misericordia moti ad auxiliandum se conferant. Quòd si te supinum neq; uigilantem aduersus imminētia, nec repugnantem ac se tuentem uiderint, quinimò per singula genera uitiorum uitam otiosam ducere animaduerterint; rapiendo, fallendo, ira prouocando homines atq; iniurijs, calumnias ferendo, denique luxuriosè uiuendo, nónne omnes meritò te oderint, atque de tuis

calami-

calamitatibus gaudebunt? Dicentq; tibi illud pauci:

Leniter ex merito quicquid patiare, ferendum est.

At longè plures te clàm secum accusabunt: alius ruditatem, alius importunitatem, alius rusticitatem, socordiã, intempestiuam iracundiam, præposterum luxũ, stigmata inuidiæ, auaritiam obijciendo: alij irrisos, alij contemptos, alij se deceptos. Quid huic uiro boni etiam à consanguineis contingere poterit? At contrà, si probus & bene cultis moribus extiteris, laudabunt: alij humanitatem in uirtute & artis excellentia, comitatem in studioso, officia in paupere, continentiam in peccandi occasionibus, cultum in inopia, fidem in eo qui necessarijs indiget, atq; alia huiusmodi. Verùm triũ priorum uirtutum longè maior est usus. Vbi animum uirtutibus bonaq; opinione hominum exornaueris atq; muniueris, artis etiam cuiuspiam excellentia illum decorare oportet. nam ex ea tria maxima bona comparantur, amici potentes, lucrum & gloria non læuis. At longè melius est Cæsaris exemplo, qui cuiusdam ignobilis in alpibus oppidi mallebat esse primus, quam Romæ secundus. Melius est sutorem esse præstantißimum, quàm uulgarem Iurisconsultum, gregariumq; medicum. Vnde illa pulchra Epigrammatici Poëtæ querela:

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre uetusq; solum.
Prænestina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.

Rumpis & ardenti madidus crystalla falerno
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me literulas stulti docuere parentes.
Quid cum Grammaticis, Rhetoribusq́; mihi.
Frange leues calamos & scinde Thalia libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

Narratur de multis pictoribus ac statuarijs, qui maximum ex arte quæstum fecerunt: sed res notior est in dies, in quibuscunq; artibus, quã ut exemplis aut testimonijs indigeat. Sit satis hoc commune esse præcipuis artificibus, ut famam simul ac pecuniam amicitiamq; potentum sibi comparent. At uerò in omnibus obseruandum, ne linguæ mobilitas te præcipitẽ agat, nullibi maius periculum et facilior lapsus. propterea teipsum contineas, assuescasq́; pauca loqui, dicebat ille, in conuiuio. Nec quod nolis sciri cuiquam dixeris. Nota sunt quæ Arrianus dicit de temporibus suis, atq; Imperatorum exploratoribus. At nunc etiam non minus periculosum est loqui, quàm tunc fuerit, & error linguæ grauiore pœna punitur, quam facta scelerata: nec forsan immeritò, si quis non sanos mente excipiat. nam hæc naturæ procacitate fiunt cum uoluptate: ille petulantia & lenitate absq; uoluptate accidunt. O quam bene dixit quidam, etsi rudi camœna:

Virtutem primam scis esse compescere linguam.
Proximus ille Deo est qui scit ratione tacere.

Cum enim tria sint quibus uita nostra constat: cogitatio,

tatio, sermo, actio: actiones semper ad utilitatem nostram dirigendæ sunt, cogitationes autem de omnibus esse debent, tàm his quæ nobis sunt utilia, quam quæ aduersantur: sermo uerò ut ei placeat ad quem dirigitur. ob id blandus, lenis, clarus, in rebus leuibus ambiguus, in periculosis semper breuis & modestus, tanto uerò longior cogitatio.

Vbi animum rectè ad omnia comparatum habueris, ad corporis etiam robur & incolumitatem transeundum est, ita assuesces laboribus & moderatæ uictus rationi, ut nihil tibi cum medicis sit negocij. Lucra quæ corpori obesse possunt, amicitias, quanto magis uoluptates, &, ut breuiter dicam, quamcunq; occasionem corporis commodis inimicam sperne & deuita. Sit uictus simplex, & ex rebus quæ non facilè putrent: etsi dura sint, mande diligenter, & moderatè utaris. Cibi sint pro somni ratione, potus autem ciborum. A cibo quiesce, antea te exerce. Lætus uiue. nam nihil est quod adeò hominem perdat, quam tristitia. Et tamen ea nihil tuis rebus adijcit commodi, nec leuat ulla ex parte calamitates ipsas. In aëre salubri degas, fugias consuetudinem prauorum, inimicorum, otiosorum, loquacium & infelicium. Praui semper obsunt, etiamsi beneuolos se simulent, sæpeq; accidit ut in discrimen famæ & fortunarum, ac uitæ ob illos, tametsi innocẽs, noceris. Inimicorum consuetudo illis suspecta; tibi periculosa est. Otiosi tibi quod preciosissimum omnium

est, &

est,& cuius etiam est maxima inopia suffurantur,tempus scilicet.Vnde etiam occasiones gerendarum rerum sæpè labuntur magno damno tuo.Loquaces te stultum reddunt ac sibi similem,quod,ut dixi, periculum sæpè, utilitatem nunquam affert.Demū infœlices quasi contagio quodam,socios etiam eodem infortunio afficere solent.Hic uerò dubitatione dignum est,an omnino aliquod animi uitium poßit esse utile?nec quærimus idem de honesto.nam nullum uitium honestum esse potest, at nec turpè,ut dixi,uolumus esse. cui enim magis arridet quæstus & potentia quam honestum, is aliam constituat uiuendi rationem. Nos omnia utilia amplectimur quæ turpia non sint.Turpia appello furari, fallere,inuidere,mentiri,iniustè quicquam agere, auarum esse,crudelem.Ergo illud nunc quæritur,an uitium aliquod sit utile,nec turpè tamen? utile dico ei qui uitio illo non caret,nō turpè,quoniam nemo ex eò læditur, imò forsan plurimis utilis est. Esse autem unicum tantum duco,quod partim uitio, partim umbra uitij constat. Atq; illud est simulatio iræ in eò, qui maximam habet potestatem in subditos: ut summus magistratus in ciuitate,dux apud milites,paterfamilias in suos domesticos,filios,seruos,famulos. Nam cum necesse sit plures esse errores quam pœnas,ne homo crudelitatis opinionem subeat,& cuius etiam nonnunquam pœnitere esset necesse,iræ simulatio subditos suo imperio prohibet à peccando, & in leuiter delinquentes pro suppli-

cio

tio est. Porrò simulatio uitium est, & iræ species uitij umbra, neq; enim irasci uerè conuenit. nam ira furor est breuis, & multorum errorum causa esse potest: quinetiam perturbat animum & hominem lædit. iræ igitur simulatione ad coërcendos leues errores, tùm petulantiam & lasciuiam quorundam, indigemus. Nec hoc fallere est, licet fallantur qui metuunt, in alios tamen non adeò conuenit eam exercere, sed pro ratione animorum: ut in uxorẽ, fratres, minores, nonnunquam etiam beneuolos, in potentiores nunquam, nisi amoris uinculo fretus. Verùm qui amat quatenus amat, eo qui amatur inferior est. Atq; adeò id notum est omnibus, ut non solum meretrices nil frequẽtius agant, quam iram simulare, sed & filij multi improbi, & pueri adamati, & ueteres famuli. At hoc non caret turpitudine, nisi causa ipsa fuerit honestißima.

Fortunæ etiam bonis munire se oportet: ea autem docere oportet quæ non omnibus adeò nota sunt, & facilè parantur. nam docere ea quæ nota sunt omnibus, difficulter autem parantur, uelut quod potentem & opulentum esse oportet, nihil magnum aut arduum in se continet. Quæ ergo faciliter parantur, & plurimum prosunt, & non adeò pertrita sunt, in duobus uersantur generibus: affinitate scilicet atq; amicitia. de affinitate ergo quæ plus amicitiæ conferre solet, siquidem affines etiam plerunq; amici sunt, & cum hoc sanguine coniuncti, unumq; habent commune decus, scilicet &

cet & dedecus,cōtumeliam & honorem, ignominiam & gloriam,prius dicendum erit. Ergo cum affinitates coniugijs parentur, si uxor contingat agnatis cognatisq; potens, si diues, si proba,si sapiens, si fœcunda, quantum affert emolumentum? Ex affinium potentia, conciliatur ipsi coniugi potētia:ex opibus uxoris opes ipsi coniugi:ex probitate securitas, ex sapientia felicitas,ex fœcunditate maxima uoluptas,magnumq; in senectute commodum: quinetiam ex omnibus istis filiorum bona indoles,& educatio oritur, tùm uerò ex his omnibus sapientiæ opinio,ac demum magnus cumulus bonorum,ex quo tranquillitas humana cōstat. Quamobrem maxima pars humanæ sapientiæ, maximumq; exemplum eius,tùm felicitatis ratio in ducenda uxore commoda cōsistit.nec aliud quippiam maius est in uita humana,proximum huic est gloria perennis, tertium uitæ prolixitas,ultimum mors leuis. His quatuor cumulus beatitatis mortalium absoluitur. Itaq; ex hoc id perspicuum etiam fit, oportere eum qui tranquillam uitam uelit ducere,omnino bene constitutam domum habere:scilicet amore,timore ac fide,tùm prudētia:prioribus tribus erga dominum,ultimo erga omnes. Difficillima enim res est intestina pugna,nihilq; tetrius quā foris atq; intus oppugnari, & dum pugnas post terga tuta non habere:dumq; à pugna redis, omnia domi nō inuenire pacata durißimum est. Et quamuis Socrates Xantippen tulerit morosam admodum fœminam, fuit

potius

potius insignis constantiæ exemplum, quam eius qui suam rem cupiat bene gerere. Et forsan ad mortem ea patientia impulit, dum ferendo paupertatem, uxorem, æmulos, in atram bilem incidit. Nam mors illa quæsita ab eo sponte potius, quam ab alijs ui illata mihi uidetur. Nam quid attinebat post damnationem primam, in qua nec morte nec exilio, sed pauca pecunia solum mulctabatur, iudices criminari atq; irritare? potuit enim uel pecuniolam illam soluere, quam nec ipse, sed amici certatim offerentes soluturi erant, aut misericordia iudices flectendo absolui. Etsi hoc durum uidebatur, aut ad impetrandum difficile, in prima sententia quæ grauis non erat, permanere. Sed existimo tædio uitæ actum, quod iam septuagesimum ingressus annum nihil illi ex sententia cæderet. Paupertas magna, uxor morosa, filij duo paruuli, natu autem maximus, quod credo illum præcipuè torsisse, nihili adolescens, nec arte ulla instructus ob patris paupertatem, nec natura ad uirtutem satis idoneus. Vnde illud extimuit, ne senio labentibus sensibus destitueretur ab amicis, atque ita ab omni gloria parta decideret. Maluit ergo generosa aliqua morte se à tantis incommodis liberari, ac simul maximam (quod & obtinuit) inimicis, imò toti urbi inuidiam conflare, atq; filijs ipsis melius consulere. amici namq; illius ob memoriam tanti uiri recentem, & casum illius miserati, eos alendos susceperunt, artesq; ut docerentur curauerunt, quorum alterum, scilicet edu-

catio

catio ipsi Socrati si uixisset, grauior fuisset: reliquum autem Socrate uiuente indecorum. Nam quòd ad iudicium attinet, non erat cur mori uellet. cum inimici eius hoc solum quæsierint, ut tantum eius existimationem iudicio illo scelerato imminuerent. Publica enim autoritas quantumuis iniqua, frangit priuatorum autoritatem. Atq; hæc de uxore, illiusq; commodis dicta sint.

Nunc ad amicitiam transeo, omittam autem rara, atq; ideò eam partem, quæ solum cognitionẽ mutuam quandam amplectitur. Loquar autem tantum de uera amicitia atq; beneuolentia, quæ amicitiæ simillima est, sed aut non adeò perfecta est atq; absoluta, licet inter pares sit, aut est inter omnino dispares conditione: ut inter dominum & famulum, uel clientẽ, aut inter principem atq; ciuem. Sunt autem in utrisque tria scitu necessaria: scilicet quinã pro amicis deligendi sint, quomodo conciliandi, quomodo illis utendum sit. Videtur autem amicitia idea quædam Platonis, quæ nusquam uerè sit, sed tamen ad illius similitudinẽ atq; imaginem multæ societates fingantur ac conformentur. Itaq; satis obscurè omnes de illa tractarunt. Verùm nos pro facultate conabimur quædam præcepta docere, cum nondum mihi contigerit duos homines amicitia coniunctos uidere. atq; ea quæ de Pylade & Oreste, Theseo & Pyrithoo, Achille & Panoclo, Aenea & Achate arbitror falsa fuisse. Forsan tamen aliqui fuere, ut Damon & Pythias Pythagoræ discipuli, Alexander &

Ephestion,

Ephestion, Tiberius Gracchus & Blosius, C. Gracchus & Pomponius atq; Lectorius, M. Lucullus & Volumnius, D. Brutus ac Terentius, M. Brutus atq; Lucilius, nam quod referunt de Scipione Aphricano maiore ac Lælio, ego eos uix inter amicos referã. cum Scipio Lælio, ne Imperator exercitus crearetur, pro fratre suo obstiterit. utcunq; sit, quod iam sæpè dixi, alijs in causis etiam in hac una referant, facilè est exempla amicitiæ inuenire, ubi mortem homines contemnant, nam & diuitias & reliqua commoda parui facient. At hac nostra ætate tàm molli, difficillimum esset amicitiæ ueræ exempla inuenire. De Diocletiano, Maximianoq; Imperatoribus satis constat. Referũt & Longobardorum temporibus quendam sanctulum atq; Diaconum fuisse amicos. At nostra ætas nihil tale, uel in hoc uel alio uirtutum genere ostendere potest, quanquam & de præteritis multos mentiri in huiusmodi exemplis suspicer. nec nisi ea ratione dicta amicos inueniri credam. Quicquid sit amicitiæ idonei sunt, qui nec uitam nec opes magnifaciunt, simplices & in affectibus uehementes. siquidem amicitia affectus est uehemens. Qui uerò tristes sunt & parua curantes, ad amicitiam sunt inepti: instabiles quoq; & qui de se nimium pollicentur. Pares etiam quantum licet ac similes ætate, fortuna, moribusq; eligere decet, arte autem non ita. Est enim in adagio, figulus odit figulum. Efficaces quoq; uiros & impigros magis quã segnes & futiles. eosq; qui non adeò

cum pluribus uersantur. tales enim ad familiaritatem potius quam ad amicitiam sunt idonei.

Vbi uerò delegeris quos assumas, cõcilianda est amicitia, ea quatuor principaliter causis conflatur: consuetudine, uoluptate, spe utilitatis & morum ut dixi, ac naturæ similitudine. Hominum enim actiones, uoluptate, utilitate, natura atq; consuetudine constant. Natura ut sint simillimi ætate, ut dixi, fortunis, affectibus, atque moribus. naturaliter enim hæc conciliant amicitiam, licet non omnia hæc naturalia sint, ut diuitiæ, quæ casu constant aut prudentia. Ita & mores partim, & maxima ex parte, ut dixi, educatione. Consuetudo uerò parit beneuolentiam, & ex beneuolentia amor & amicitia generantur. Itaq; et absentia diuturna dissoluit amicitiam, nisi sit admodum arcta atq; perfecta. Vix autem fieri potest, etiamsi nil aliud intercedat, ut inter bonos & æquales diuturna consuetudo nõ pariat perfectam amicitiam. Præsertim quòd diuturnam consuetudinem cum pluribus difficile est retinere. Si igitur ad amicitiam natura aptus sit, quam uerisimile est cum alijs magis contraxisse amicitiam, quam cum eò cum quo semper uiuit? Accedit illud quod nisi ea consuetudine admodum delectaretur, non tàm diu in ea perseuerasset. Quinimò & illud ad rem facit, quod etsi ea conuersatio ab initio non admodum delectasset, cõsuetudine fit iucundior. Velut enim insuetum uinum, mucidum, odore fastidimus, idem ubi ei assueuerimus, ferimus: ita cõ-

suetudo

ſuetudo aufert omnem ſenſum uitiorum in amicis,modo non ſint uitia magna & rediuiua, ut ita dicam,uelut ebrietas,furtum,latrocinium. Conandum eſt igitur ut conſuetudinem illam ab initio & diligenter colamus,& alterius feramus. Id ergo agemus, ut uoluptate illum quaſi perfundamus ac delectemus:in uitijs autem eius quaſi conniueamus. Delectamus autem hominem non una ratione,ſed pro illius natura,affectibus atque cõſuetudine. At iam ſuppoſueramus ipſum eſſe uirum probum: itaq; operibus ſecundum uirtutem primo illum delectabimus. Deinde eiſdem ſtudijs ſapientiæ, hiſtoriarum,narrationum,ciuilium actionum, iocis,uenatione. luſus autem ad beneuolentiam plus quam neceſſe ſit affert,ad amicitiam nõ conuenit,quoniam humilis ac ſordidi quippiam continet. Aleæ autem luſus & pecuniarum multarum, nec huic nec illi idoneus, niſi cum principibus, ut Cicero refert de Antonio his uerbis: Licinium lenticulam de alea condemnatum col luſorem ſuum reſtituit. Phil.2.a Et alibi: Agrum hunc tu com- Phil.5.a pranſoribus tuis & colluſoribus diuidebas. Alibi queſtus eſt colluſores in iudices eligi. Itaq; ut apud principes ludus beneuolentiam perſæpè,familiaritatem ſemper parit:ita inter priuatos ſi pecuniam multam uiceris,odium nanciſceris,ſi uincaris contemptum, ut minus utilis ſit hæc conuerſatio, omitto modo quòd parum decora,& minimè honeſta ſit. At luſus qui fit non intercedentibus pecunijs cum amicitia eſſe poteſt,ami-

citiam parere non poteſt, ſed beneuolentiam: talis plerunq; latrunculorum certamen ac pugna. at commeſſare comprandereq; ad familiaritatē & beneuolentiam, atq; etiam amicitiā uia ſatis trita eſſe ſolet. Hominum enim genus, ut etiam Homerus teſtatur, conuiuijs gaudet, adeò ut etiam hanc conſuetudinem ad Deos transferat. itaq; & iucunditate & hilaritate & iocis, commeſſationibus, ludis, ornatu domus, hortorum, ciuilibus deniq; actionibus, narrationibus, ſocietate, ſapientiæ præceptis hominem delectare debes. ut multis uijs ac piſcium exemplo retibus ſimul circumuētus, in amicitiæ fiſcellam et piſcariam deueniat. Vltimum quod ad utilitatem pertinet, multa genera finium habet, alius enim quærit diuitias, alius potentiam, alius ſapientiam, quidam gloriam uel famam uel filios, aut eorum cuſtodiam: omnia tamen unà ratione conſequimur, ſcilicet officiorum, de qua cum Cicero ſufficienter, & accuratè tribus libris ſcripſerit, nihil aliud ſupereſt, quàm ut eos libros quos ad inſtituendum filium unicum confecit, diligenter perlegas. Illud ſanè conſtat, officijs homines deuinciri, uel ad gratiam uel ad amicitiam. Verùm quæ ſunt ſecundum uirtutem, & in probos ſtabilem, et perfectam gignunt amicitiam. Virtus enim natura ſua ſempiterna eſt, & bonum in nobis diuinum: reliqua tempore & pro occaſionibus marceſcunt. Eſt uerò inter amicitiæ fœdera, non uulgare hoſpitij ius quòd inuidia uacet, quale apud Scotos: nam apud nos rarius

eſt,

est, & omnes iam ad cauponas diuertunt. Argumentumq; id est, nos factos deteriores maioribus nostris. In uniuersum ergo amicos sibi parare oportet efficaces, officiosos & probos, æquales, non undequaq; tibi sed qua parte deficis potentiores, qua præstas inferiores: ut quemadmodum in urbe bene instituta nihil deficiat aut abundet, neq; unum aut duos solũ, sed aliquanto plures, non tamen multos, ne tot non poßis officijs respondere: & cum in contrarios casus deuenerint, cogaris & tu contrarijs affectibus ac personis, fabulam imitari. At beneuolorum non adeò arctæ leges, minus clientium ac multo minus familiarium. Adulatores autem his omnibus contrarij sunt, ac quasi uenenum & pestis. Adulator enim neq; amicus, nec beneuolus, nec clitus aut familiaris, sed inimicus sub amici persona: atque ideo exitiale uenenum, nec adulatorem esse ullo modo honestum est, nec admittere utile uel securum. Dicemus autem infrà de his. Sed nunc præstat de beneuolis agere: eos non ut amicos pares, sed potentiores eligere debemus, ut minore uinculo idem dare poßint, quod amici non adeo splendida fortuna. Recipere autem beneficium debemus, non solum quia indigemus, sed quòd recipiendo illi nos magis amant. neq; aliud est in causa quòd filios magis amamus quam illi nos, nisi quod eis beneficia conferimus, non illi nobis, & ab his in perpetuum speramus produci posse stirpẽ nostram, non illi à nobis. Amare autem potentes debemus tùm

maximè, ut beneficium rependamus: illi nobis bona dant, amant autem parum, quod ob ambitionem existiment se digniores ut amentur quam ut ament, nos autem contra amabimus, beneficia autem amoris loco recipiemus. melius etiam est amare quam amari, ut Aristoteles inquit, ut cognoscere quã cognosci. Siquidem amare & cognoscere solum nobiliorum sunt animalium, amari autem & cognosci etiam inanimatis conueniunt. In animando enim uoluptas est, amari autem non nisi ex beneficio notũ nobis est. Quapropter cum illi non recipere, sed potius præstare beneficium cupiant, nos autem potius recipere quam præstare parati simus, inde orta ratio adulandi, at nos, ut diximus, adulari non debemus. officijs ergo res hæc absoluentur, ut sunt: salutare, inuisere, præsto esse cum ægrotãt, cum litigant, cum iter acturi sunt, cum operam tuam desyderant, cum tristitia aliqua uel felicitate insigni afficiuntur, plura præstare quam polliceri, absentis famã tueri, admonere de insidijs, de his qui gloriæ illius inuident, pecuniam suam fideliter tractare, uili pretio emere necessaria, & quæ illi placent optima quærere. Eos qui in illum peccant leuiter, maximè quos diligit seorsum monere, curare ne quæ sunt in domo corrumpantur, uinum, triticum, fœnum, uestes. Ita multis modis placere potentibus ingenuè possumus. Quomodo autem cum his tùm amicis agendum sit etiam docere oportet. Multi enim amicis & beneuolis perperam

utuntur,

utuntur, aut quoniam nulli usui, ob timorem subrusticumq́; pudorem illis sunt, aut quia his utuntur, quæ uel minimo pretio possent redimi absq; illorum opera, uel etiamsi pereant minimum afferunt detrimēti, uel quia ardua nimis expetunt, unde deiecti non solum ipsis dedecus, sed his qui pro eis laborarunt, conciliatur. ideoq́; odisse incipiunt, qui antea impensè amabant, aut demum quoniam nimis aut ambitiosi, aut áuari aßiduam operam beneuolentium & amicorum exigunt, unde illos tædio atq; fastidio afficiunt, impudentiamq́; suam detegunt. Primum igitur si quis amicos habeat atq; beneuolos, uti autē non audeat in necessarijs, aut pudeat, cui nam usui illi erunt? Verùm deterius erit si ab ijsdem imprudenter aut inuerecundè, quæ ad illos non pertinent, aut supra uires suas sunt requirat, aut sinistrè opera illorū utatur: uelut si à medico, requirat socios ad rixam, & à Iurisconsulto paupere pecunias mutuo petat. Nam pudebit illum negare quod præstare non poterit: ita uelut in domestica suppellectile, neq; lancibus utimur ad hauriendum uinum, nec cirnea ad carnes in mensam deferendas, ita maximè scire expedit quibus in rebus amici singuli idonei sint natura, arte, instituto, conditione, fortuna affinitatibus atque agnatis, tùm amicis ac similibus. Si enim quis amicum requirat, ut à communi inimico quicquam exoret, nónne propè stultus erit? quæretq́; id frustra, quod etiam illi à quo requiritur graue atq; molestū erit? Itaq; neq; de minimis

illos uexare, neq; de his quæ in eorum non sunt potesta te, nec de alienis ab usu eorum expedit, præterquam in summis discriminibus, ubi magnitudo periculi nos excusat: ut si de uita nostra, uel filij uel parentis, uel omnium fortunarum amißione, uel quòd proditionis in simulemur, licebit nobis etiam quæ ipsi per se non possint rogare, ueniaq́; digni sumus, etiamsi illi non impetrauerint. At non idem pro consequendo magistratu, aut emolumento aliquo mediocri. plebeium enim est rogare amicum ut alium roget, stultum uerò ut etiam ad tertiam personã deueniat. Verùm amici amicorum causa & beneuoli etiam (si modo honestum est quod petitur) amicos non rogati rogant, rogareq́; tenentur. Pro amico enim amicus omnia agere non solum, sed etiam tentare debet. præsertim quod pro amico minore cum rubore, quam pro nobismet intercedimus. Aßiduè autem amicos ac beneuolos fastidire, ni fortunæ sæuientis, & ipsius aßiduè lusus sit, nõ solum impudentis est sed inutile, cum amicitiam abrumpat persæpè, & illos ad officia segniores reddat. Est enim beneuolentia, ut & reliquæ res mortales una ex his, quæ usu uelut cotes nimio atteruntur, non adeo amicitia, sed & qui illa perperam utitur id agit, quod qui opibus atq; potẽtia ad cædes aliaq́; nephanda scelera abutuntur.

Cæterum in conseruanda amicitia atq; beneuolẽtia eadem est ratio quæ in comparanda. utq; omnium præceptorum iam dictorum sis memor, illud etiam adijce

quod

quod Seneca in epistolis scripsit: Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius uenefica carmine: si uis amari ama. An uerò amicũ increpare peccantem liceat? Respondit Cicero pro nobis dicens: Nulla est amicitia, cum alter uerum audire non uult, alter ad mentiendum paratus est. Si igitur amicum delegisti qualem oportet, audiet te libenter illum accusantem, sed non nisi certa lege. Primum ut seorsum moneas, non ut uidearis illi pædagogus palàm. Secundum ut de re magna. hoc enim curiosi est non amici leuia sectari peccata, ne ille respondere poßit:

Tu cum sis quod ego, & fortaßis nequior, ultro insectere uelut melior.


Tertium ut certum sit id de quo arguis, ne in duplex uitium incidas, & ut damnes innocentem, et magis alij quam amico credere uidearis. Quartum ut culpa sua id acciderit. nam criminari quæ sinistrè acciderint, uel etiam minus honesta uideantur, imò quæ flagitiosa iudicantur, ac amicum de eo reprehendere cum casu id contigerit, uel alterius culpa, adulatoris munus est, aut nimis ambitiosi, uel stulti planè uiri, ut iustè tuæ poßit renuntiare amicitiæ. Necesse est etiam ne res ea sit, in quam non facilè relabere poßit. nam accusare præterita, præsertim apud amicum, quæ mutari non possunt minimè licet, hoc accusamus quod ne eueniat cauere oportet. Quod igitur amplius euenire non potest, non est reprehendendum. In his etiam quæ reprehendere

uolumus & ratio facti, & personæ et temporis haben da est. importunè enim etiamsi maximè peccauerit in luctu filij, etiamsi eum occiderit, reprehendes. Alios qui sunt iracundiores leuiter, & uix unquam acerbè in magna calamitate, si non potes auxilium ferre, uel si non ea calamitas illi ex inueterato flagitio euenerit: ut in adulteris, amatoribus puerorum, lusoribus aleæ. Sed quomodo cum huiuscemodi uiris amicitiam iure contrahere potueris, tu ipse uide? Quamobrem uix da tur occasio amicum recta ratione reprehendendi, mul to minus beneuolum, nam illum nunquam de his, quæ uel te non scire putat, uel non uulgari cupit reprehendes. reprehendes solum in his quæ ad artem tuam perti nent: ut si medicus sis, de uictus ratione, nam illa secus ei ignota est, si architectus, quod ruinæ domus non obstet: si uestiarius quod blattis sinat uestes erodi, si rei rustica peritus, quod generosæ plantæ curam non gerat, quæ alioqui sit peritura. Admonere autē antea quam in periculum incidāt, uel in ipso periculo decet & ami cum & beneuolum, etsi secus feceris proditor salutis il lorum es. Sed & factiosi hoc agunt, quanto magis officium probi uiri est? nam factio est arcta malorum societas. alterum amicitiæ pernitiosissimū simulachrum, ut adulatio. Quæcūq; enim optima sunt, ut in contrarium uertuntur, tanto deteriora euadūt, atq; ideò pessi ma. Duo enim uitia in amicitia accidunt, alterū in ipsa re, & est adulatio, alterum in subiecto, et est factio. De

cet

cet ergo ubi admonueris erroris, etiam quomodo age-re debeat docere. nam si nullum auxilium est aduersus calamitatem, quorsum refricare illius memoriam? Hæc igitur cum proposuisset Aristoteles ab ipsa tractatione abstinuit, nos uerò ex euidentibus declarauimus.

DE FINE BONORVM.



SVperest ut de fine bonorum tractemus. nam cum unius comparatione omnia dicãtur, nisi quòd sit nobis summũ bonum sciuerimus, nec cõtinget scire quæ bona sint, atq; ideo neq; mala. Nec ergo uitare illa nec minuere, nec utilitatẽ ex illis capere licebit. Omnia igitur turbida et cõfusa erunt. Certè si bonũ est aliquod summum in eodẽ genere, esse necesse est aut unũ aut plura. Est enim maximus homo uel maximi homines, etiamsi omnes essent pigmei. Et maximus calor & sapientissimus nõ solũ homo sed et formica, si formicas esse sapientes statuamus. Erit igitur summũ aliquod bonũ hominibus, aut plura, si modo bonũ esse admittamus. At bonũ cũ accipiatur pro eò quod pleriq; appetunt, et malum quod pleriq; refugiũt, cõstat multa esse in utroq; genere: ut bona, sanitas, opes, amici, gloria, sapientia, soboles: contraria uerò his mala. Bonum autem simpliciter est quod perpetuum est, illud enim bonũ cum sit, simpliciter tale est, quia & securũ & immutabile est. Quærendum

rendum igitur an aliquod tale esse poßit in humano genere, & si sit, facilè est dijudicare quid sit, at si non sit ullum simpliciter bonum, quale saltem sit maximum in humano genere? Proponamus igitur quod immortale in nobis nihil esse potest nisi mens, at hæc superior est homini & præsentem transgreditur cõtemplationem. Si igitur mens æterna est, summum bonum in illius essentia consistit. At non quærimus summum bonum humanum, nõ mentis, hic igitur dubitatio rursus accidit, an propagatio sempiterna sit? constat enim sub Luna nihil aliud esse perpetuum. nam si esset maximè, essent monumenta sapientum: at constat illa non uetustiora esse tribus millibus annorum, uetustißima enim est Trimegisti historia, nec aliud ad nos antiquius eo libro peruenit, ni forsan Mosis Theologia, sed Moses mundi initium statuit. Nihil igitur prorsus perpetuum esse potest nisi generatio, etiamsi mundus statuatur æternus. Cætera enim omnia, utpote libri, ædificia, urbes atque alia huiusmodi, cum constet non esse æterna, constat etiam non esse perpetua. At de generatione constat, si mundus sit finẽ habiturus ut leges affirmant, non posse eam esse perpetuam. Et rursus, si mundus etiam sit æternus, sed ad confusionem certis temporum spatijs deueniat, ut Plato Aegyptijq; sensisse uidentur, & nos in Arcanis Aeternitatis docuimus, non potest generatio esse perpetua, sed funditus deleto humano genere, omnes etiam stirpes finiri. eos autem qui succedunt è limo

e limo nouã trahere originem. Quòd si generatio æterna sit, cum ut in primo de Arcanis æternitatis declarauimus, omnes ex uno & ex omnibus hominibus quisq; ortus sit, fiet ut quorum stirps seruetur perpetuò, necesse sit etiam descendentes toti dominari orbi terræ. Quamobrem multum tunc intererit, an stirps seruetur an non. Primum quod differet hic euentus, ut mortalis ab immortali: deinde quòd necesse sit suos descẽdẽtes toti orbi dominari. demũ quod perpetuò. Nam ut dixi singuli homines tandem ex unico & ex omnibus originem ducent. quare necesse erit in eorum stirpe perpetuò mundi possessionem manere. Multum igitur interest, an stirpe humana perpetua sit, an abrũpatur? quantumuis enim serò id accidat, necesse est nullam nobis felicitatis umbram inesse, etsi maneat in continuitate generationis, erit nec maior quam in beluis, cum & in illis hoc sit & desyderium propagandi simul, ut etiam in nobis. nec dedicarent propter scientiam, primum quod id certò scire nobis non licet, deinde si sciamus nulla arte id scire possumus, quod nostra stirps inter eas sit adnumeranda quæ perpetuò manebunt. nec posteri etiam, ex quo descenderint obseruabunt, quinimò mutantur nomina familiarum, & adiectis cognominibus obliuiscimur maiorum. Quapropter & hoc inter reliqua Moses sanxit, ut Iudæi familiarũ & maiorum seriem, quàm diligentissimè retinerent: hæc ergo si generatio hominum perpetua sit & continuata.

Sed

Sed ubi non sit, dico prorsus nullam esse felicitatem, omitto nunc altiores rationes, siquidem liber hic scribitur Idiotis *hominibus, atq; rem ipsam non solum puram & sine fuco tradimus, sed etiam craßiore minerua. Sit ut, gratia exempli, felicitas in opibus consistat (nam quod de hoc dico de filijs, amicis, potentia ac cæteris bonis, non solum seorsum sumptis, sed etiam simul dictum uolo) & quispiam ditißimus sit poßideatq; amplißima bona, prædia, hortos, nũmos, gemmas, uestes, mutuo omnibus his acceptis à* Rege *uel eius dispensatore, sed tantum in horam, quero an hunc felicem appellabit? scio certè dices, non, perbreue enim nimis atq; angustũ est. Sed fac ut in diem, nunquid felix dici merebitur? non respondebis, nam & hoc tempus breue est. At scio quid dicturus sit modo, certo mediocri spatio, ut per annos paucos, sed ita ut spatium illud morte claudat, illeq; sua ea esse existimet, felix dici poterit. At falleris, qua enim ratione hora ac dies transibũt breui, eadem non solum decem ac centum, sed & mille & centies mille anni transibunt, ac breui transibunt. Nam eadem est proportio perpetuitatis, ut de futuro tãtum agam ad centies mille annos, quæ & ad horã. est enim quodcunq; tempus finitum ad perpetuitatem comparatum, instar puncti in toto orbe. Sed dices non ad perpetuitatem, sed ad hominis uitam hæc comparatio fieri debet? perfectum igitur tempus erit, quod totam uitam explet, etiamsi illa breuißima sit. Vt dicamus feli-*

cem

cem in diuitijs fuisse, qui uel unam diem expleuit in diuitijs, atq; diues mortuus est in fine diei. longo tempore diues, qui maiore uitæ partis tempore diues fuit: breui tempore in diuitijs felix, qui parua temporis uitæ parte diues fuit, præsertim quæ morti non coniuncta fuit: ut pote si quis decem annis diues fuerit, inde uixerit usq; ad centum quinquaginta annos pauper, hunc breui fuisse in diuitijs felicem dicemus. Itaq; felix potest esse in diuitijs, qui perpetuò ad mortem usq; diues uixit, & si parum admodum perpetuitatis comparatione. Sed hoc fucatum est responsum. Nam diu felix esse non potest, qui diu non uixit, at nemo diu uiuit, parumq; daret ad uerum bonum consequendum, an horula tantum, an centũ annis uiuat. ideo si qui horula tantum uiuit, felix esse non potest ob breuitatem uitæ? nec qui centum annis. At dices centum anni breue spatium per se sunt, quoniam ad perpetuitatem referri debent: cum tamen ad annum uel paucos comparãtur, longum dici possunt. quoniam ad ea quæ sui sunt generis comparari debent. Sic dicimus elephantem paruum & muscam ac cuniculum magnum, ita & hominem longæuum & breuis uitæ: & ideo diu felicem aut breui appellare debemus. At nec hoc satisfacit, quandoquidem nihil cõparatione dici debet tale, quod simpliciter tale non est. ideo absurdum est dicere, asinum sapientẽ, formicam magnam, leporem fortem. At licet sic appellare, modo intelligas hæc non huiusmodi esse, sed asinum rudem

rudem aliquanto, tùm minus alijs: & formicā paruam, non tamen adeo exiguam, atque ita leporem fortem. Quod si simpliciter res admodum exigua sit, ut Acharis inter animalia, uel ualde stupidi sensus, ut cochlea, tunc nunquam quamuis ad sui generis animalia aut res comparata, contrarium nomen promereri poterit. Nemo enim acharim magnū, uel cochleam sapientem dixerit, quanto minus ergo beatum hominem licebit appellare, cuius uita simpliciter instar pūcti est in temporis genere? Vbi ergo animam prætereamus, et finem aliquem statuamus hominum generationi, nihil prorsus potest esse felicitatis in humana uita. Et hoc est quod rectè Paulus Christi discipulus ait: Si animus noster non superesset à morte, multo miseriores essemus alijs beluis. nam eò quòd nullum prorsus animal aliud ab homine se moriturū nouit, omnia animalia aliquid retinent felicitatis eò quod sunt: nam sunt quasi semper essent. ideo sempiterna beatitate participant: solus homo, cum non solum sciat posse mori, sed certò sciat necessarium fore, ut omnino moriatur, atq; etiam intra præfinitum tempus, præcisus est ab ipsa sempiternitate cogitatione ipsa. quare omnino etiam illius momentaneæ felicitatis, quam eo quod animal est consequitur, omnino expers est. At si felicitatis est expers? est etiam infelicitatis, sunt enim in eodem subiecto, & mutationē recipiunt. nam Dij felices sunt, nec possunt esse infelices, quoniam mutationi non sunt obnoxij. Et ut breuiter

uiter dicã, felicitas res est, infelicitas priuatio quædam. Sed iam longius digredimur à proposito. Itaque ut ad institutum sermonem reuertamur. Petrus in epistola secunda rectè ait: nunc dies apud Deum tanquam mille anni, & mille anni tanquam unus dies. Hoc secundum satis manifestum est, at quomodo unus dies tanquam mille anni? nisi quod comparatione ad alia quam ad æternitatem, quod dici etiam solet, dies unus mille anni uideri potest. Auerrois quoq; sapiens ille uir in procœmio Physicorum ex autoritate Alexandri Aphrodisei docet, quòd cum uita humana in cõparatione ad æternitatem sit instar puncti: homo fortis euadet, tùm ne exspolietur à felicitate quæ in contemplatione consistit, tùm ob uitæ breuitatem, tùm quia spe priuatus, felicitatem hanc adipiscendi mori mauolet quam uiuere.

At dices oppositũ præstes eius quod polliceris, pollicitus es auxilia aduersus ingruentes, tùm calamitates, tùm casus: at uideo te felicitatem ex hominum opinione funditus uelle euellere? Non equidem inficior me uelle homines ab erroribus liberare. Si nemo felix est, nemo infelix, cur homines id debent existimare? aut cur ægrè ferre quòd eos huius admoneam? At liber hic inutilis erit felicibus? sit ita? Et utinam plurimis atque diu sit inutilis: at infelicibus nequaquam erit inutilis, ipsis uerò beatis, si placet insanire, et quod alienum est suum existimare, quod breui casurum perpetuum, non irascor. Tibi, quicunq; es qui te felicem existimas, non

aliud eueniet quam Mycillo illi, qui gallo suo irascebatur, quod eum somniantem Midæ thesauros, & Gygis felicitatem è somno exturbasset, mallebatq; grandem illam falsam beatitatis imaginem, quam lucellum quod ex sutura ueteris calcei facturus erat. itaq; multi sunt qui malunt errore esse beati, quam res suas, suamq; conditionem uerè agnoscere. Atq; eò plures, quo hæc à cõmuni hominũ sensu remotiora sunt. Sed hæc mittamus, nihil enim tàm perspicuum est, quam nos hoc solo non miseros esse, quòd conditionem nostram cognoscamus. Sed & hoc ipso non possumus esse felices, imò rectius, nec felices nec infelices futuri sumus, si conditionem nostram agnouerimus. Verùm rursus inquis, quid ergo opus est cura aliqua rerum humanarum? quid prudentia? fortitudine? quandoquidem omnia æqualia sunt? nec quisquam felix esse potest aut infelix? cui usui tuus iste liber? nam utilitate hac ex aduersis decerpenda nõ indigemus? Fateor nullam esse, ut dixi, felicitatem aut infelicitatem, hanc tamen personatam quam habemus custodire aut fugere, operæ pretium est. Nonne laudatur anus illa quæ sarmẽtorum quisquilias colligit? nam quamuis exigua, illi tamen ob conditionis humilitatem opportuna sunt. Est umbra somnij calamitas atq; beatitas nostra, hãc tamẽ amplecti debemus, illã uitare. Somnia quis dubitat falsa esse, nec eas imagines quicquam esse? Quis tamen nolit magis somnia iucũda quã tristia uidere? Quinimò medici etiam ad hoc quæ uitari, quæ

edi

edi debeant, docent. An tu etsi gerulus esses, et in scena personam regis induisses, quanquam intra paucas horas depositurus personam, & ad onera ferenda denuo rediturus, nolles omnia concinnè peragere quæ regi conuenirent? ita ergo nobis agendum: scenam sumus ingreßi, paruo temporis spatio personam agimus nobis impositam, umbra somnij, felicitatis aut infelicitatis proponitur, sarmentorum quisquiliæ iacent, omnia tamen pro ratione agenda, colligendæ quisquiliæ, quandoquidem & hoc somnium umbræ felicitatis dulce est. In hac ergo somnij umbra, uaria uersantur circa finem bonorum. Stoici quidem existimant esse uirtutem, Peripatetici operari secundũ uirtutẽ, Epicurei ἀπαθείαν seu indolentiam, id est, nõ dolere corpore, nec angi animo: alij uerò ex his, nam sibi, (ut par est) non conueniunt uoluptate: Auerroes sapientiam summam. Verisimile autem nõ est, ex tot peritis uiris neminem scopum attigisse. uidendum est igitur quis attigerit, aut qui attigerint? & an forsan duæ aut plures ex his opinionibus in unum coëant? Mihi primum uirtus finis bonorum non esse uidetur, cum homo uoluptatem summam ex ea non capiat, at finis bonorũ est summa uoluptas, quæ tamen honesta & secura sit. Virtutẽ enim non ob aliud finem bonorum statuunt, quam quòd oporteat finem bonorum esse securum, at bonorum corporis & fortunæ nihil est cum securitate, uirtus igitur summum bonum. Sed summi dialectici, in ipsa falluntur dialectica.

Securitatem esse necessariam summo bono, id certũ est. Nam finge hominẽ multas gemmas pecuniasq; habentem, in caupona syluestri cũ latronibus hospitari, quis est tàm amens qui hunc felicem tunc appellare ausit? Sic & de eo qui multos habet filios, in tempestate cum illis nauigans, atq; alijs huiusmodi. At uirtus securè à nobis habetur? Verum est igitur, uirtus est summum bonum. Aberras in dialectica. Forsan id aptius summum bonũ homini nulli debet inuideri, at omnia bona possunt homini inuideri præter solam uirtutem. non enim est in potestate nostra esse diuites, gloriosos, sapientes, atq; huiusmodi: itaq; in sola uirtute summum bonũ repositum est. At neq; in ἀπαθίᾳ, cum experiamur nos aliquid plus habere, quam non dolere aut non perturbari. Hæc quidem sunt necessaria, sed tamen qui filios habet bonos & multos, plus habet quam qui non habet, nec de illis cogitat: & qui diues est, quã qui in paupertate non angitur: et qui sapiens est, quam qui quòd sapientiam non habeat, non dolet: et qui gaudet, quam qui non tristatur. Essentq; limaces absolutè felices cum ualerẽt, palã enim est eos tunc affectibus corporeis nõ torqueri, nec animi perturbationibus. Esset & summũ bonum maximè stupidorum atq; imperitorum. Quod planè absurdum est. cum enim summum bonũ nostrum à uerè summo bono defluat, id est Deo, palam est id etiam eorum esse debere, qui summo bono aliquo modo magis similes sunt. nõ igitur malorum stupidorum uel imperitorum.

imperitorum. Voluptas etiam cum sit in flagitiosis maior persæpè et beluis, summum bonum esse non potest. nec uoluptas corporis summa, etiam in animo summa est. Venus enim corpori summam affert uoluptatem, animo non ita. prudentes enim ac probi multa illicitæ ueneri præponunt: famam, opes, filios, ac reliqua huiusmodi. Operari uerò ex uirtute decorum est, atq; glorio sum, atq; ita existimare quòd summum sit bonum, è re est reipub. attamen cum potius id ad alios pertineat, quam ad eum qui operatur, non potest dici summum bonum. Præterea uel quærimus, ut iuxta unum genus uirtutis tantum operetur aut omnia? nam plura dicere uoluntarium est. si omnia, nemo forsan hoc summum bonum adipiscetur: si unum tantum & beluæ, ut leones participes erũt summi boni humani? Ergo summum bonum est summo bono aßimilari. Illud omnia nouit, optimũ est, securum ac sempiternũ, nullius indigens. In homine ergo felici omnia hæc adesse oportet, quatenus adesse possunt. Oportet ergo eum esse sapientißimum, ut plura nouerit. uirtutibus præditum, ut sit optimo similis. Sed & hæc ambo securitatẽ humanam afferunt. duplex enim cum sit securitas, altera simpliciter dicta, quam, ut dixi, homo habere non potest: altera ut quæ poßidet dũ uiuit, amittere nequeat, atq; hæc est in animi bonis omnibus, ut antea dictum est. Atque ideo in uirtute primum, deinde sapientia, oportebit & ob id hominem esse sapientem, & uirtute præditum.

Sempiternitas autem quatenus, ut dixi, nobis concessa, & in spe filiorum reposita est, filios igitur ut habeat necesse est. Nullius autem indigere ad fortitudinē pertinet, nam & qui perturbantur, & qui dolent, & qui paupertate opprimuntur, non possunt esse felices. Vna uerò fortitudo his omnibus simul resistit. fortes igitur esse oportet qui summo bono gaudere debent. Contra paupertatem autem & alios fortunæ casus, nonnihil plerunq; prudentia iuuat, quamobrem cum tàm fortitudo quam prudentia sub uirtute contineantur, palam est summum bonum in tribus contineri: sapientia, quæ homini cum propria sit, principem locum occupat: uirtute, quæ cum aliquibus animalibus communis est, maximè autē fortitudine atq; prudētia. Et filijs, quæ pars non solum animalibus, sed etiam uiuentibus reliquis fermè omnibus communis est. nam quædam sunt animalia quæ filios non gignunt, ut lendes & uermiculi muscarum.

Tot ergo rebus atq; his tantum circumscriptum est umbræ felicitatis humanæ somnium, cuius causa tùm quisquiliarum colligendarum, tùm eorum etiã qui falli in his uolũt, felicitatemq; ac infelicitatē statuũt, hæc de utilitate capienda ex aduersis scribere, aggressus sum. Verùm ut quisq; adeptus fuerit hæc tria, etiam reliqua illis necessaria comparabit. Si enim, ut in libris de sapientia diximus, homo sapiens fuerit, idem famam, opes, amicos, gloriamq; adipiscetur: quod si quãtum necesse

est

est acquirat, prorsus felix erit: si non quantum necesse est, nõ eò felicitate priuabitur, sed quatenus ab usu aut adeptione unius ex tribus illis, aut plurium impeditur. Neq; *ergo diues ut diues, neq; amicis abundans, ut illis abundat, neque robustus corpore quatenus robustus, aut honoratus aut gloria, uel potentia insignis, felix est, nec quatenus his priuatus est infelix, sed quatenus in uno ex his tribus ab illis impeditur. dico enim tria illa, sapientiam, uirtutem & filios.* Hæc *autem diuersis modis nostram felicitatem efficiunt. Virtus enim omnibus communis est, & omnibus conuenire potest, filij maiori parti hominum: sapientia in apice felicitatis sedem tenet: uerùm paucis concessa, quam enim Seneca appellat sapientiam, partim prudentia est, partim præceps stultitia. Sapientiã dico Aristotelis, Theophrasti, Themistij, Auerrois, Platonis, summam autem in Plotino, quod aliâs diximus, admiramur. Par est autem apicem felicitatis paucis congruere, uelut & splendorem non in toto cœlo, sed uniuscuiusq; sydere tãtum.* Hoc *autem contingit non humani generis ratione, sed materiæ, quæ & prohibet perfectionem, & subiecta est fortunæ casibus.* Ergo *si cui non adsint opes, adeo ut filios non poßit alere, aut sapientiæ operam dare, aut iustitiam exercere, hic non felix erit certè, sed non quatenus pauper, uerùm quatenus felicitatis opera nõ potest exercere, aut quæ ad eam pertinent manu tenere: nec tamen infelix erit, quoniam potitur sapientiæ*

partibus. Ille uerò infelix, qui omnibus illis tribus desti tutus, etiam spe potiundi caret, ut senes maximè atque pauperes.

Porrò ut hanc infelicitatem, quæ contingit homini ob scientiam mortalis conditionis suæ, Deus imminueret, ne beluis essemus inferiores, spem immortalitatis animorum iniecit: idiotis quidem per leges, sapiẽtibus autem ex philosophiæ arcanis. sed adeo paruam, ne nimis firma si esset, aliorum animalium misera conditio dici posset: itaq; eam leuibus coniecturis atq; miraculis muniuit, quandoq; ob rei humilitatem uel personarum, uel doli suspitionem, uel uetustatem uel raritatem euentus, uel similitudinem cum rebus naturalibus. Certè nimis ambitiosa esset mortaliũ conditio, nimisq; beata, si perspicuum esset illis animum nostrũ esse immortalem. Sapientibus uerò hæc opinio constantior tanto est, quanto ipsi sapientia præcellunt. At quoniam id poterat, quodammodo securitatem quãdam præstare huius rei, ex aduerso id statuit, ut senescentibus spes ea minuatur: ita semper ex æquo res ista pendet. cumq; propè finem deuenerit, ut iam aboleri incipiat, tunc nouis prodigijs atq; miraculis confirmatur. Hæc autẽ uicissitudo atq; altercatio semper uiguit etiã ab ineunte æuo, uiget ac uigebit, donec mundus durabit. Exemplo eorum qui super funes ambulant, humano genere nutante, sed haud excidente è spe, aut securo de exitu. At cuius gratia id contingat in libris de Arcanis Aeternitatis

tis tractatum est. Nobis sat sufficit scire, quoniam hæc contemplatio ultra huius libri fines transgreditur.

Ergo non solum qui pleni spe immortalitatis animorum sunt, fortiter ferunt aduersa, sed etiã qui se beatos ob felicitatem existimant, hanc doctrinam spernũt. Quinimò alij etiam finem nullum bonorum communem esse statuunt, sed fœneratores in diuitijs illum collocant, principes & milites in potentia, senes in quiete, amantes in amata, lusores in uictoria, ægri in sanitate, atq; ita huiusmodi in omnibus rebus diuersi fines erunt. Contra quos dicendum est. nullum enim maius meritum esse potest, quam hominum genus à falsis opinionibus liberare. Etenim amasiam non esse finem bonorum ex hoc constat, quod pluribus eadem non placebit, multis etiam nulli usui futura: certè apud neminem maximo in pretio, nisi apud unum illum à quo amatur, quomodo ergo finis bonorum dici poterit? uideo quid responderi poßit, finem hunc esse bonorum illi, tùm etiam hoc nomen meritò ei deberi, quòd summa sit in his uoluptas, sitienti dum bibit, esurienti dum comedit, ut amanti dum amata potitur. Quædam etiam magis generalia sunt quam tria illa: ut diuitiæ, honores, sanitas, plures enim appetitari sunt hæc, quam sapientiam, uirtutem & filios. Adhuc ergo hæremus in uado. Sed si felicitas est in bibendo et edendo, primum, ut dixi, beluis communis erit, nos autem humana quærimus, deinde ea felicitas nõ sit nisi in actione: actio au-

tem breui tempore durat, nos autem diuturnam quæ-rimus. demum hæc uoluptas non est nisi dolore præce-dente, ut ingenti fame aut siti. Nos autem cum indolen tia felicitatem esse supponimus. Itaq; si hoc statuatur, & scabiosos & podagrosos, dum conualescunt feli-ciores alijs esse dicemus. At qui uelit esse scabiosus ob scabendi uoluptatem, podagrosus ut sanescat? In-firmitatis & imperfectionis nostræ hæc sunt argu-menta, non pars ulla felicitatis. Cæterum quispiam di-cet ut Epicurus, aurium & oculorum uoluptas apud plerosq; maior est, quam eorum in quibus constituisti dolorem, atq; hæc dolore omnino carent, nec sunt no-bis cum beluis communia? Fateor, sed non id, ut sit in his maior uoluptas quam in illis. nam qui percipiunt, maiorem in sapientia, & uirtute ac filijs dulcedinem sentiunt, quam in musica uel uiridariorum aspectu: qui uerò non intelligunt, nec habent, boni iudices horum esse nequeunt. oportet enim iudicem ex æquo utriusq; rei, inter quas iudicare debet esse compotem.

Dubitabit autem meritò quispiam, cur quædam sint in mortalibus cum magna uoluptate & modico dolo-re? ut scabere pruritus respectu, edere famis compara-tione, bibere sitis, alia etiam sine, ut uoluptates auditus & usus: quædam cum minimo dolore omnino, ut lenti go, & tamem cum summa uoluptate in spurcitia? con-trà alia cum dolore maximo, ut tormenta, & minima uoluptate cum cessant. Quæ ergo in tenui consistunt

subſtantia,

ſubſtantia, paruum afferunt dolorem, aut nullum et uehementem uoluptatem, quia parum imprimunt, et reditus eorum ad naturalem ſtatum uelox eſt: at quæ in craſſa ſunt ſubſtantia, plurimum imprimunt, redeunt autem ſenſim. quamobrem dolores uehementes faciũt, & dum ſanantur paruam afferunt delectationem. Ita repentina gaudia atq; inſperata, maxima nobis uidentur. Quæ ergo fit ab intelligẽtia uoluptas maxima eſt, ob id quòd ſubitò fit, & rarior eſt: rara autem plurimum nos delectant. Vtrum uerò omnis intelligentia pars ſit ſummi boni? Certè ſic: non tamen apex ille in Mathematica contemplatione, ſed Dei cõſiſtit. Ei proxima quæ eorum eſt, quæ illi natura proxima ſunt, ut intellectus & amor. Mathematica uerò, quoniam certiſsima magnam & ipſa, ſed non perfectiſsimam afferunt uoluptatem. Naturalia autem quæ apud nos ut dubia minorem, ut in ſubſtantijs conſiſtunt nobiliorem. Ergo uenerea uoluptas finis ratione, id eſt, generationis maxima eſt, et quoniam uapor ille tenuiſsimus cum ſit, moleſtiam minimam affert, ſubita ſolutione plurimum delectatur.

Sed ut ad rem redeam, opum & honorum, ac reliquorum ſimilium poſſeſsio generaliter iucundior eſt illis tribus, fateor, igitur in illis ſummum bonum conſiſtit? non concludit ratio, ſed uel quòd illa non ex æquo nobis cognita ſint, uel quod ſint magis hæc illis neceſſaria. Triticum magis optant obſeſsi, quã ueſtes aut gemmas:

mas. igitur triticum uestibus ac gemmis est pretiosius? Equis summum bonum est hordeum, spatiari, equabus iungi, non illi nobiliorem norūt uoluptatem. Ergo humana felicitas talis esse debet? puerorū felicitas in astragalorum lusu reposita est. Igitur humana felicitas ea uoluptate nihil maius habet? quid absurdius. Aliud est necessarium, aliud bonorū, alia alijs sunt quoq; bona. Gemmæ nobis sunt in pretio, beluis nō ita: unde etiam notißima fabella galli cum iaspide. Plus homo ab homine differt, quam uir à puero: si igitur delitiæ pueri multū à uiri delitijs differunt, quanto magis hominis idiotæ à sapientis? Quid hoc est igitur? homines magis cupiunt honores, bonam ualetudinem, diuitias, quam sapientiam, uirtutem et filios, igitur illa his præstant? Dicas igitur hæc sunt magis necessaria, & his qui maius bonum non agnoscunt? nam ei qui sapientiam nouit quod assumitur non probabitur: uerum dicet cum Salo
„ mone: Melior est sapientia gemmis: cum ea quæcunq;
„ expetuntur nō sunt conferenda. Et rursus: mihi optan-
„ ti & oranti prudentia data est, & sapientiæ spiritus
„ obuenit, quam ego sceptris & solijs antepono, & diui
„ tias si cum ea conferantur nihili facio, neque gemmas
„ preciosas cum ea comparādas duco. nam aurum omne
„ si cū ea cōferatur, tenuis arena est, et argentū pro luto
„ habendum. hanc ego supra ualetudinē & formā amo,
„ eāq; habere malo quam lucē, quippe cuius splendor sit
„ inextinctus. nam hominibus est thesaurus inextinctus.


Gregorius

Gregorius NeoCæsariensis affert de prudentia sensile experimentum, quod ea sit potentia & diuitijs potior, quoniam pauper consilio bono seruabit ciuitatem: diues stultus malo consilio perdet rempublicam. Sed hæc extra metas: nullus est uerè sapiens qui sapiētiam cum opibus commutaret. Verùm quod ad necessitatem attinet, nec diuitiæ immensæ cuiquā sunt necessariæ, quinimò oneri potius ac tædio. Nuper Genuenses quidam cum plus haberēt pecuniarum quam illis ex usu foret, ædificabant domos prætorias præter propositum. Nero auream domum condidit: at sapientia quo maior, eò melior. cum maxima nostra sapientia, minima sit uerò. Ob id dulcis acquisitio, dulcior possessio, dulcissimum desyderium eius. Cum ergo summum bonum in his debeat collocari quæ animo coniuncti sint, quæ per se bona, quæ secura, quæ mali expertia, quæ nobiscum semper manent, manifestum est, nec diuitias nec honores, nec alia huiusmodi, quæ in fortunæ arbitrio sunt, partes esse felicitatis humanæ, sed auxilia quædam ac fundamenta. Hæc igitur de fine bonorum dicta sufficiant. Cæterum ut etiam ad quæcunq; agenda hominem instruamus, illud animaduertere decet, quod summam prudentiæ partem complectitur: ut primum de fine, an utilis sit consyderes atq; deliberes. Deinde an illum adipisci possis. Et ubi adeptus eum fueris, ne nil aliud deterius ex eo, uel adipiscēdo successurum timeas. Demum etsi non consequaris, an aliquid tamen boni sequi necesse

cesse

cesse sit. Cumq; tria prima rectè se habuerint, accingere operi opportunum censeo. Si autem & hoc quartũ, necessarium etiam esse duco ut id peragas. Porrò impedimenta, & quæ amittuntur interea numerare uelim, quæ, ut dixi, deteriora uoco, quæq; timenda sunt, dum acquirere aliquid studemus, ac iam acquisiuimus. His tàm paucis præceptis omnis prudentiæ, quæ ad actiones pertinet ratio constat, quam etiam omnes quasi norunt, sed non adeo exercere sciunt. Nunc ad utilitatem generalem ex aduersis capiendam transeamus.

DE VTILITATE GENERALITER EX ADuersis capienda.



Nitium ex proposita finis huius libri diuisione, quam Hippocratis *atq;* Aristotelis *more bis terq; ac pluries repetere, ubi res admodum utilis sit, commodum existimamus facientes. Ea est quòd aduersa ne eueniāt, prohibere, aut minuere uel declinare, propositum est, ubi euenerint modum inuenire, quo facillimè tollerari poßint, nō solum sapientiæ auxilio, atq; his præceptis quæ de finibus bonorum nuper eruditis scripsimus: sed etiam auxilijs ex ipsa re petitis, uelut peregrinatione, ludo, cultu agri, uenatione, alijsq; solationum argumentis. Demũ ut ex unoquoq; genere mali, an aliquid boni episcari liceat, exploremus. uerùm horũ primũ,*

iam

iam generaliter in præparatione docuimus. De ſecundo autem, quod in hoc ſcopo præcipuè uerſatur, ut quam cõmodiſsimè feramus aduerſa, atq; adeo leniter, ut ipſæ calamitates etiam uitæ dulcedini, aut ad alia tractanda negocia impedimento non ſint, nunc dicendum eſt. conſtat autem non ſolum in Philoſophiæ, ſed etiam in agendo ſuisq; præceptis contineri. attigit ipſum Virgilius, ac tanquam facilè & cuiq; promptum cæteris prætulit dicens:

Nate dea, quo fata trahunt retrahuntq; ſequamur,
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Nam ſi dixiſſet ferenda uel tolleranda ad conſolationem, non ad actionem pertinebat, nunc cum dicat ſuperãda, docet, quonam pacto in aduerſis nos gerere conueniat. De ultimo etiã ut ex aduerſis, uelut ex echinis caſtaneas, bona eruamus. Quis enim tàm ſecors erit, qui echino in uiam iuuento, nucem in eo non quærat? Aut dum depaſci agros à feris cernit, non illis retia tendat? Et uuas turdis depopulantibus, laqueos nõ illis ponat? Aut ſi in horreo auiculæ grana depaſcantur, nõ illis paret inſidias? ut ſimul ſe à iactura uindicet, & aliquid etiã lucrifaciat. Neq; tamen in omnibus par ratio eſt, aut eadẽ utilitatis præbetur occaſio. nã aduerſa quo moderatius premunt, eo facilius ac certius occaſionem præbent capiendæ ex eis utilitatis, quã etiã & celerius conſequuntur, & euidentiore emolumẽto. In his enim, ut in reliquis omnibus eſt exceſſus, ut exiguitas ac moderatio

deratio quædam, si ita licet appellare, aut certè mediocritas. Ab excessu, ut diximus, obruimur non solum re ac facto, sed etiam spe deijcimur. alterum extremum cum uix lædimur, ut cum propè sit non afficienti nos, nullam utilitatem affert. nam si quæ non afficiunt nos, nobis usui essent, ut aduersa, ex omnibus utilitatẽ consequi liceret. Expreßius id uideamus in exemplo, ex inimicis, ex æmulis licet utilitatem non leuem cõsequi, quod si ex incognitis penitus, & cum quibus nulla est cognatio boni uel mali, liceret eandẽ habere, iam cuiq; prudenti uiro nõ secus ac Monarchæ cuipiam, uniuersus orbis usui esset. Hoc autem cum dissonum sit, etiam ab instituto nostro est alienißimum. Itaq; non fortuita est hæc institutio, sed propria ipsis aduersis. nam quod de inimicis diximus, de morbis, exilio, carcere, atque alijs infortunijs intelligendum est. Et quanquam aduersa talia sint, ut indifferentibus sint potiora, ad utilitatẽ capiendam, nihilominus nemo ea debet quærere, quæ incertum bonũ exiguum atq; instabile, licet gloriosum pariãt, cum ipsa per se maiora sint stabilia atq; euidentiora: ut quantum prudentis est ex aduersis iam ortis utilitatem capere, tantum amentis esset aduersa sibi quærere, ut secunda ex illis assequi liceat. Nimis procliuis est lapsus mortalitatis in calamitates, absq; eo quod quis ea procuret, imò cuiq; in promptu sunt, & maiora & frequentiora quam uelit. Verum ubi iam ingruerint, sapientis est ex ipsis colligere bona, quæ eo sunt iucundiora,

cundiora, quo omnis felicitas calamitati succedens, dulcior est quam si continuetur. Videmus eos qui à pruritu scabunt, quanta uoluptate fruantur? si sine illo dolorem pro uoluptate percipiunt. Ita res humanæ se habent, ut si calamitates sustuleris, tollas & bonorũ ipsorum iucunditatem. quod & Plato in Phædone sub Socratis persona dum pedicis esset liberatus, docet. Ergo si nullæ essent calamitates, nullæ essent uoluptates. Et uoluptas illa suauißima esse solet, quæ tristitiæ succedit. Quòd & Medici docent, affirmantes delicias non fieri, nisi repẽte soluto dolore. Sicut et contra dolorem ipsum, dum è naturali statu subitò in contrarium ut sensus transfertur. Eorum dulcißima uita proculdubio erit, qui sæpius ex aduersis se transtulerint in iucunda opposita. sanè: ut ex orbitate in prolem, ex paupertate in diuitias, ex contemptu in honores, atq; ita de singulis, quod factu difficillimum est: siquidem priorem primum exuere habitum oportet, deinde posteriorẽ induere. Proxima est eorum qui solum dimidium itineris peregerunt, scilicet qui infortunia exuerunt, non tamẽ contrariam illis felicitatem adepti sunt. Tertia est qui manente priore calamitate aliam non oppositam, aut contrariam felicitatem, sed non maiorem, tùm opposita uel contraria sunt cõsecuti. Vt si quis ex orbo fiat diues, ex paupere amicos sibi multos conciliet, uel honores adipiscatur. Diligẽter igitur procurare oportet ne mala augeantur. non solum ut minus lædant, sed etiam

ut ne alijs bonis parandis aduersetur. Illud quoq; consyderandum, quod quædam bona uni maiora uidebũtur, quæ uulgus minora existimabit: ut apud me fama conscribendorum librorum potior est diuitijs, uulgus & proceres contra existimant, plures eorum sequuntur opinionem: eruditi atq; uiri probi ac fortes famam diuitijs præferunt. Atq; hæc in disputatione posita sunt. Nemo tamen ab hoc discesŝit, quòd si diuitias parare non liceat, quin hoc genus gloriæ non sit amplectendum. Quæ igitur minora sint incommoda primum statuere oportet ordine quodam, ut si necesse sit alterum subire, nouerimus quid subeundum quidúe uitandum, ubi in nostra sit potestate. Neque enim si bonum bono præfertur, statim malum malo eodem ordine deterius est. Vtpotè si ditari melius est quàm honorari uel habere filios? orbitas aut iniuria fœda minus malum erit paupertate? Etsi fama melior est opibus? non deterius erit incognitum esse, ac nihil scripsisse, quàm esse mendicum.

Quis igitur sit ordo bonorum malorumq; nunc dicendum: nam non solum quæ eligere bona magis conueniat sciemus, sed si maiora mala effugerimus, locò beneficij habendũ erit. Vna igitur ratio uidetur magnitudinis bonorum atq; malorum propinquitas, ut dixi, eorum animo, ut quoduis illorum intimum nobis fuerit. nam nisi in animum penetrarint, non sunt bona neque mala, sed fundamenta uel, ut ita dicam, radices bono-

rum atq; malorum. Nuper ditißimus quidam cui erant filij & nepotes, & magistratus & amicitia regulorum, & satis incolumi corpore, summamq; in suo ordine retinens autoritatem, ex desperatione obijt. Credo superis uolentibus ostendere felicitatem & infelicitatem quam illis facilè sit, nobis immittere. Quis rogo sanus ei tunc homini dico antequam moreretur (cum ea mente tamen) inuidisset. Et nos dum filius aufugisset geruli conditioni inuidebamus. an tunc ergo cum tot præclaris ornamentis felices dici aut esse potuimus? absit. Vt nec cum in summo dolore podagrico rideremus omnia quæ nobis Deus bona præstiterat, mente reuoluentes infelices appellari merebamur? Vulgus tamen cum bona aut mala hæc externa uidet esse ingentia, felices aut infelices dijudicat homines: non secus ac si quis exterius pictam bene domum pulchram appellet, quamuis intus eam non uiderit: pulchrum etiam uiridarium plantis egregijs uisis, cum tamen an fructiferæ sint adhuc ignoret. Sed cum plerunq; accidat, ut ita sit, & ut domus exterius depictæ, intus etiam sint commodæ, & ut plantæ egregiæ specie sint etiam fructiferæ, nec possit de animis hominum aliam sumere coniecturã, quam quòd iuxta ea quæ uidẽtur simili modo afficiatur: ideo neq; uulgi iudicium improbabimus, neq; tamen iuxta illud definienda erit felicitatis atq; infelicitatis ratio: nimis enim absurdum esset, nobis rem tàm serio tractantibus circa rei exactam ueritatem adeo falli, ut eos

qui fælices contra miseros appellaremus. Ergo si depre hendere mẽtem hominis liceat, iuxta illorum iudicium de semetipsis hoc statuemus. Sin nõ licet? ex lætícia atq; tristitia melior ac firmior coniectura sumetur fælicitatis atq; infælicitatis. Quòd si

Spem uultu simulat, premit alium corde dolorem.

Hoc solum uulgus fallere potest, intimum amicum aut clientem nequit. Domi enim ac soli mœrent, suspirant, gemunt, quidam flent leui quacunq; ex causa, irascuntur, negligunt domestica negocia, abstinent à cibo, pallent, macescunt, ut enim Salomon inquit: Animus tristis exiccat ossa, nec dormiunt, sed iuxta Poëtã: neq; enim membris dat cura quietem.

Quidam uerò forensem exercitationem ex toto relinquunt: alij plus iusto eã amplectuntur, an satis putas ex his posse te coniectura assequi, qui nam fælices aut infælices sint? at non ex suspitionibus, quæ sæpißimè fallunt?

At dices si solum hoc est infælix, se existimare infælicem, hoc solum beatum, se beatum existimare. Iam in quo differt noster hic Metellus à stulto? plurimi enim stulti se reges esse putant, nec quicquam miserum pati, sed omnia suo arbitrio fieri atq; agi? Iam ergo nihil aliud erit fælicitas, quã falsa opinio de semetipso, quam mera insania. Cruciabor ego in tormentis apud iudices in summo dedecore, exclamaboq; nihil hæc ad me pertinere? Exsibilabor à populo, gratulor mihi tamẽ?

Quis

Quis hoc ferat? in quo nam à stulto differam? Metám aliquam hic statuere oportet, nam falsa opinio nō beatum efficere quenquam potest. At sapiens nulla in parte decipitur. sed hoc dicit pauper sum, sed diuitiæ beatum non efficiunt, humana beatitas somnium est, quia nec secura nec constans. in alio beatitas consistit. Hæc quatuor uera sunt, at stultus dicit, diuitiæ beatum efficiunt, maxima res est beatitas humana, secura felicitas est esse diuitem, nihil est ad felicitatem adipiscendā melius aut maius diuitijs, his enim amici, fundi, domus cōmoda uoluptatesq; habentur: at ego inquit diues sum. Tam paruo ergo discrimine sapiens à stulto differt, cū in eadem conueniant sententia. Quid ni? An parum est differre quantum à falso uerum, & hic tot modis differunt. Attamen in eadem sententia conueniunt utriq;, beatos enim esse putant cum miseri sint? nequaquam, cum plura habeat etiam præter id commoda sapiens, quibus uitam suam & existimationem decoret, prudentiam, fortitudinem, scientiam, comitatē, aliasq; egregias uirtutes. Qui enim hoc uidet, scilicet, sapientem beatum se existimare cum sit pauper, primum certè addubitat an insanus sit, uerum cum infelicitates uarias ac graues consyderat ac experitur, quibus opulenti laborant, iam facilè in eam sententiam adducitur, ut diuitiæ non sint felicitatis fundamentū, sed quantum satis est habere. Paupertas uerò non misera, sed uel leniter omnino misera, uel etiam beata. Adiuuat hoc pro-

positum communis iam opinio tot Philosophorum, ut nullus ab hac sententia penitus discrepet. Quin imò etiam Epicurus (nam de cæteris omnibus nemini dubiũ est, Peripateticis, Academicis, Stoicis, Cynicis) qui uoluptatem summum statuit bonum, paupertatẽ ubiq; diuitijs ad felicitatem cõsequendam prætulit. At quod de diuitijs tanquam famosissimis dixi, de alijs fortunæ bonis dictum esse uelim. Constat igitur, sapientem cum stulto solum in sententia ipsa conuenire, in causa uerò ac ratione sentẽtiæ Philosophũ differre. Quòd si etiam parum differret, quid mirum? cũ iam, ut dixerim, tàm parum humana hæc inter se differant? Incerta opinione, uana fructu, inconstantia natura, malè tuta nec omnino unquam secura, tempore breuia, quæ paucis intercedentibus annis adeo obliterantur, ut ne uestigium quidem memoriæ eorum relinquatur. Ergo miraris quod tàm paruo interuallo etiam sapientum sententia à stultorum opinione differat. Sed hæc satis, ad ordinem reuertamur. Post animi mala, sunt corporis detrimenta, cruciatus, deformitates, & ἀναισθησία, ἢ παρεσις, ita liceat dicere latinè sensuum priuationes uelut cæcitas, surditas, stupor, membris esse immobilem. Hæc enim adeo propè animum sunt, ut multi etiam Philosophi eiusmodi calamitatibus tãgerentur. Porrò ut hæc inferiora sunt animi malis, maiora autẽ quàm fortunæ: ita non adeo perspicuum qualis sit inter hæc ordo, atq; ob id dicendum de his. Certè deformi

tas cum alieno iudicio mensuretur, inter mala potius fortunæ, quam corporis recenseri debet. Cruciatus autem deterior est priuatione sensus, uerum plerũq; breuior. deterior igitur est πωρωσις, seu ut ita dicam insensilitas quam cruciatus. dum uerò durat maior est pœna cruciatus. Ita uidetur apud Euripidem Cyclops:

ὤ μοι κατηνθρακώμεθ' ὀφθαλμοῦ σέλας.

Dolet quod igne iubar oculi amiserit. Ob id etiam subiungit κἄπειτα τοῖς δ' ἄθλιος. Sed & Oedipus in Colono, & Tyrannus apud Sophoclem uidetur non meminisse cruciatus in eruendis oculis, sed miseriæ cæcitatis. Ergo priuationes hæ grauiores sunt ipsis cruciatibus, etiam dum homo est in ipso cruciatu. nam ad animum ut dixi magis pertinent. Atq; illi adeo propè sunt, ut pars eius esse uideantur. nam & uidere & audire & sentire omnino animo magis, quam corpore nos existimamus. Accedit quòd plerunq; dolor, aut magnus non est, aut nõ diuturnus imò & magnus & diuturnus uix esse potest.

Cæterum in fortunæ calamitatibus maior est diuersitas, quoniam & inter illius dona unum quoddam supereminet corporeis bonis maius, scilicet procreatio filiorum, in his enim simul imago nostra, spes æternitatis, amicitiæ arctißimæ uinculum, & postremæ ætatis leuamen maximum comprehenditur. Quam ob causam educatio filiorum à legibus tot priuilegijs ornata est, à sacra scriptura, à Philosophis toties laudata, ut ni-

hil iucundius in tota uita esse posse, perspicuum ex his fit. Norunt & beluæ omnes quantumcunq; immanes ac sæuæ hanc dulcedinem, & omnia fermè animalia. Soli pisces magna ex parte ob rudem naturam atq; uoracem hanc tàm suauem curam despicere uidentur. Ergo ut filiorum educatio iucundißima est: ita orbari filijs, præsertim adultis ac bonis, omni corporea calamitate maius est. Contingit id: quòd licet filiorũ procreatio ad casum & fortunam pertinere uideatur, filij tamen & corporis & animæ nostræ, ut ita dicam, partes esse uidentur. Quòd uerò casu cõtingat suscipere posse atq; educare, itidem cõtingit in sanitate ac sensibus: nam etsi bona sint corporis, uidentur tamẽ in arbitrio fortunæ constituta: quòd si hæc tamen bona corporis non fortunæ appellare licet, quid prohibet sanè ne omne etiam filiorum negocium sub bonis ac malis corporis, non autem fortunæ collocemus? Sed utcunq; libeat facias, modo non ignores, hanc curam post animi bona ac mala statim collocandam.

Reliquarum fortunæ calamitatum ordo ex propinquitate & nobilitcte sumitur: uelut opes amittere deterius est quam amicos, propiores enim sunt nobis opes quam amici. nam opes omnino sunt in potestate nostra, amici non ita, sed quandoque nobis repugnant, & maximè in minus honestis actionibus. Plus etiam lædimur ab iniuria, quam opum iactura. quoniam honor diuitijs præstat, iniuria autem honori opponitur. Sic

uxoris

uxoris molestia & parentum maior est quam fratrũ, & fratrum quam amicorum: horum autem maior est quam familiarium, nisi idem sit & familiaris & amicus. Sic etiam deterius est esse in carcere quam exilio, proscriptum quam relegatum, spretũ & contemptum quam iniuria affectum, partim deterius est, partim minus malum. Inimicitiæ etiam necessariorum & coniunctorum, & potentium & liberalium, & crudelium ac latronum & peruicacium, peiores sunt alijs. Atque ita non solum genera inter se, sed species etiam distinguere oportet. Et ipsarum etiam specierum ultimas, ac minus communes differentias iuxta propinquitatem animi, et earũ nobilitatem, atq; ea quæ post subiungemus.

Ita etiam in animi bonis, cum ea statuerimus uirtutem & sapientiam, quæ ambo plures sub se continent species, scire oportet quid nobilius sit ac præstãtius hac in tractatione, sapientia an uirtus? Et an confestim, si sapientia præstantior est uirtute, omne genus sapientiæ præstantius sit omni uirtutis genere? Sed uidetur Aristoteles sapientiam uelle esse uirtutem hoc argumento, prudentia uirtus est, cuius generis est sapientia, atque prudentia ipsa nobilior, sapientia igitur uirtus erit. At ut uirtuti comparatur sapientia nobilißima eius pars erit, tùm quia diuinis conuenit, & nos Dijs ipsis iungit. Etenim absurdum fuerit opinari, Deos esse fortes, magnanimos, liberales. talia enim sunt priuationes potius uitiorum quam perfectiones. Quòd si prudentia

uirtutum omnium fermè nobilißima est, nec nisi iustitiæ cedit in pace, fortitudini autem forsan in bello, sapientia quanto omni uirtute nobilior erit? Deniq; *sapientes ijdem uirtute præstant, scientia enim diuinorum ad omnem uirtutẽ nos accendit: at uirtute præditi multi natura sunt non sapientes, quandoquidem nemo natura sapiens esse potest.* Optimum *igitur & nobilißimum bonum sapientia.* Quapropter *& insania omnium malorum apex.* Quæ *igitur ad illam deducunt, obliuio, ira, stupor mentis, inuidia atq; eiusmodi, inter maxima mala connumerare decet. non ut luxum, superbiam libidinem: hæc enim non è regione cum sapientia pugnant.* Ex *quo manifestum est, sapientiæ omnem iacturam, grauiorem esse omni uirtutis iactura, non tamen omnium eorum quæ ad sapientiam pertinent. neque enim imperitia puta naturalium deterior est iniustitia: siquidem imperitia insaniæ pars non est, nec pueritia sapientiæ, sed ad sapientiam ipsam accessum atq; ingressum nobis præbet.*

Quomodo *uerò dignoscas te esse sapientem aut insanum, cum reliqua bona ac mala facillimè percipiamus: unde cõtra illum habitũ pro difficillimo seipsum agnoscere, paucis accipe.* Primum *illũ de teipso metiaris, an* Deum *quantum oportet uerearis.* Initium *enim ut rectè sacra scriptura refert, sapientiæ est timor* Domini. Est *uerò aliud non leue huius iudicium agnoscere humilitatem, atq; miseriam cõditionis humanæ.* De-

mum propriam imperitiam. At hoc præ cæteris forsan durum atq; arduum uidebitur. Quamobrem quantum quisq; nube ignorantiæ opprimatur docere operæpre tium est. Nónne primum omnes irascimur? atq; id uolentes facimus: at quid aliud est ira quam breuis furor, teste Aristotele? Quis uerò irascitur? qui se sapientem existimat, neq; enim irasceretur, si nescire se existimaret id ob quod irascitur. ob id enim irascitur, quoniam seu audierit, ei à quo audiuit fidem plenam tribuit, seu quia uiderit certum esse putat, aut coniecturæ firmiter credit: omnino se decipi non posse existimat, ob id iniuria situ factum putat. Ergo qui irascitur sapientem se credit, sciréq; id cuius causa irascitur, & simul stultus est. Qui ergo sapientem se existimat, is stultus est. Tales sunt peruicaces, ambitiosi & improbi planè. Hæc igitur sic coniuncta sunt, sapientem se existimare ac irasci, stultumq; esse. Et rursus stultum esse cùm sapientem te credes ob idq; irasci: atque etiam stultum esse ac irasci, quoniam sapientem te esse putas. Sapiens ergo rarißimè irascitur, quia nec sensibus, nec iudicio suo, nec aliorum uerbis multum credit. Ergo non sibi, nec alijs fidere, non existimare se sapientẽ, non irasci, agnoscere mortalis conditionis imbecillitatem, secũdum est sapientiæ signum. Tertium est, si omnibus in rebus modum adhibeat, ob id apud comicum sic loquitur senex:

Horum ille nihil egregiè præter cætera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.

Nam

Nam mediocriter omnia attingere, indiciũ est posse sibi imperare. Quæ enim sponte attingimus ob delectationẽ attingere certum est. Si quis ergo ne omnino diutius perseueret à semetipso impetrare potest, non paruum est moderationis quod poßit, prudẽtiæ quod cognouerit argumentum: atq; ideo tales sapientiæ iam limina ingreßi sunt. At si protinus à cœpto se retrahunt, si aliò se cõferunt statim, non id sapientiæ sed impotentis animi, ac profligatæ luxuriæ indicium est. Atq; hic mos potius puerorum est quam adolescentum, adolescentumq; quam uirorum. Sic Momentanus ille apud Horatium. Quod si ex uoto omnia succedant, & absq; crimine, uno in genere perpetuus is felicitatis cursus, quartum sapientiæ argumẽtum esse poterit. neq; enim omnia uni feliciter euenire possunt, in tàm fragili compage breui tempore, totq; casibus mortaliũ. Nam stultus felix diu omnino etiã, (ut ita dicam) si Dij unà conspirauerint, esse non potest, ut uix sapiens perpetuò infelix. At de hoc contemplari non est præsentis instituti, sed altioris cuiusdam consyderationis. Vltimum est, ut talis ab omnibus habearis. nam cũ hæc in hominum iudicio reposita sint, id pro constanti ac uerò habendũ est, quòd ab omnibus, quòd à sapientibus potentibusq; probatur. De uulgari enim sapientia, ut diximus, nunc loqui propositum est. Hæc ergo sunt sapientis atq; prudentis indicia. Præceptũ igitur illud cognosce teipsum, sub secundo continetur indicio: & quæcunq; de hoc à

maioribus

maioribus prodita ſunt ſub aliquo horum cõtinentur. Proximum huic bonũ proculdubio eſt fortitudo: nã ſapientia magis propria eſt homini, fortitudo autẽ cum beluis cõmunis. Fortitudo etiã etſi maximũ ſit infelicitatis leuamen, ad fœlicitatem tamen parum aut nihil confert. Tum uerò fortes naſcimur magis, ſapientes cultu & doctrina ſumus. Quamobrem ſapientiæ maior habenda eſt cura quam fortitudinis. Fortitudo etiam rarius (ſi quid ad rem facit) nobis auxiliatur, ut in periculis ac calamitatibus ſolum, at ſapientia ſemper. Deniq; fortitudo ſapientia ſæpius paratur: ut in omnibus caſibus præterquam mortis & orbitatis, quod hi circa interitum, atq; id quod eſt ὀυκ ἔστι ὅτι nihil eſſe, horrendum planè. In cæteris conſilio adhibere & euocare fortitudinem licet. Vt ergo facilius emendare licet imprudentiam et ſtultitiam: ita fortitudine rarius opus eſt nobis. Vbi enim te haud eſſe ſapientem agnoueris ex proprijs ſaltem caſibus argumento ſumpto, & id ſemper animo uoluens quod conductor es ὀλιγοχρόνιος, non perpetuus bonorum ac ſapientiæ ipſius dominus, corriges facilè temetipſum, faſtum depones, aut ſaltem, ſi arduum id uideatur minues. At ut facilius hæc curantur, difficilius cognoſcantur, ita metum facilè quiſque ſuum agnoſcit, difficulter depellit: ita hi animi morbi hecticæ primis ſpeciebus pulchrè comparantur. Iuſti ergo ſapientes, ſplendidi, ciuiles, ac cætera huiuſmodi educatione & inſtitutione euadunt: fortes natura oriuntur,

untur, educatione uix fiunt. unde Flaccus noster.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus. nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sed habet hoc unũ fortitudo in uita dulce, quòd omnia iucundiora reddit quæ nobis placent. Videas Romanos illis suis temporibus uiros fortes, sanè ea quæ in republica tractabant, quæ inter se, quæ domestica ludos publicos, cõuiuia, ædificationes, sic tractasse ut tam quam immortales essent Dij, & summam uoluptatem in actione caperent, & nihil uitæ mœsti aut memoriæ mortis immiscerent. Atq; id summum bonum fortitudinis esse duco, uitam reddere felicem. At contra timidi uita ac nimium, ut ita dicam prospicientis tametsi sapientis, misera tota est plenaq; mœrorũ ac suspicionum. Ob id igitur curãdum est maximè, ut simus fortes. Cum reuoluo ueteres Romanorum rerum scriptores, hui quam beatam uitam duxisse mihi uidentur: nihil humile, nihil triste cogitantes, sed imperia solum, magistratus, honores, conuiuia, ludos, pugnas, bella, apparatus, prouincias, ciuitates, itinera, classes, nauigationes, defensiones, accusationes, aurea tecta, picturas, statuas, triumphos, arcus, porticus, sacra pontificum responsa, senatus consulta, populi iudicia, Philosophorum disputationes, sexcentaq;, ut ita dicam, huiuscemodi. Verum si hæc uera essent præmia fortitudinis, quis dubitat sapientiæ

pientiæ non esse longè anteferendam? sed si fallere sensus, si decipere consilium nostrum, si fabulas pro historijs, si falsa pro ueris subijcere licet, in quibus tandem nobis utilis erit sapientia? Non est ergo fortitudo obliuisci nostræ conditionis, præferre leuia magnis, mortalia pro perpetuis habere, sed rebus ipsis quales sunt intellectis, optimè sibi consulere: seu uitando, seu leuiter ferendo, seu quam breui omnia finiantur intelligendo. Referunt phasianum uiso accipitre occulere caput, tanquam miserum non sit, non agnoscere calamitatem imminentem. Sed & Cæsar dũ caderet uisus est obduxisse capiti togam. At forsan hæc minus horrenda sunt non uidere, non præuidere, sed tamen omne defensionis auxilium tollunt, & amentium cogitationes sunt.

Succedit discrimen malorum ex magnitudine sumptum, nam miserum esse maius est quam infelicem, & mendicum quam pauperem, et unicum amittere filium quam ex pluribus unum, & diuturnitate, & magnitudine causarum: ut inimicitiæ potentiorum & latronũ, quam uiduarum, aut mercatorum, aut piorũ uirorum: & uarietate generis calamitatum, ut cum pluribus modis aspicimur atq; discruciamur. Et conditionibus adiectis, ut iniuria ab amico à uili persona accepta ab eo in quem beneficia contulimus, à magistratu ab alumno magis nos commouet, quam ab incognitis uel inimicis. Præsentia etiam magis futuris, & futura præteritis, & inter futura quæ imminent magis, quam quæ procul

absunt

absunt nos torquẽt. Sed iam ad utilitatis generalis, quæ ex aduersis capitur explicationem ueniamus.

Principio illud nobiscum meditandum ac sæpius reuoluendum, quòd quanquam sæpius dictum sit, repetere tamen abs re minimè fuerit, parum differre quæ uiginti millibus annorum perseuerant ab his quæ tribus millibus: minus uerò quæ tribus millibus annorum ab his, quæ mille annorum spatio finiuntur: multo minus quæ centum annis tantum durant, ab his quæ mille: rursus etiam longè minus, quæ decem ab his quæ centum: minimè autem quæ uno aut duobus tantum ab his quæ decem annorum spatio finiuntur. hæc si tecum cogitaueris quæ uerißima sunt, omnem fastum, regnum, omnemq; etiam calamitatem ac miseriam facilè contemnes, illud tecum reputans & breuitatem temporis, & necesßitatem casus atq; mutationis. Itaq; *hoc uno argumento, quod indies magis ac magis experieris esse certißimum, omnem molestiam animi depelles.*

Accedit huic unum, quod malorum consuetudo mala ipsa minuit: primum quidem laxatis partibus, uelut in podagra dolorem efficit non adeo grauem. Etsi *non in eodem mali genere sit, illud* Hippocratis *adducere possumus:* D*uorum dolorum qui non in eadem parte fiunt, maior minorem obscurat.* Metus *quoq; alterius mali sæuioris dulcem efficit sensum mitioris.* Pueri *flagris cæsi cum uoluptate literis incumbunt, qui non experti sunt plagarum dolorem incredibili molestia afficiuntur*

ciuntur. Ipſe quoq; dolor partis ſenſum obtundit, quod in his qui diu torquentur, & qui uruntur experimur. Quin etiam animus ipſe triſtitia uacuus aduerſa excipit, ut dici ſolet, plenis uelis, ac dolorem totũ in ſe haurit. Si cui in luctu conſtituto pereat res, agrum grando depopuletur, uix eam calamitatẽ ſentit. Et contra pauperi ſi filius aufugiat, propriæ moleſtiæ memor uix afficitur: contra diuiti & fœlici adeo grauis cura hæc eſt, ut nonnunquam hominem perimat.

Nec id omittendum in conſolatione rerum noſtrarũ, pleraq; tanta neceſsitate agi, ut nulla humana prouidentia uitari queant. Quin etiam quæ nobis mala uidentur, dum hominem diſcruciãt, ad uniuerſi ordinem atq; perfectionẽ pertinere. Adeo ut qui fati opinionem citra legis noſtræ iniuriam inuexit, nõ parum ad ſolandos miſeros commodi attulerit. Quid uerò tàm triſte, quod tempus non leniat? Quid tàm calamitoſum, cuius memoriam anni non aboleant? Quid miſerius aut ſtultius eſſe poteſt; quam mala noſtra animi dolore augere? & animo fracto ſubtrahere fomẽta medicandi morbum? cur non tam meliora ſperare tibi quam deteriora licet? cur non in arena conſilium, ut dici ſolet, capis? Cur non aliò mentem conuertis, negociaq; quæ te detineant, ac uehementer ſollicitent capeſsis? Cur non aliò migras, aliosq; tibi quæris ſocios? Et uelut qui immobile uas ſine urna putido humore uacuare uult, aquã immittit aſsiduè, ut illa ſupergrediente labra atq;

effusa prauum liquorem secum trahat, ita animus curis grauibus plenus, alijs curis minoribus sed aßiduis uacuandus est, aut saltem exonerandus. Duo hæc tibi propone cum omnibus communia, scilicet neminem beatum esse, omnibusq́; moriendum esse. Quod si mors res peßima est, deplores conditionem humanam non tuam sanè licet, nisi ut cum alijs cõiuncta est. Quis non rideat flentem hominem ob amissum obolum, qui breui ac certo amissurus sit omnia? Sin autem mors mala non est, ea te ab his malis omnino subtrahet. Sed neque id prætermittẽdum, quod iam antea diximus, incertam esse futurorum expectationem, neq; malũ ullum atrox quod extra nos sit. Experimentum malorum efficere ut mala quæq́;, etiam ipsa mors, leuiora uideantur. Refert Seneca eos qui in arena sæpius uulnera accepere, fortius dimicare quam qui nunquam alias pugnarunt. Quis tàm hebes est qui neget milites, qui morti sæpius occurrunt, quiq́; omne genus malorum aßiduè experiuntur, & ad mortem promptiores esse, & ad omnia mala perferenda? Habet ergo consuetudo, quod in omnibus leniat ac molliat. Quod si omnia metuere uelis quæ euenire possunt, quid miserius uita tua excogitari potest? Si falli necesse est? cur falsò metu uis discruciari? an non longè melius est mala expectantem etiã certo uentura, lætam interim agere uitam, quam non uentura timendo in maxima tristitia uiuere? At fieri poterit etiam, ut mala ipsa non eueniant. Sed & id plerũq;

usu

usu euenit, ut falso metu homo magis concutiatur ac mœreat quam uero. quoniã uera certis limitibus, atq; etiam angustis contineantur, falsa nullos habeant terminos aut fines.

Ergo ubi hæc taliaq; tecum meditatus fueris, præstabit ut ad hanc exercitationem bona è malis eruendi te traducas, quæ non tam utilis est quam necessaria. Et quamuis durior forsan ab initio tibi uisa fuerit, memineris nullam tamen esse utiliorem, cum mala paßim in uita hac nobis perpetuò se offerant. Quin etiam ut ex bonis bona colligas, maiore opus est, licet nõ adeo aßiduò labore, quã ut ex malis ipsis: quod bona hominem magis eneruent, & magis inuideantur, maioreq; sint mole. Verùm etsi dura esset hæc exercitatio, usu tamen mollior euaderet, cũ uideamus eos qui chelin tangunt, cum simul dextra ac sinistra ludere, atque omnibus ferme digitis cogantur, cõsuetudine tamẽ mollescit ea diligentia. Quid illi qui in pedes auersi prosiliunt? quiq; funes superambulant? qui latrunculis, alea, pila ludunt citharamq; simul pulsant, cum ea ex usu etiam facilè agere uideantur? cur hoc in negocio longè utiliore, licet non adeo admirabili, tædeat uel mediocrẽ adhibere diligentiam? ut per omnes uitæ humanæ anfractus, non solum illæsus, sed honestè & cũ gloria transeas. Conandum igitur est ut animo, cõsilio, usu, præsens adsis nõ solum ut prudens euadas, sed etiã fortis, ne illud comicum tibi contingat: Sic timor ex animo omnem expectorat sapientiam.

Vbi ergo non tantum in malis his miseriæ, quemadmodum uulgus insanum putat (quandoquidem nec in bonis tantum felicitatis sit) eße didiceris, etiam non parua in malis bona aut contemnenda esse intelligas. Primum quidem quòd pietatem nobis ingerant, cogantq; mala ut Dei reminiscamur illũq; colamus, ac unicè diligamus. quòd cum per se optimum sit nos gratos erga omnium bonorum authorem, ergo tantum benefactorem esse laudeq; dignum, etiam ad uitæ commoda utile est. Namq; ea est rerum ratio, is ordo seriesq;, ut qui Deum religiosißimè colant (quanquam uulgo quãdoq; secus uideatur) ijdem omnium mortalium sint felicißimi. Quod primum in gentium ac ciuitatũ succeßibus, deinde hominũ etiam declarabo. Populus Iudæus quandiu Deum piè coluit, nónne quemadmodum monuerat eos ante Moses, & reges & iudices habuit optimos ac potentißimos? annonæ & frugum abundantiam, pacem, opes immensas, florentem rerum omnium statum? ubi desciuit, statim in omne miseriæ & calamitatis exemplum recidit. Quid dicã de Christiano populo. Sed omittam hæc exempla ne cuiquam grauior sim. Cur Philosophorum pleriq; beatißimi fuere? Plato, Diogenes, Zeno, Cyticus, Antisthenes, Xenocrates, Xenophon, atq; alij innumeri? nisi quòd quantum ex lumine illis naturali concessum fuit, Deum piè coluere. Obijcies forsan Socratem & Plotinum: sed ego malim illorum fortunam sequi, quam omnibus delitijs Alexandri

Magni tùm uictorijs uel Cæsaris potiri. Veniamus ad singulos, quis pietate Carolo Magno conferri potest? quis etiam felicitate illi comparandus erit? Diu uixit clarus uictorijs, amplitudine imperij, eruditione, ædificiorum magnificentia, bonarum artium incrementis, sospitibus filijs, leni morte absumptus est. Sed neq; Iustinianus Imperator pius inter Orientales huic inferior, gloria, felicitate, diuturnitate imperij. hos autem confer cum his monstris qui Deum non uenerantur, Commodus, Vitellius, Heliogabalus, Seuerus, qui fratrem fratri insidiantem cum uideret, nec ullam reconciliationis spem, miserior quouis gregario milite uixit. Sed omittamus exempla, ratione ostendamus quod propositum est. Qui Deum uenerantur & colunt, primùm quidem mentis lumen adipiscũtur. Optimus enim cum sit, probo homine inferior esse non potest. Ostendimus autem aliâs, omnem nostram felicitatem cõstare sapientia. ijdem cum boni sint grati, alios quidẽ gratias rependendo, alios fama integritatis ad benefaciendum sibi inuitant. Ipsa uerò pietas adeò mœrores atq; molestias animi liquefacit, adeò illũ exhilarat, figit propositum, ut nihil tàm beatum esse poßit, quam bonũ ipsum amare. Fluctuant omnes alij, si rectè animaduertas in tempestuoso mari, cum suis licet sarcinis diuitiarum, honorum, magistratuum, causáq; principum familiaritate, si Hypomochlion non quiescat: Si Deum non ames? teq; totum ac tua consilia ut decet illi dedas? Quãtum ergo

commodi in infelicitate repositum tibi est, si propter illam in summi boni cognitionem ac cultum deueneris? Et quamuis multi de piorum felicitate dubitent, nemo tamen ex improbis ipsis ac impijs est, qui non solum felicem se non esse existimet, sed qui infelicitatem suam non intelligat, quamuis plures ex eis eam dissimulent ac tegant. Quis Senecæ legendo epistolas, non uideat illum fuisse miserrimum, cuius summa beatitas mortis fuit expectatio? En uides nos, qui iam quinquagesimũ annum sumus ingressi, quiq; uel publico stipendio solum sustentamur, aut priuata medendi opera, cum tot aduersis, cum tot laboribus, nihil tamen prius morte esse ducimus? in reliquis satis felices, quod satis piè uixerimus. Impiorum ergo uitam, si quis miseriorem esse putat aut turbulentiorem, decipitur, neq; enim est, aut excogitari potest. Solum tantisper quiescunt, dum insaniæ furijs agitantur, mala super mala congerentes. Vbi resipiscunt, facies omnium malorum & laruæ, flagitiorum spectra oculis obuersantur: quamobrem qui ex illis prudentiores uidentur, hanc unam requiem malorum inueniunt, occupari perpetuò negocijs, nec locum relinquere cogitationi. Quid illa terribilis geniorum facies ante oculos Cassij, Bruti, Ciceronisq; tùm Syllæ parum ante mortem obuersata? nisi scelerum grauissimorum & impietatis imago. Nec credas has esse antiquas fabulas, aut alia non inueniri exempla, quotidie apparent talia, & ego neminem agnoui impiũ, qui huiusmodi

iusmodi supplicio caruerit. Verùm non permittunt proximi hæc ob infamiam euulgari, & quantum licet talia tegunt, alijs etiam negocijs, maximè diripiendæ aut colligendæ hæreditati anxiè intenti. Ipsi uerò qui hæc perpetiuntur, nõ nisi expressa magna ui cõfeßione, fatentur. Succedit huic clarißimæ pietati altera minor, sed haud contemnenda, cum in ipsis calamitatibus parentes, filios, fratres atq; nepotes, consanguineos, deniq; omnes ac etiam amicos, clariore affectu complectimur, atq; deosculamur: quos secundis fortunæ afflantibus, antea aut contempseramus, aut neglexeramus. Vnde multis ob id maxima commoda euenere, & præcipuè paruulis, qui diligentiore cura educati fotiq;, ad magnos gradus dignitatis peruenere. Quemadmodum calor frigore in unum coactus, melius coquit, & odor iucundus tetro circundatus confirmatur: ita homines aduersis casibus perculsi, suos magis amplectuntur & curant. Cum quidam patritius noster nepotem ex fratre uix ut calorem aluisset, quod puer ille esset ac nothus, ægrotauit, agnatus & hæres ab intestato domum, tanquam morituri, adhuc illo uiuente, spoliauit, quo facto, æger indignatus, nepotem charo affectu amplexus, hæredem uniuersalem instituit, uestibus eum ornat, custodes corporis adijcit, tutores potentes & insignes constituit: ita factum est, ut nepos his pluribus susceptis filijs inter primos ciuitatis iam multis annis emineat, alioqui sordida in fortuna uicturus. Et tamen

qui pro deplorato iacebat, credo indignatione iusta excitatus uires assumpsit atq; cõualuit, aliquotq́; annis superuixit. Paupertas, miseriæ, calamitates Romanorũ populum in unum coniunxerunt, in cultu uirtutis continuerunt, exercuerunt in arduis, euexerunt ad orbis imperiũ: at felicitas, uitia ex luxu inuexit, discordiam peperit, seditionesq́;, inde bella intulit, imperiũq; euertit, demum etiam urbem. Ipsa deniq; artium inuentio tot commoda, tot decoræ adiecta cui debentur? nónne mortalium inopiæ atq; indigentiæ?

Sed iam & illud æstimemus nobiscum, quod nihil est quod magis nostram uitam producat sensu ipso calamitatum: qui enim perpetuò in delitijs uiuunt, his nõ secus ac dormientibus uita ipsa clam diffluit. At quid miserias homini contingere, postquã ut ortui mortem coniungat? Ob id Aristoteles somnum interliminium uitæ ac mortis appellauit: eosq́; qui dormiunt nec mortuos planè esse nec uiuos: eos etiam qui dormiunt tempus quod defluxerit non percipere. At qui in summa felicitate uiuunt, maximeq́; in ocio iucundo, non secus ac qui dormiunt uitam transigunt. Si mihi non credis, non Aristoteli, ipsa res te doceat, nam totos dies ludendo transiges, uix horulam præterijsse existimabis. Nihil temporis imaginem longiorem reddit, quàm bonorum expectatio, & calamitatis sensus: nihil breuiorem quàm uita iucunda expectatioq; calamitatum, magnorumq́; malorum. Si igitur calamitates ita perpetiaris,

ut etiam bona expectes, longißima tibi uita uidebitur. quorum utrunq; ei eueniet, qui calamitates ita fert, ut spem seruet. At is qui felix est, nec tempus præsens sentit, nec meliora sperare potest, ut ambobus quæ ad uitæ longioris speciem conducunt, ansis destituatur. Ob id rectè sanè ac iustè uidetur compensasse natura uitas, non solum hominum, sed etiam animantium omnium, ut breuiores tanto quanto feliciores essent uiderentur. At forsan dices, nil mea interest ut breuior uideatur, modo non sit: nec longiorem esse cupiam quæ misera sit. At tu ô egregie quis es qui uelis Epimenidis somnũ dormire, solumq; duodecim aut quindecim annis super uiuere? nónne melius est Mecœnatis exemplo tribus an nis uiuere sine somno, quàm decem annis totis perpetuò dormire? Quòd si te tantum ueræ res delectant, nõ ementita earum imagine moueris, quid est quod huma nam felicitatem amplectaris? quæ ut dixi solũ in ignorantia atq;, ut ille rectè dicebat, in stultitia reposita est? sensibus inuiti uis? ecce sensus habes, qui tibi longum æuum referant. At quanto diutius uiuam, tanto dirior uita erit? an cum hac tamen imò qualicunq;, si sapis etiam absq; spe bona uiuere uelles? at nunc spem nõ deesse, nec defuturam esse supposuimus. Quid ergo est cur uiuere non uelis? At quamdiu uiuam expectatio bo ni me torquet? an malum potius expectare uelles quam bonum? an non hoc bonum quod ante mortem expectans, dum te expectatione torquet, mortis expectatio-

nem producendo plus affert commodi quàm incommodi? plusq; adimit doloris ac metus, quàm molestiæ afferat? Finge aliquem cui certo oraculo nunciatum atque prædictum sit quatuor annis, post à filij unici quē puerum olim amiserat. reditu interiturum, nónne is modo torquebitur expectatione, modo gaudebit? quod quanto magis differtur hic reditus, tanto longiore uita sit fruiturus? is ergo simul & citò & serò rediturum optabit filium, uerum ex expectatione longior uita uidebitur. Sed de his hactenus, de spe ipsa interea aliqua dicamus, postquam in eum sermonem incidimus.

Duo sunt tristes ex opinatis affectus: præsentiū quidem dolor, quem etiā ad præterita transferre solemus, futurorumq; metus: totidem iucundorum, præsentium quidem gaudium, quod ut dixi etiam ad præterita, quasi adhuc maneant retorquetur: et futurorum quam spem appellamus. Cuius Plato tribus uerbis scripsit encomium, cor nutriens spes, senectutemq; fouens, & quæ uolubilem hominum gubernat animum. Itaque si sine metu spes esse posset, letitiæ proxima foret: at cum metui plerunq; admixta sit, sæpius molesta est quàm iucunda. Ergo hac perturbatione carere uelim semper, nisi cum rem formidolosam certò antecedit. tunc enim iucunda est, quoniam expectationem inuisam retardat. Cæterum nihil aliud esse spem quam uigilantis somnium, idem Plato docuit. Qui ergo sperant, contrario modo se habent, quàm qui lætantur & qui timent: in

his

his enim tempus diffluit & breuius uidetur, similes autem sunt his qui in mœrore degunt, ut uideatur spes mœroris quædam species & dolor quidam: sed si spes dolor quidam est, cur non metus uoluptas quædã erit? an quia cum metus, spes & perturbatio quædam animi cum dolore coniuncta est? Sed tamen dolor tempus producit, metus autem corripit? Est enim metus cum uoluptate quadam coniunctus, dum homo timet quod ferre potest amittere. Ergo qui in spe est, bonum dum sperat, aut melius in mœrore quasi positus est, qui timet dum deteriora metuit, quasi infelicitate constitutus. At felici tempus diffluit, infelici producitur: ob hoc qui sperat, tempus putat esse longius, qui metuit breuius: cum uterq; conditionem quam habet mutaturum in contrarium se existimet. Est autem spes boni, metus mali. Ergo qui sperat in mala, qui timet in bona conditione sibi constitutus uidetur. Verum cõtrarium existimant hi, quoniam ab eò quod exspectant non à præsenti statu uitæ conditionem æstimant. Est autem metuentis expectatio mali, sperantis autem boni. Omitto nunc improprium significatum spei, quale illud, A spe malorum ad mearum rerum laudem conuertissem. Et illud:

Hunc ego ne potui tantum sperare dolorem,
Anna soror?

Itaq; postquam spes & lenit dolorem futuri boni exspectatione, & longius tempus præfert, duplici emolumento

lumento in calamitatibus nobis erit. Felicitati autem uel ubi casuram intelligas minimè oportuna, nam in his pro spe desperatio subit, in illis turbat felicitatis uoluptatē. Vbi uerò calamitas maior fuerit, ibi spes magis necessaria. nam moderatione illa omnino indiget. Sapienti autem spes non conuenit, nam Dijs sapiens quantum potest aßimilari debet: Dij autem neq; sperant, neq; timent. At postquā euentus calamitatum, & per se uitam efficit longiorem, et dum spem offert atq; ostendit, eandem etiam longißimam reddit: earum aduentus calamitatum quæ spem nobis non præcidunt, fructus haud uulgaris æstimari debet. Licet autem & in maximis malis spem opponere periculis, uelut si quis sexagesimum natus iam annum, cui ego nunc sum propior, fingat uitam in octuagesimum, nónne melius faciet, quàm si in sexagesimum quintum aut septuagesimum, quoniam cum id quod superest, uitæ præteritæ comparauerit, tristis ac mœrens quod reliquum est inutiliter transiget: at si spem prorogauerit cui malo hoc esse potest? si non fallar, nihil ex uoluptate perperam amisi, si fallar, interim ea usura fruar. At si breuem uitam mihi ipsi præscripsero, totis interim diebus emoriar. Quare sperare etiam præter spem in huiusmodi aduersis adeo terribilibus conuenit.

Subscribamus et ex aduersis ortuq; in eis nouæ spei (quādoquidem uelut in desertis aridisq; locis Aizoum abundat, culta loca non amat, ita spes calamitosis suboritur)

ritur) commodum aliud generale, quod miseros persæpè beatiores, quam ante calamitatem efficere solet: id est, ut in arduis & difficillimis, & incredibilibus spem suam collocent, quam cum quis hauserit, tanto difficilius exuitur, quãto induitur. Huiusmodi sunt quæ spondent Chymistæ, quæ etsi falsa millies comperias, nunquam tamẽ coarguere liceat aut desperare poßis, quæ Necromantici de manibus ac dæmonibus fabulantur, quæq; uisa auditaq; spectra remouent animos: aut quæ uates prædicunt, aut monstra & miracula, in quorum narrationibus atq; habita fide tantum uoluptatis repositum esse credas, quanto quæ finguntur maiora ueris esse possunt. Memini cum puer essem (præcesserat nuper ingens ac diuturna multiplexq; calamitas, adeo ut pauci essent mortales, & qui superfuerant etiam pauperes) audiebam mortuorum cateruas in ordinem euntium, aliaq; nõ magis mira, quam auditu iucunda, quæ uiri illi tanquam uerißima narrabant. Eratq; uoluptas quæ ex horum credulitate oriebatur tanto firmior ea, quæ ex delitijs bonorum fortunæ, quanto hæc illa maior. Nec est quòd obijcias inanitatem, ubi & nos maximè in horum possesßione falsorum bonorum ea laboremus, neq; omnia illa falsa esse puta, quorum aliqua uidemus quotidie exempla, & quæ tot legis testimonijs probantur. Sed iam ad reliqua, quæ tractationi sunt opportuna, transeamus.

Velut ad id aliud ex calamitatibus necessariò consequens

quens bonum, ut miseriam conditionis nostræ cognoscas, qua intellecta, & superuenientia facilius feres, & ad reliqua uitanda prudentior euades, & in perferendo quod pati cogeris, fortior & cautior fies. iam uerò minus afficieris, ubi noueris te iam ad hæc mala ferenda genitum, seminaq; eorũ iam diu in te latuisse, quemadmodum is cui uomica antiqua erupit. Quid enim noui mali patitur? an nesciebat se miserum genitum? seq; esse mortalem? Quin prudentior aliquanto fies, dum conditionem quã dissimulabas, non ignorabas, in publicum exposuisti. Dices forsan conditionẽ & miseriam nostram agnosco, mala tamẽ haud sentio? Miser esse poteram sed non eram, imò felix, multũ inter esse et posse est interualli. Eadem ratione qua miser esse possum, & infelix etiam felix & rex esse possum. Sed quid iuuat hoc? quandoquidem cum hac egregia potestate mendicem? esse posse nec esse, nihil prorsus est. Verùm falleris, nondum te miseria tua plane mortalis conditionis admonuit. Statim enim ubi mortalem te esse intellexisti, scire debueras etiã scientia in te esse recondita, quibus tandem necesse esset omne calamitatum genus atq; miseriarum aliquando experiri. Propterea sapienter admodum Anaxagoras mortuum nuncianti filium, respondit, sciebã me genuisse mortalem. Sed quia hic non philosophari, ut aiunt, docere instituimus, sed utilitatẽ ex aduersis capere, doceamus inquam quam nam utilitatem ex aduersis qualibuscunq; uenari liceat. Certè

hæc

hæc ut omnia deuitet, omnibus prospiciat, in nullo euentu quantumcunq; felici confidat, uerùm ut optimus arcis præfectus cũ pax ubiq; uiget, omnia pacata sint, excubias tamen uelut arce hostibus circumdata, in muris contineat: nec noctu solum quando absq; periculo periculum imminet, sed etiam in ipsa media die. Sępè enim euentus docuit sub tranquilla pace in ipsa securitate die media, obtruncatos custodes, arces captas, præfectos occisos: nec unquam deesse causam, ubi non desit occasio. Qui ergo ita munitus fuerit, ita prospexerit, ita uigilauerit, quid ei eueniet? Certè ut eo tutius uiuat quo minus securus: quod etsi opprimatur (nulla enim diligentia humana nisi Dei prouidentia accedat, casus omnes anteuertere potest) minus affligetur, non fundi tus euertetur, sed aut arcem iam captam recuperabit, aut illa amissa effugiet saltē. Quòd etsi omnia pereant, ipse ab animi iusto dolore, atq; ab infamia liber erit, ut qui omnia quæ præstare debuerit. Ita qui omnibus diligenter prospexerit fortunæ casibus, aut rarò aut leuiter à malis opprimetur: aut oppressus statim exurget, uelut sapiens in castris Chirurgus, cui omnia prælo parata sunt: aut quando omnia pessimè cedant, conscius sibi non ea culpa propria accidisse, nec torquebitur animo, nec infamiam uulgi subibit. At uerò utcunque prouidentia leniat casum aut dolorem, quando, ut dici solet,

Et præuisa minus tela nocere solent.

At fac ut mortalitatis immemor, in hæc mala incautus incidas: primum quidem sæpius offenderis atq; grauiore casu, nec apud te liber ab erroris conscientia, nec apud alios ab infamia. Sed quantum nos torqueant calamitates quas ipsi nobis ex imprudẽtia parauimus, & quanto magis quam quæ casu acciderunt, mœrore afficiant, ut ibi: Proh Iuppiter ibit

Hic ait, & nostris illuserit aduena regnis.

Et illud magis etiam:

Tantáne me tenuit uiuendi nare uoluptas

Vt pro me hostili paterer succedere dextræ?

Sic illud:

Remigiumq; dedi quo me fugiturus abires,

Heu patior telis uulnera facta meis.

At ego nulli testi magis quã mihi ipsi fidem aliquoties hæc experto adhibeo. Vera enim sunt mala quæ nobis ipsi accersiuimus, nam multiplici horum dolore afficimur, & quod communem præter malorum iacturam id nos torqueat, quòd spõte ea nobis asciuerimus: quòd non habeamus de quo queramur: quòd antea rectè ualeremus, nec ulla necessitate impulsi, in ea ipsa inciderimus: quodq; mortales nos irridebũt, amici sint reprehensuri. Nam quæ aduersus nos multi iactant, modo mens recti conscia sit, nec uitio ullo nostro id acciderit, spernere sine ullo dolore debemus. itaq; aduersa nos prudentiores non solum, sed etiam fortiores efficere solent. Quorsum Virgilius suum Aeneam toties

terris iactauit & alto? nisi ut illius eximiam fortitudinem declararet atq; prudentiam?

Facit & aduersa fortuna, ut non solum iucunda iucundiora, & bona meliora, & dulcia dulciora, ut diximus, uideantur, sed etiã cura adhibita efficiantur. Quis excogitauit apud Germanos panem illum adeo leuem & suauem, nisi frumenti inopia? quis moretum illud Virgilianum nisi paupertas? quis tàm multiplices casulas in eadem domo, nisi loci angustia? Elaborare conamur quorum materia per se uilior est atque neglecta. Vbi ligna desunt, excogitata est culinarum angustia, abacus iuxta larem. Ita me Dij ament, ut ibidem suauius quam in amplo triclinio, etiam citra sumptus curam per hyemem cum familia cænabam. Delectabat me locus igne totus ob paruitatem calens, nullæ ex tot ostijs patentibusq; fenestris rimæ, exiguus focus qui nos excalefaceret prope stantes ante retroq;, nec exureret, cum in amplis cœnaculis magnus ignis ante te urat, frigeas tamen in tergo. Accedit commodum ex angustia culinæ, ut obsonia temperata in mensam afferantur: interim odor & aspectus te delectat. Ibi in unum collecti, filij, uxor, ancillæ, quod placeat in medium semper aliquid afferunt. Nihil est tàm incommodum, quod in eo plura non experiaris commoda. Seruis cares, nulla seruitus iucundior aut aptior quam propria, non coquus condimenta, non puer mensam, non anagnosta thecam scriptoriam, calamumq; tibi aptius parabit,

quam tu ipse. desidiæ consuetudo fecit, ut aliena seruitia nobis blandirētur. Olim mirabar, quod pater meus multa facere sibi atque parare consueuerat, quæ alijs famulis parare solent: at nunc desino mirari id genus officij nonnunquam expertus, nec ob segnitiem interpono id munus, sed quoniā interim aliquid melius ago, lego, scribo, meditor: nunquam dum uestes induo aut exuo, passus iuuari ab aliquo familiariū, præterquam in educendis caligis, quod iam senescenti id mihi opero sum nimis uideatur. Ita ut alijs inseruire minus iucundum forsan fuerit minusq; liberale, præterquam pueris: sic nullius seruitus adeo grata & accommodata, quam quæ à nobismet exhibetur esse potest.

Iam uerò & in aduersis illud emolumentum est non contemnendum, quod mortē facilè contemnimus, quod ille etiam dicebat:

Rebus in aduersis facilè est contemnere uitam.

Et *rursus* Boëthius:

Mars hominum felix quæ se nec dulcibus annis
Inuehit, & mœstis sæpè uocata uenit.

Et *quāti est hoc, quod omnes beatos torquet; cumq; alios uideamus felices, nos contrà miseros, nónne illud* Demonactis *apud* Lucianum *Samosathensem succurrit? quod tàm illi molestè ea bona breui sint exuturi, quā nos letè ærumnas atq; miserias? Quid igitur, damnabimus ne ea cataplasmata quæ, quāuis molesta sint, acerbißimum tamen dolorem leniūt aut tollunt? Quod si etiam*

si etiam illud adiecerimus, quòd hæc nostra felicitas nõ tàm in rebus ipsis reposita est, quàm in ipsius animi nostri mẽsura atq; æstimatione, facilè fieri poterit, ut beatior sit homo in non admodum aduersis quam in secundis. admodum aduersa dixi excipienda; quòd quæ grauiora sunt morte ipsa, mortẽ acerbiorem efficiunt: uelut casus Comitis Vgolini Pisani, *qui in turre cum quatuor filijs fame enectus est.* Hanc *calamitatem lenisse mortem aut mortis exspectationem, qui sanus sit ne dixerit. Sed resolutio, inuicta podagra, mendicitas, cæcitas, mortis expectationem, & illius etiam dolorem lenire possunt.* Q*uinimò uidi perculsos subita maioris partis bonorum amißione, mortem præoptasse.* Vt *ergo animus noster patientia, moderatione, prudentia, naturáq; res aduersas metitur: ita magnas aut paruas efficit miserias.* Indicio *est quòd multi magnis in calamitatibus beati; ut* Socrates & Aristides, *plures in copia maxima bonorum miseri non solum fuerunt, aut à sapientibus tales habiti, sed etiam communi omniũ consensu: uelut* Theramenes, Nicias, *uterq;* Dionysius, & *apud* Romanos M. Crassus *ac pleriq;, qui uitam tyrannicam etiam si intra proprios penates, exercuerunt. Sed ut ad rem redeam, non secus ac multis cõcussa iam ictibus, facilè cadit ilex arbos, quæ firmiter solo inhærebat, maximo cum strepitu etiam frangit: sic qui calamitatibus iam assueuerunt, mollius mortem ferunt.*

Est etiam peculiare quoddam commodum in aduer

ſis, quod ſub generali ratione continetur: uelut morbi temperatum efficiunt, iniuriæ prudentem, inopia parcum, inimicitiæ cautum & impigrum, exilium ſolertem, infamia continentem, carcer patientem, atq; huiuſmodi talia omnia dum uitare conamur mala, ad contrarias his cauſis ex quibus obortæ ſunt calamitates, aut adhuc fouentur uirtutes, nos ipſos retrahimus. Et uirtutes etiam conamur uitijs opponere, tametſi illis non contrariæ ſint: ſed uelut ceruus pedes & crura fugiendo exercet, ſaltumq; ac curſum meditatur, quamuis repugnare non audeat inſequentibus, hoc tamen ipſo imminens periculum conatur euadere. Solent autem aduerſa dum hominem excitant, uires illius intendere, ac excitare animi egregias dotes: tamen uerò homo quaſi cum fortuna luctaturus, omnia quibus ualet, animi, corporis, ac fortunæ bona in ſe colligit, illis utitur quæ iam obſoleſcebant abuſu. Quæ enim bona habemus quibuſq; non utimur, ac ſi non haberemus nobis ſunt. Velut ergo Philoſophi dicunt, ut exiguum frigus extremorum hyeme, præcipuè in pueris, uires cogendo caloris, eorum robur adauget: ita leuia aduerſa non parum proſunt ſemper homini præſtanti, mediocria etiam ſæpè, nonnunquam etiam magna: ſed id ferre poßim, experiri nolim. Condiſcit petulans miſereri afflictorum, ſuperbus non cõtemnere calamitoſos, ubi in patria fueris nõ ſpernere exules. Quod uerò hac in cauſa maximum fermè eſt, qua nam arte melius, facilius

lius aut certius disces cognoscere amicos ab adulatoribus? probos ab improbis? gratos ab ingratis? inimicos ab æmulis atq; inuidis? officiosos à petulantibus? quam si in calamitatem aliquam incideris? nam amicus presto subuenit, adulator statim se subducit, aut etiam tibi insultat. Est & aliud genus, quod gloriatur tibi hæc prædixisse, inimici uerò gaudent, & quo magis urgeris, eo acrius te premunt, timentes adhuc ne resurgas. At æmuli inuidiq; ubi in calamitatem incideris, te tibi relinquunt, solum obijcientes, hæc tibi quæ illi iam diu expectauerant, meritò accidisse. Grati uerò homines in quos iam beneficia contuleris, accurrunt, omniq; auxiliorum genere te iuuare conantur: ingrati quasi te nunquam è facie nouissent, sensim se subducunt, & pudore perciti, quod præsentes non iuuent, & timentes ne petente te auxilium, opes & pecunias exponere cogantur, aut in discrimen salutem suam uocare. Officiosi se offerunt, leuibusq; in causis ac communibus etiam non rogati, operam præstant: petulantes autē irrident. Deniq; improbi quauis ex parte urgent, occasionemq; arripiunt, ut incommodo tuo rem suam augeant. Probos autem miseret calamitatis tuæ. An hæc tanta totq; scire, exigui res precij est? Aedepol dixerim, si cui calamitates non contigerint, præstare homini ut cā adesse fingat, ne tàm necessarijs rebus ac tā pulchris careat. Quid enim quæso pulchrius in uita homini, aut accommodatius contingere potest, quam ut bonos à malis,

ingratos à gratis, officiosos à petulantibus, amicos ab adulatoribus, inimicos ab æmulis dignoscere queat? Et *tamen hæc omnia hoc uno, scilicet euentu alicuius calamitatis aut miseriæ casu certo cognoscuntur, nec alio solertiæ genere, neq; alia uia dignosci possunt: nam si ulla alia uia esset, certè principes quorum tanta est potestas, tot oculi, tot aures, tantumq; hoc sua interest, id agnoscerent: at tantum abest, ut hæc illi norint, ut in dies ab eis decipiantur, nec ulli minus hoc noscere conspiciãtur.* Idq; *non abs re, nam hoc tantum bonum cum præstet ipsa calamitas, ab eo maximè existimandum est eos abesse, qui habeantur beatißimi, quales principes ab omnibus, licet, ut dixi falso, censentur. Sed & in amasijs (si quid etiam talium cura ad hanc tractationem spectat) eadem est ratio dignoscendi ueros fictosq; amores: unde pulchre apud* Lucianum Comicosq; *fingitur meretrix amatorẽ deserere, cum primũ eum fortuna pecuniæq; deseruissent.* At *quanti est amari? pro quo mori malis.* Itaq; *& ex affectibus illorum erga teipsum, & proprijs etiam illorum cum necessarijs ac cæteris hominibus facilè est deprehendere, quo quisq; animo in calamitate erga te sit.*

Illud quoq; accedit in infortunijs, ut siue quis perferat, siue ægrè ferat, famam sibi non paruam conciliet: sed ea si fortiter, si prudenter, etiam gloriam, uelut Theramenes. *Sed & Socrates ipso mortis genere gloriosior, quã tota antea peracta uita fuit. Seneca atq;* Otto

Imperator,

Imperator, cum uitam turpissimam gesserint, ipsa morte quæ in Seneca quod fortiter tulisse eam uideatur, in Ottone quod pulcherrima, honestissima et uoluntaria fuerit, uita omnis à dedecore redempta est. Sic cruciatus serui Asdrubalis, & tormenta Epicharis, & captiuitas Diogenis, & Iri paupertas, atque alia huiusmodi innumera, quibus pleni sunt libri exemplis, multorum nomina ad posteritatem deuoluerunt, quorum alioqui uita iners, mores fracti, natales humiles fuere: hac autem insigni calamitate non solum ipsi, sed & parentes & posteri facti sunt insignes. Accedit ultimo loco ex calamitatum aduẽtu maximum omnium commodum, scilicet felicitas ipsa. quod qualiter fiat ut doceam, altius repetendũ est initium. Felicitatem igitur primum definire oportet, ea igitur est, plena perceptio uoluptatis ex possessione bonorum. Esse enim in genere uoluptatis haud dubium esse potest: quandoquidem felicitas sit quædam uoluptas ac delectatio. neq; quisquam tàm amens est, qui lapides atq; alia uoluptatis expertia, felices esse dicere ausit. Nec omnino si quis dormiat, si quis attonitus sit, etiã quod affluat bonis ipsis, felix dici potest: nec si qua secundum uirtutem mœrens, aut inuitus peragat, felix rursus appellari meretur. Atq; hæc ipse Aristoteles confitetur, tùm in magnis moralibus, tùm in his quæ ad Eudemum scripsit. Dijs aútem forsan felicitas congruere potest, sed hoc prorsus extra præsentem tractationem est. Igitur in quadam uoluptate &

in cognitione sita est omnino felicitas. Quod si summũ bonum homini felicitas est, atq; in ipsa cognitione constitutum, certè non in tristi, sed iucunda situm esse oportet. Est ergo felicitas in uoluptate, at uoluptas etiam animalibus propria est, felicitas autem non. cum igitur sit homini propria, in eo quod homini proprium est, necessariò sita erit, hoc autem proculdubio ratio atq; opus illius est, in illis igitur operatione, non in ipsa sola felicitatem constitutam esse necesse est. Quid igitur aliud est felicitas quã perceptio, hæc enim rationis est opus proprium, non uoluptatis? plenam autẽ esse oportet, nam maximum opus est, atq; eorum quæ homini cõtingere possunt eminentißima felicitas, quare & à plena perceptione oriri iam necessarium est. Plena igitur non erit perceptio uoluptatis, primum si leuis sit, ut si quis percipiat uoluptatem, quod assem lucrifecerit, aut si impura sit: quænam enim erit plena uoluptas eius, qui ex morte filij aut fratris quem unicè dilexerit, hæreditate ditatus sit? cum maior sit ex luctu dolor, quam ex opum incremento uoluptas. Sed nec si non tuta sit, plena esse potest hæc perceptio uoluptatis, multoq; minus si non sit secura, nam si secura nõ est cum metu est, at quomodo cum metu plena perceptio uoluptatis esse poterit, oportet igitur ut plena sit, ut etiam magna sit, pura, tuta atq; secura. Ex bonorũ poßeßione, ne quenquam ex ludo, aut cædibus, aut furtis, ueneficijs felicem esse dicamus. Porrò quænam sint bona hæc, declarare oportet.

oportet. Principio enim ostensum est, ea principaliter esse tria, uirtutem, sapientiam & sobolem, & quæcunque ad hæc comparanda aut retinenda, aut aptè commodéq; exercenda faciunt, nec ex opposito genere aliquorum ex principalibus fuerint: ueluti opes non iniustè partæ, amici, sanitas, cæteraq; huiusmodi. Constat ergo felicitatem, ut dixi, esse perceptionem uoluptatis plenam ex bonorum possessione. Et quod ut plena sit, quatuor sunt necessaria. Vt ergo melius rem assequamur, quærendum est, an cædes, possessio uirginis, aut pueri amati, aut alienæ uxoris, ubi ex his plena percipiatur uoluptas, felicitatis partes esse possint? aut cum ipsa felicitate consistere? Neque uerò perperam hæc quatuor exposuimus exempla, neque duplicem de his quæstionem, tametsi quædam fœda uideantur, immisceri. quandoquidem ex harum quæstionum dissolutione perfecta felicitatis cognitio emergat. Ergo de cæde, cũ non sit opus secundum uirtutem, non potest esse opus felicitatis, nisi quatenus eos occideremus, qui filiorum uitæ insidiarentur: sic enim ad felicitatem hæc cædes, si reliqua non desint, pertinere potest. Quare etiã si quos patriæ hostes. nam hi etiam filiorum uitæ ac libertati aduersantur. Tutius uerò hæc ad felicitatem pertinere poterunt dici, si uel sacramento publico adacti, uel iudicis mandato fiant. tunc enim prorsus opera erunt ad felicitatem pertinentia. Cædes ergo hominum aliquando opus felix esse potest: aliquando imò plerunq; felici

tatem impedit, cum sit opus quod uirtuti aduersatur, ut si ob proprias inimicitias illos occideris, tunc enim cum opus sit quod uirtuti aduersatur, plenam perceptionem uoluptatis non habebis ex possessione bonorum. Ex uirginis autem possessione, si nihil aliud obstet aut deficiat, cum ad generationẽ sobolis pertineat, felicitatis opus hoc esse dicemus. At alienæ uxoris cum leges omnes adulteros abominentur, scriptumq́; sit nõ mœchaberis, ea uerò possessio ad generationem prolis faciat, mixtam esse operationem constat ex uirtute ac uitio, quare partim ad felicitatem, partim ad infelicitatem pertinebit. Quæ enim aduersantur partibus deffinitionis principalibus, atq; hæc sunt uoluptas & bonũ ad infelicitatem pertinent: reliqua autem ut perceptio plena, possessio, neutra sunt & quasi in doctrina. Itaq; apparet possessionem amati pueri, quod neq; secũdum uirtutem sit, quippe ab omnibus legibus uituperatur, et generationi filiorum aduersatur, ad infelicitatem solum pertinere. Horum igitur quatuor possessio unius ad puram felicitatem pertinet uirginis siquidem: una ad purã infelicitatem scilicet pueri: alia mixta est alienæ uxoris: alia modo ad puram felicitatẽ, modo ad infelicitatem, scilicet perpetratio cædis humanæ. Vtrũ uerò quæ ad infelicitatem pertinent prohibeant hominis felicitatem? nam uidetur quod homini iam habenti filios, non obsit amare puerum? quoniam iam filiorum procreatione non indiget? Sed hoc tamẽ prohibet optimam

nam educationem, & ab amore prolis disiungit, quam ob causam solet Aristoteles uituperari in his uerbis: ἵνα μὴ πολυτεκνῶσι, τὴν πρὸς τοὺς ἄῤῥενας ποιήσας ὁμιλίαν. Sed morē Cretensium & alterius legislatoris sententiam recitat, non probat. Ergo non potest quod uirtuti aduersatur, etiā si homo secus optimè uiuat, cum felicitate consistere: sed solum ea quæ licet non sint felicitatis partes aut opera, nō tamen cum uitio sunt coniuncta: uelut lusus & uenatio ac lites, modo uoluptatem aut bonum non impediant. Sed an actiones quæ uirtuti aduersantur, rarò tamen fiunt, impedire poßint felicitatem? certè non: nisi admodum graues sint, ut quarum memoria uel exemplum aut noxa diu duret. nam ut ex raris actionibus honestam ac plenam parientibus uoluptatem nō fit homo felix, ni hæ in longum tempus memoria uel exemplo, uel facti natura extendantur, uelut in eo qui liberandæ patriæ causa, morti se exposuit, præter spem autem euasit, ut referunt de Horatio Coclite, & de Mutio Scæuola, ita non par est tàm facilè continuatam multis operibus atque fundatam felicitatem eruere.

His uisis ad principale propositum reuertor: fuerat autem id, nō posse citra sensum calamitatum hominem esse felicem, nam si felicitas esse citra securitatem nō potest, non potest autem homo securus esse, quin relabatur ex gratia in odium, ex diuitijs in paupertatem, ex sanitate in morbum, ex gloria in cōtemptum, ex quiete in tur-

in turbationem, ex laude in uituperationem, non poterit ergo homo esse felix, nisi eo sit animo ab experientia confirmatus, quod æger, pauper, contemptus, ac huiusmodi fortunæ casibus conflictatur, non sit futurus infelix: sed uelut qui dormiunt, aut apud Principē sponte detinentur, nec infelices sunt, cum dolorem nullū aut molestiam sentiant, nec felices, quoniam perceptione uoluptatis plena uti nequeunt, sed sola actione priuantur: ita hi cum nil deterius timeant felices erunt. Sed quomodo, ut rectè Seneca inquit, poterunt hæc noscere nisi plura horum aut aliqua saltem fuerint experti. qui ergo nullam calamitatem expertus est, omnia maiora putat quàm sint, etsi non maiora putet, non tamen existimare potest se tunc felicem futurū: at si hoc non existimet, sed miserum futurum se esse speret, nónne iam ipso timore infelix est? Quis enim qui se aut filios statim morituros esse credat, non sit iam infelix? at si paupertatem & odium principis, & litem & exilium, & inimicitias & morbum talia esse existimet, qualia sunt mors atq; orbitas, quænam rogo erit hæc felicitas? imò potius perpetuò miser erit. Constans igitur sententia erit, neminem prorsus posse esse felicem, qui perpetuò omnis calamitatis fuerit expers. Calamitatum igitur quæ ferri poßint, euentus ad felicitatem necessarius est. Ob id Demetrij Philosophi apud Senecam laudabile dictum illud admiror: Nihil mihi uidetur infelicius, eo cui nihil unquam euenit aduersi: non

licuit

licuit enim illi se experiri qualis futurus esset, si quid ei non ex uoto contigerit? nec Dij fortunaq; dignum diju dicarunt quem experirentur, sed tanquam mollem & eneruem indignumq; cũ quo contenderent, omiserunt. Adijciebat conqueri de Dijs, quod non illum præmonerent de his, quæ illi mala essent facturi: nam ultro eum omnia subiturum, ne inuitus ea suscepisse uideretur, neq; enim ullum esse calamitatis genus, quod fortes aliqui sponte non subierint: orbitatem, paupertatem, carceres, exilium, mortem, cæcitatem, illos qui fuißent recitabat. Hæc igitur undecim quæ commemorauimus, emolumẽta præcipua sunt, quæ calamitates omnes consequi generaliter solent: quanquam et multa alia. Vnde hominibus initia incremẽtorum, felicitatis gloria, quæ etiam manat ad posteros, iucunda spes atq; expectatio, mutatio morum, uirtutis amor, sapientia, commiseratio uulgi, sensus felicitatis et commodorum. Omitto autem nunc ea, quæ ex legibus per fidem supra fidẽ promittuntur, uita æterna, gloria perpetua, sedes supremæ, suauitas incomparabilis, securitas beatitatis, diuorum consuetudo, iubar immensum: quæ quamuis magna ex parte honestos Philosophos sentire non solum Christianos deceat, quia tamen de solis humanis rebus, atq; his quæ oculis ipsis subiacent, agere proposui, ad aliam tractationẽ Eremitæ scilicet relegabũtur. Nunc uerò non solum, quomodo quæ dicta sunt eo illis prodeant, admonuisse sufficiat, sed rationem generalẽ tradere

dere oportet, quomodo tùm hæc tùm singula commoda, ex singulis incommodis trahere sciamus. Triplex enim est hoc quod proposuimus generaliter, utilitatē docere ex aduersis capere. Primum ut ex omnibus incommodis, quædam commoda eligere doceamus. Tertium ut ex singulis incommodis generali ratione commoda quonam pacto elicere liceat, tractemus. Porrò primum cum iam docuerimus, etiam indiuisum manet, at reliqua iuxta diuisionem priorem agendorum, circa incommoda sunt distinguenda. Fuit autem hæc, ut primum tollere aduersa ne euenirent, conaremur, aut illorum aduentum declinaremus, aut euenientia minueremus. Secundum ut æquo animo illa ferre disceremus, non solum philosophiæ præceptis adiuti, sed etiam ex ipsa re petitis auxilijs. Tertium ut ex ipsis malis bona subtraheremus, exemplo aurificum & illorum qui aurifodinas curant, ex neglecto enim puluere ac cœno, metalla prætiosa eruunt. Porrò quia et horum, quæ generaliter proposita sunt, nō leuis pars est absoluta, ad ea quæ restant transeamus. Duorum autem in his generaliter præceptorum memores simus, alterius quidem (duo enim sunt quæ facienda proponuntur principaliter, scilicet ut prohibeamus ne eueniant, & ut ex his quæ euenerint utilitatem decerpamus) ut incumbentibus promptè occurramus, quædam enim sunt in quibus si differatur, reliqua auxilia parum aut nihil prosint. Itaque uelut excubitores uigilare perpetuò nos

oportet,

oportet, & in omnem occasionem intentos esse, exemplo uenatorum, aucupum, piscatorum, lusorum atque Militum: uita enim hæc nostra nil aliud quàm militia est. Ob id ergo diuino fauore præter cætera, in huiusmodi prouidentia indigemus, ne nos Panicus ille torpor occupet. Quamobrem Romani illi numini, sub eo nomine, in arduis & rerum ingruentium initijs sacrificabant. Alterius ut auxilia ex coniunctis atq; similibus sumantur; ut in seruitute ex obsequio, quod & canes quamuis beluæ norunt: In carcere ab aßiduitate studiorum & operũ: In paupertate ab industria: In inimicitijs à uirtute, suijpsius cognitione, amicisq; parandis.

Initium ergo facientes ab aduersorum ne nobis eueniant impedimento, atq; id non aliud est quam illa declinare. Sed cum calamitatum quædam non recipiant incrementũ, ut luctus, quædam serò ut cõtemptus, aliæ rarò ut exilium, quædã celeriter ut iræ principũ, quædam uariò modo ut carceris acerbitas. Vbi incrementi nullum est periculũ, frustra ne augeatur curã adhibebimus. Sed etsi celeriter suscepturũ est incrementũ malũ, aut omnino celerrimè occurrendũ, aut uix prohibere illud poterimus. Quæ uerò incertos habẽt exitus nõ facilè prohibẽtur, plurimũ tamen potest prudẽtia. In his aũt quæ serò aut rarò augentur, nõ potest si id accidat ut augeantur, homo culpa uacare. Generaliter autẽ in omnibus tantũ relinquitur auxilij, quantũ temporis, uirium, prudentiæ atq; diligentiæ, tùm libertatis nobis

relictum

relictum est. Quamobrē infamia, cōtemptus, exilium, facilius tolluntur aut leniuntur, quàm iræ principum, carcer aut morbus. In horum enim uno celer incrementum est mali & potens causa, in alio libertate spoliamur, in reliquo incerta est medendi uia: etsi certa sit natura morborum, à nobis certum tamen tempus opprimendi requirit. Et interim quantumuis nitaris deteriorem, nō parum potius quàm meliorem efficias conditionem. Diuersæ etiam sunt hominum conditiones, & calamitatum etiam eiusdem generis diuersæ magnitudines: & ut sæpè dictum est, plurimum in his fortuna potest tùm in omnibus alijs. Descendere autem à summis generibus ad species forsan facilè fuerit: ad singula tamen exempla perarduum ac longioris tractationis opus esset. Neq; uerò ob has tàm multiplices malorum & hominum, et temporum atq; occasionum doctrinas, regulam quandam generalem constituere licebit. Nam quidam fortiter ac celeriter occurrendo euenientibus calamitatibus, alij fugiendo, quiescendo alij, alij leniter declinando, finem bonum consecuti sunt. Inuenti sunt & quidam in singulis horum leniendi calamitatem generibus qui malè periere, qui forsan commutata ratione seruati essent. Fabius Maximus impetum Annibalis eludendo, rem Romanam tutatus est: Scipio contra fortiter occurrendo liberauit & auxit. Hi cōmutata ratione bellandi ambo perijssent: neq; enim Fabius par erat efficaciæ Annibalis: nec Scipio si rem

produxisset,

produxisset, occasionibus quibus per celeritatem usus est imparatos opprimendo, fretus fuisset. Nobis patientia & constantia summa maximum attulit auxilium, pluribus cum impedimentis modica potentia, magno studiorum apparatu, diuturna incolumitate: itaq; factum est ut inimici diuturnitate temporis magna ex parte extincti sint, & ego interim multa in re literaria simul perfecerim. Alij, qui potentia polleret, nec haberet tot æmulos, nec nisi in uno genere aliquid elaboratum fuisset, hæc procrastinatio inutilis fuisset: quòd si etiam cum hoc in ipsa iuuenta obijsset, ualde damnosa. Quamobrem Catullus, Tibullus, Lucanus, Persius, gloriam qua nunc etiam florent conscriptis libris, ex celeritate sibi arripuerunt. Hi si maturitatem ætatis meæ aut etiam Horatij uel Virgilij expectassent, iam de illis id dici poterat:

Omnes illachrymabiles
——urgentur, ignotiq; longa Nocte.

At nos contrà, si quamprimum conatus nostros ædere tanquam immaturos fœtus properassemus, quid futurum erat? quandoquidem multi etiam cum hac expectatione me importunitatis accusent? certè non solum ea in uanum edidissemus, sed & his quæ postmodum fuissemus maturiore cõsilio, & maiore cum diligentia ac labore edituri, uiam præclusissemus ad gloriã, si qua est, fuit, eritúe consequendam. Itaq; nõ una uidetur horum omnium ratio, et tamen, ut dixi, ea una est. Conan

I dum

dum est ergo ut rem ipsam per generalia capita distinguamus: iudicium quo in singulis, omnibus coniunctis, uti debemus, unicuiq; pro occasione relinquentes, præsertim quòd multa sint, uelut etiam alijs in artibus, quæ scribi nequeant, & tamen ad rectè deliberandum sunt ualde necessaria. Igitur primum cum inferiorem te in *causa et armis esse animaduertis, stultè egeris si eodem pugnæ genere decertare uolueris, ut contrà si superior sis alieno. Ille eruditior te est, tu amicorũ fauore pugnabis: ille experientia notior, tu disputando illum aggredieris: Ille te iudicio & opibus oppugnat, tu amicitiam principum oppones.* Ita *fac ut semper imparibus cum superiore, paribus cum inferiorè decertes. Si uim ille intentat, ad senatum ad iudicem, ad communes amicos rem trahe. Si litem, ad iudicem qui componere uelit, ad æquitatem, ad potentium amicitias, ad uim refugies: multa enim iure solent, quæ tamen iniusta sunt, obtineri, ut in probationum defectu. Similiter eos qui oppugnare te aggrediuntur, qui qualesq; sint consydera. Si enim plures sint, tempus trahendo illorum coniunctionem dißipabis, unus moritur, alium cœpti negocij pœnitet, alius segnior redditur ad oppugnandum, cogitur alius aliò abire, alium detinent propriæ res, alij in inimicitias deueniunt inter se, quidam exorantur ab amicis, alios pudet facti cum quietũ te esse animaduerterint: tu interim socios tibi ascisces, causæ honestatem docebis, seres inter illos discordiã.* Raro *eueniet ut cun*-

ctando

ctando aduersus plures seorsum infirmiores, ut superior non euadas. Vnum est exemplum Troiæ, à multis regibus in unum conspirantibus expugnatæ diuturno bello, eorum in quibus nihil plures contra unum profecerint protracta expeditione mille, in quibus etiã succubuerint multa? Et ne longius petatur à Christianis aduersus Turcarum principem, quoties conspiratione multorum principum & populorum infaustè dimicatum est? nunquam uerò quicquam insigne tametsi properantibus actum. Quid maius aut admirabilius expeditione illa belli sacri? quæ tamen incommoda multa, fructum exiguum peperit. Cum Italia aduersus populũ Romanũ bello Italico conspirasset, quamuis similibus armis, ducibus egregijs, potentia longè maiore, quid actum est? Itaq; aduersus multos et furore percitos cunctando, uelut alter Fabius, restitues rem. Eadem ratio est in ira principis, in qua latere, quiescere, tutius est quam uel rationem innocentiæ ostendere, uel etiam exorare. Primi animi motus non in hominum potestate sunt: at quicquid sanciuit princeps pro lege habetur, etsi etiam aberrauit, pudet magis pœnitere quàm errare, quam insontes plectere. Exemplum cape ab obligatis uulneribus, quæ si repentè detegere uelis, præter id quod ingentem excitabis dolorem, etiam carnem lacerabis. Si sensim subducas glutten, tutò id facies & sine dolore. Tempus omnia dissoluit, & ut maturandum est in gratia principum ad commoda sibi paranda: ita

in ira sustinendum ac tardandum. Plerique homines canes immitantur, qui fugientes insequuntur, in contra se uenientes irruunt, ut par uideatur periculũ in utroque, in quiescentes neutrum agunt, sed quidam blandiuntur, sæuiores admirantur & quiescunt etiam ipsi. At quiescere ubi de magna principis suspitione agatur, aut cum uehementer iratus, omnino periculosum est? In magistratibus tutius est (quanquam ut dixi nec pro illorum natura, nec potestate, nec calumniæ genere ac magnitudine ratio generalis statui potest) cõquiescere. Imitare nauigantes (siquidem nostra uita est nauigatio omnibus, pluribus etiam naufragium) hi cum sæuiunt uenti, cum mare feruet, anchoras demittunt, cum placidum est atque tranquillum, uela expandũt. His qui se primis rerum perturbationibus statim obijciũt, etiamsi quandoque necessitas cogat id facere, multa incommoda adsunt. Primum non intellecta re te obijcis, ubi ab alijs irrideris, ab alijs reprehenderis. Deinde etiam si rem intellexeris, imparatus cõsilio atque opibus contra paratissimos utroque modo tendis. Sed fac ut paratus sis, & tu quod uix fieri potest, primum illum impetum, illam alacritatem cogeris excipere, seu inimicorum seu alterius calamitatis. Quod si inimici sint, illorum conspirationem dum repugnas, confirmas. Multi enim male accepti quamuis iustè id contigerit, accepta mala ulcisci uolentes illis adiunguntur, qui secus illos fuissent deserturi. nam sæpè accidit ut ab inimicis in societatem

cietatem falsis persuasionibus sint allecti, quas cum illi intellexerint, nõ solum cum eis esse uolunt, sed frequenter ex amicis hostes ipsis fiunt. Quicunq; superare aliquid uult, superiorem se præstare oportet. Quod si solus aduersus plures pugnare cogitur, uel illos disiungere oportet, uel alios sibi socios adiũgere, uel quod optimum est utrunq; efficere. Memineris etiam quod qui ex hostibus tibi iungitur, modo fideliter id agatur, duorum uicem imò etiam plurium gerit: primũ quòd unus tibi adiungitur, secundum quòd unus ab hostibus deficit, tertium quòd animum illis adimit, quartum quòd peritus est negotij, ultimum, quòd omnibus maius est, etiam consilij hostium. Quamobrem procurandum est diligenter (modo id tutò poßit) ut aliquis ex hostibus ad tuas partes accedat. Sed caue ne hoc perniciosum tibi sit: multi enim cum lucri tanti auidos sciant esse inimicos suos, è socijs unum ad eos amandant, qui uel dolo uel ui uel consilio eos perdat, atq; ea arte Romanis Cannensis clades illata est, desciscentibus ab Annibale per dolum equitibus Numidis, Romanis uerò excipientibus. Tutißimum uerò fuerit unum è tuis amicis occultis illis adiungere, qui cum desciscat et illorum animos frangat & consilia reuelet. Ergo si aduersus potentem tu cum pluribus alijs obuiam eas, contraria ratione id agendum maturandumq;, ne tuus ille exercitus dilabatur, aut cogitando ob timorem eneruetur. Eadẽ quoq; doctrina in morbis inuenitur, in quibusdam enim sta-

tim obuiam eundum, ut si uena in pectore disrumpatur, si turgeat materia, si uenenum sæuiat: at contrà in quietis febribus haud properandum. Itaq; medicorum opera atq; solertia nobis pro exemplo sit, quando quidem & hoc mederi sit malis superuenientibus. Illud quoque semper præ oculis habere oportet, nullam esse tantam uim humanam quam tempus nõ frangat, solertia non euitet & eludat, occultatio è periculo non eripiat. In his igitur tribus, potentiam, persecutiones, tanquam supremis anchoris summam spem euadendi, collocare oportet. Quid Assyriorum, Medorũ, Persarum, Græcorum, Romanorum potentiam fregit? tempus. Antipater et Aristoteles nónne temporis beneficio Alexandri minas uitauerunt? Sertorius Solertia & Viriatus & Spartacus, nónne diu eluserunt Romanam potentiam? atq; adeò ut illos ad desperationem fermè redegerint. Nónne plures lepores fugiendo atq; occultando se, quàm leones aut apri pugnando uitæ periculum effugiunt? Tria ergo argumenta sunt uitandorum eorum incommodorũ, quæ nulla ui superari posse speramus: Dilatio, solertia & fuga. Verum non omnibus omnia hæc conueniunt nec ex æquo, nam dilatio omnibus necessaria est, aut saltẽ occultationi. Latuit Christus septem annis, donec Herodes Antipatris obijt: & Mithridates decem annis fermè in syluis, Saraq; Columna aliquot annis Pontifici inuisus. Hi omnes postmodũ magnas res gessere. Solertia quæ à suspicione liberat,

temporis

temporis auxilio non indiget. In uniuersum sapientia plerunq; atq; Philosophiæ studium à magnis calamitatibus nos uindicat: nam ut rectè Seneca ait, uita sapientis ad felicitatem est, uelut temperati ad sanitatem: plerunq; enim temperati sani sunt, non tamen semper & omnes. Cauendum uerò ut si uelit aliò modo uiuere quàm uulgus, ne id publicè instituere uelle, atque alios docere uideatur, hoc enim maximam solet conflare inuidiam, dum & mores pristinos & communes damnare uidetur, & in populo seditionem mouere. Illud uerò diligenter obseruare debet uir prudens, ut cum inter duo mala positus sit, semper id esse uitandum, quod si acciderit reparari nequeat, est enim honorabile, honestiusq; ac tutius.

Verum, ut dixi, non solum prohibere mala & uitare, ac ferre commodius præceptis Philosophiæ docere instituimus, sed etiam lenire arte atq; industria. Philosophia enim, si res necessariæ nobis aduenîunt, consolationem affert, sin fortuito etiam auxilium. Primum igitur illud cogitabis, quod moriturus sis, atq; id certo & breui: unde illud Virgilianum sub Mezentij persona:

Rhæbe diu (res si quadiu mortalibus ulla est)
Viximus.

Et illud:

Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus,
——omnibus est uitæ.

Ita iuuentus pueritiæ, senectus iuuentuti coniuncta

est, in qua mors necessariò reposita est: ut diffugisse uitam certè ille apposito pulcherrimo epitheto rectè dixerit. Hoc *cum memineris, cum molestiam illam tecum reuolueris, necessitatemq́; ac temporis breuitatem consyderaueris, nulla est tàm grauis calamitas, aut animi tristitia, cuius non statim obliuiscaris, eamq́; depellas ex animo. Oh dices, sed filij manebunt fratresq́;? quid ad te stulte? tu ipse moriturus es? illi nihil sentient? tu tormentum id intollerabile perpetieris, tu nũquam redibis, omnia illa quid ad te?* Ergo quid agam? *torquebor ne semper hoc metu? nequaquam: sed postquam hoc tantum malum negligere potes, negligas et hoc minus.* Inde *uide cui usui futurus sit hic dolor? quẽ si æquo animo perpetieris, & constantis & sapientis uiri famam promereberis, & cursum pristinæ felicitatis augebis atq́; implebis, non interrumpes.* Quemadmodum *de* Horatio, Puluillo, Aemilio Paulo, *&* Quintio Martio Rege, *Anaxagora, Xenophonte, Pericleq́;,* M. Bibulo, M. Antonio *Philosopho, Tiberioq́; narratur. Contrà alius cum è septem filijs unus obijsset, uix quarto mense lugubrem deposuit uestem, ad omnem commemorationem flens: ita decem annis senior uno uix mense factus, cæteris malè prospexit filijs, illi nihil profuit. Sed hæc ferenda si non laudanda, in cæteris animum deiecisse, nec cõmiseratione, nec excusatione dignum, sed amentiæ non leuis argumentum est, ac perfracti animi, dignusq́; habendus est infamia graui.* Quamob

rem

rem non abs re erit tunc, si aliter commodè perferre nequeas, molestiam uoluptatibus lenire. Sic apud Vergilium à naufragio.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes
Littore Trinacrio, dederatq; abeuntibus heros.
Diuidit.

Alibi etiam epulum inter maximas curas instruit. Leonidas prandete (inquit) uiri hodie apud inferos cœnaturi. Sapienter mihi uidentur antiqui ludos in funeribus ad leuandum mœrorem instituisse. unde etiam is titulus manet in codice, De sumptibus funerum et ludo aleæ. Nihil mihi tàm profuit in morbo illo tabifico quam alea. Nam cura uincendi potuit diu morari eam tristitiam, quam mihi ex imminentis exitij periculo finxeram. Nec ulla in re ludum cordato uiro conuenire posse crediderim, quàm ad leuandas curas, quas perferre non queat. Quare existimo, iniustè obiectum Augusto, quod bis uictus à Sexto Pompeio nauali prælio, ludere pergeret: nam leuandarum curarum causa lusisse, id argumento esse potest, quòd cum maximè tuto ludere posset, lusit absq; omni suspicione auaritiæ aut luxus. Neque damnauerim Principes, qui mimos, histriones, aretalogosq; alant, leuãdarum sollicitudinum causa, quas illi molestißimas ferũt: modo ut ipsi his homuncionibus utantur, non abutantur, habeantq; non habeantur. Neq; enim exhilarare animum honestius conuenit, quam in doloribus atq; tristitia. Importunè enim

in serijs, superfluè in lætitia adhibentur. Eadem quoque imò etiam magis statui possunt de alijs uoluptatibus à uitij suspicione alienis, quales sunt uenatio, piscatio, aucupium, iter, cœnæ, pompa publica, scenæ, reliquaque huiusmodi. At filios amplexari, amicos cõuocare, magnum affert in exilio in morbisq; lenimentum. Auocare etiam acribus studijs & negotijs arduis, litibusq; tractandis usq; eo ut pro amicis depugnes, obliuionis molestiarum non leuem ansam præbet. Ita arte non minus quàm fortitudine atq; prudentia graues ex animo curæ depelli solent. Sed alios alia solatia iuuant: nam quidam lectione historiarum, quidam fabularum, alij pangendis uersibus, alij historiæ, alij musica dulcedineq; harmoniæ multiplicis leuantur. Quibusdam ædificandi iactura utilior est, delectantur alij ectypis, statuis, picturis, rebusq; peregrinis aut monstrosis. omnia tentanda sunt in magnis discriminibus ac malis, quorum certa nõ est medela. Sed nihil certius, si quem hæc cura delectat, quàm in agrum se conferre, ibi enim præter aëris ac loci, quem forsan intuendo lachrymabaris, mutationem, multa accedunt quæ animum à mœrore auertere possunt. Primum quidem colonorũ simplicitas, uita misera, noua rerum species, arte atq; natura constans, spes anni, mutatio temporum, atq; in arboribus ac herbis non mediocris uarietas, studia deinde rusticorum in tàm leuibus rebus, & illorũ inanes spes, & quàm exilibus in negotijs repositas, auocare mentem

tem à tristitia solent. Proximum huic est studium chymicae artis, quae hac in parte, ut mala alia plura, meritò locum inuenit, nam quae spes uerae ob paruitatem implere animum & tristitiam depellere non queunt, inanes hae, quoniam nullum sibi finem statuunt, efficere possunt, licet autem minore malo maius depellere. Et iactura rei, uitae & incolumitatis ac famae damna periculaq; auertere. Seu enim res noua aliqua successerit, quod rarißimum est, seu in irritū alea ceciderit, quod huic arti perquam familiare est, magnum leuamen curarum aduenit: hoc quidem memoria perditae impensae, & noua spe fabricata sibi: illi dulcedine inuenti, ac spe in immensum prolatata. Neq; enim ullum genus hominum magis suos clientes imò semetipsos miris ac incredibilibus speratis lactare solet. Quid cum illa enarrant, quae nunquam fuerunt neq; esse potuerunt, tanquam praesentia & sub eorum manibus posita? cum ratiocinantur, diuidunt, numerant, disputant, certant tanquam de uerißimis rebus atq; experimento compertißimis? cum errores suos sponte accusant? cum emptiones ex nondum parta pecunia, sed quae indies minor fit aliaq; opera facienda non mediocris sumptus proponunt. Vidi patritium mihi familiarem, qui in luctu unici filij ob has tantas spes, ob tàm locupletem fabulam potuit quàm breui amißi filij obliuisci, cum etiam esset senex. Nescio an hominum amentiam magis rideam, an auxilij potentiam admirer? Sed ut mihi uidetur,

tur, nihil melius est aut firmius aut honestius narrationibus de immortalitate animorum, quibus in suprema die Iulianus Imperator, Cato Vticensis, ac Socrates usi sunt. Quorum unus fugientem mortem retraxit: alter ut necessariam æquo animo, quamuis Iuuenis et Imperator, pertulit: tertius cum esset Philosophus lethum læto animo expectauit. Sunt quibus acta fortium uirorum atq; exempla eorum, qui sponte mortem subiere satisfaciant. E quorum numero ego aliquando fui, cum enim anno trigesimo ætatis extra primam & pauperrimus ex tabe, ex qua postmodum Deo auxilio seruatus, imminentem mihi mortem expectarem, nullo alio consilio tantum timorem atq; mœrorem leuare potui, quàm aßidua lectione eorum quæ paßi fuerãt, qui pro Christi lege interierunt. Mecum enim ipse dicebã, quid est quod tãtum doleas mortem naturæ lege tibi incumbentem, cum hi sponte eam sibi accerserint? atq; ipsi diuites & beati, tu autem miserrimus & infelix undequaq;? illi incolumes erant tu æger? etsi etiam èffugeris hoc periculum quamdiu uiuere poteris absumptus febricula hac, & purulento hoc tàm copioso sputo? cui uerò negocio idoneus? Itaq; dum miseria miseriæ dolorem leuabam, utrunq; effugi. Sed ad rem redeo. Alij in grauibus uiris familiam nouis seruitijs augent, alij affinium alũt filios, atq; in illis educandis atq; instruendis (quod consilium si res familiaris admittat, non uitupero) delectantur. Sunt qui horum loco catulos, simias,

aues

aues alant. Vt non mirer Augustum, cum hanc superfluam curam quorundam conspiceret, interrogasse, an apud eas gentes mulieres filios non parerent? Quod uerò sollicitos senes aut alia ex causa de uitæ breuitate multum alleuat, est, si se alicui mortis præsenti periculo obijciant, uelut nauigationi aut bellicæ expeditioni, nam ubi euaserint maiore metu minorem pellente, & quasi quod superest uitæ pro lucro ducentibus, obliuiscuntur fermè eius inanis curæ. Hæc igitur atq; similia facere, excogitare, fingereq́; licet ac decet, ad molliendas animi molestias, ad leuandas calamitatum curas, timoresq́; seu iusta causa, seu inani cõceptas, modo cum decore ac sine crimine fiant. Ex physicis autem buglossum, melissa, bibinella, crocus, apium, hyacinthus, smaragdus.

Ergo ut hæc honestè ac sine crimine facere poßis, atq; quod difficilius est efficaciter, dicti illius Epicuri memineris, qui uult liber esse, seruum se Philosophiæ faciat. Neq; uerò præceptis & studijs, quæ nõ adeo homines mouent, sed uita & conuersatione ad imaginem iustam uerè sapientis se effingat. Cum uerò sapientis dico, non est ut adijciam etiam Philosophi: quippe uerè sapiens esse non potest, qui etiam optimus uir non sit. Hoc autem declarare huc non pertinet, sed alibi à nobis cum ostensum sit, & longo indigeret oratione, nũc ut manifestum supponatur. Verùm ut rem tamen breuibus amplectar, sapiens quomodo sapiens erit, si non

beatam

beatam sibi uitam comparare norit? at quomodo uitam beatam sibi comparabit, criminibus atq; multiplici scelere inuolutus? omitto quod uelis uel sic beatū esse posse, quod tamen uerum esse non potest, non illud saltem negabis, sine his longè beatiorem futurum? Ergo *sapiens aut omnino probus erit, aut præstat sapienti omnino bonum et purum esse potius quàm sceleratum atq; improbum.* Huic ergo *sapienti, qui aduersus fortunæ ac naturæ iniurias munire se uult, sic se conformabit homo, quasi singulis diebus rationē uitæ, illius diei tanquam puerulus* Magistro *sæuo redditurus esset.* Quod *si quis hoc efficiat, hominemq; optimū aliquem sibi deligat, quem moribus et actionibus suis præficiat, cuique cuncta uelut in exomologesi referat, non solum acta sed cogitata, is sanè aduersus imminentia mala se præparare poterit.* Vnde *patet exomologesim erga uirum undequaq; bonum et sapientem, non solū ad Christianos pertinere, sed esse ex lege naturæ, cum quis optimè sapienterq; uiuere curauerit: neque enim aliter quàm hoc præsidio ab improba uita, à uitiorum lapsu, à tàm multiplici peccādi licentia, à tot erroribus quisquam se retrahere poterit, quam si & pudore & metu quodam ac reuerentia, tùm etiam cōsilijs sapientis contineatur.* Quod *si talem omnino inuenire non queas, mortui alicuius, utpote* Zenonis, *aut* Antisthenis *aut* Cleanthis, *aut* Platonis *aut* Socratis, *aut sancti alicuius uiri acta, maximè illorum qui in* Eremo *uitam duxere,*

re, imitandum tibi propone. Vbi uerò ſapientiam adeptus fueris, indies, dum quaſi per ſcalam aſcendis, Deo propior fies. non equidem ut quantumuis ſapiens infinito interuallo non diſtes, ſed uelut centrum cuiuſcunque circuli quantumuis magni uim quandam ac ſimilitudinem refert, & poteſtatem effingit: ita ſapiẽs dum per cauſarum cognitionem ad ſupremam tendit, propior ac ut uerius dicam ſimilior illi efficitur: Deumq; agnoſcens aliquanto melius, ſuiipſius autem comparatione longè plus ac perfectius illi aßimilari conabitur, puritate, conſtantia, contemptu fortuitorũ, cognitione multorum ex paucis ac per pauca, probitate, tùm uerò ne erga illum ingratus ſit, dum cogitat, quot poſt ſe reliquerit mortales, impuritate, metu, ſuſpicionibus, ignorantia, erroribus, inconſtantia fortunæ atq; propoſiti finis ignorantia, omnes uerò inquietos & inſatiabiles, ob hæcq; omnia triſtes & planè infelices. Quod etſi interim ſapienti fortunæ bona non adeo adſint, nõ tamen ob id infelix erit: ſed uelut Deus antequam mundum ordinaſſet in ſemetipſo felix, ut qui totus felix ſit ad opera tamen felicitatis non prodit. Hac igitur ſapientia atq; conſtantia, cuius pars patientia non parua aut contemnenda eſt: uelut optimus nauta tùm etiam reliquis, ut diximus fortunæ bonis inſtructus, magnos fortunæ impetus nullo negotio declinabis: alios elides, ad ingruentem uerò ualidam tempeſtatem paratus undequaq; occurres, qua tandem ſuperata, felicem ac beatam

tam ducet uitam, nec solum, ut dixi, contentus philosophica illa quiete, sed præter illam quantum par est sapienti, ex omnibus, naturæ ac fortunæ commodis adeptus: utpote filiorum, amicorum, sanitatis corporis, prudentiæ, scientiæ, gloriæ, laudis, opum, honestæ uoluptatis, potentiæ longeuæq; uitæ, atq; cæterorum si quæ sunt alia his potiora.

Quòd si quis obijciat uulgatum illud.

Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Cur non hæc omnia tibi, qui alios doces? Diuinum quidem est bona docere ac præstare, habere autem multum æstimantis talia: nam cum fortuna parentum nobis multa denegauerit, utpote sanitatem, à senibus ac infirmis iam parentibus natus sum: opes, pauperes enim erant, contempseruntq; illarum acquisitionem, clientelas, amicos? necesse erat uel sapientiæ studia hæc parare uolenti negligere: uel illa ob sapientiam & incolumitatem. Quid quod de litibus quas pater mihi reliquit, & multas & cum potentissimis uiris & inextricabiles? Neq; uerò tametsi Sol generationem in hominibus alijsq; uiuentibus filiorum facit, ipse filium unquam progenuit? at Sol filio non indiget? Sed neq; nos multis quæ hic adipisci docemus. Prima enim bona docuimus esse uirtutem, sapientiam ac filios, cætera propter hæc. At filios habemus, de uirtute & sapientia alijs iudicium relinquimus. Sed neque aliorum quæ ad hæc seruanda sunt necessaria, quicquam Deo dante, deest.

Non

Non ergo omnino medicus ille sum ulceribus scatens: sed cum pluribus natus ulceribus, iam pro tot laboribus & tàm imbecilli corpore, tùm studijs aßiduis floridæ senectutis limina ingreßi sumus. Eam felicitatem magis Dei auxilio quàm sapientiæ nostræ (ueraces enim sumus) tribuimus. Sed & sapientiam ipsam nisi Deorum munus omnino quis æstimet, non solum impius est sed etiam insanus. Sed ut antea diximus, quomodo calamitatum historiam ac commoda conscribere, aut conscribenti integra fides haberi potuisset, nisi easdem nos fuissemus omnes fermè experti, atq; ab his explicati? Vt ergo Matthiolo dum de plantis scriberet, Ananiam uallem ut lustraret, sæpius imò aßiduè expediebat: ita mihi de calamitatibus scribenti conuenit, ut seruitutem, imbecillitatem corporis, paupertatem, inopiam omnium rerum, lites longas & graues, contumaciam parentum, uxorisq; affines ciues, inimicos potentes, contemptum populi, publicamq; infamiam, graues iniurias, amicorum ingratitudinem, morbos præterea innumeros, pestem, hydropen, uentriculi, coli, dentiumq; dolores, casumq; oculi sinistri lachrymam, podagram, lepram, dysenteriam, nephritim, meiendi tinesmum (rem sane molestißimam) destillationem, uulnus profundum in fronte ex casu, febres, cordis palpitationem, melancholiam, nocturnos timores in somnis, concoquendi imbecillitatem, hæmorroidas, impotentiam ueneris usque ad ultimam desperationem in

K ipso

ipso flore iuuentutis, quod inter cætera summum malum esse ducebam, quæ omnia subij, tùm casum equorum frequenter, iacturam ex alea, insidiasq; & domesticorum peruicaciam, principum quoq; iras, ne quid ad cumulum calamitatum deesset, experirer. In filijs autem nullum defuit malorum exemplum, contumaces, stulti penè, improbi aut omnino miseri, maiore natu acerbißimo cum luctu extincto ac publico iudicio, infœcunda puella. Ita iure factum est ut extremam senectam ingrederer, ne uitæ meæ malorum aut bonorum, quæ ex malis colliguntur exprimentum ullum desyderaretur.

HIERONYMI

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE VTILITATE CAPIENDA EX ADVERSIS.

Liber II.

DE DEFORMITATE.



AM ergo ubi hunc calamitatum celebrem numerum adimpleuerim, quarum nonnullas perpetuò, plures diu perpessus sum, quis audeat se calamitosum aliena culpa dicere? si ego cum tot tantisq; malis non solum infelix non sum, sed etiam felicißimum me existimem? neq; forsan immerito, cum eò iam peruenerim, ubi præuentus morte uix dici potero. Cumq; omnibus gentibus ac populis notus, ac etiam principibus maiora illis præstare possum quàm illi mihi, si uera sunt (quæ tamen uera esse comperimus) quæ Epicurus *Idomeneo scribit: scilicet, se plus illi quamuis principibus familiaritate maxima coniuncto, maximisq; defuncto honoribus profuturũ, quàm* Epicuro Idomeneus *posset. Siquidem immortalitatis nomen largiendo. Quanquam principes in offensis potentiores sint, commune est hoc cum feris atq; lapidibus: at benefacere cum dijs*

commune nobis eſt, & ueræ felicitatis argumentum. Itaq; illi nos miſeros efficere poſſunt, ſeipſos beatos minimè. Quod ſi filiorum fortunam, quod plurimi Philoſophi fecerunt è felicitatis ſubſtantia ſegreges, abunde me felicem eſſe putabo: nam præter commoda omnia priuatosq; ac publicos honores, tot libros euulgatos, longè plures conſcriptos, plures etiam aliorum quibus inſertus ſum, maius quippiam eſſe exiſtimauerim ſcientiam tot arcanorum, quæ rationum generi noſcere fas non eſt. Quanquam his uti, eaq; tenere quando uelim, liberum mihi haud ſit. Nam ſi licuit Senecæ hoc uerè dicere, ſapientiam illam quam ipſe poßidere profitebatur, (truncum quidem quaſi inutilem, utpote non ſolum ſine ullis arcanis, ſed etiam ſine diſciplinarum cognitione, ſine uitæ integritate) eam producere felicitatē quæ longè hac uulgari ex naturæ fortunæq; bonis ortum habente maior, ſine errore, ſplendidior atq; diuinior eſt: quid ſanè dicendum erit de hac abſoluta, quæ mortali concedi poteſt omnibus numeris ſapientia? continentia quidem uitæ, et omnium bonarum artium notitia munita? Ergo infelicem eſſe, non naturæ uitium eſt, non fortunæ, ſed tuum, poſtquam ego cum tot tantisq; malis felix etiam eſſe poſſum? Nec quiſquam me accuſet ob id inſolentiæ, quaſi ſuperuacuis laudibus me efferam? nam hæc ipſa bona mea non eſſe agnoſco, illa etiam minima cum per ſe exiſtimantur, plura enim ſcit longè qui ex genijs quaſi nullo cenſetur in nume-

ro:ut

ro: ut argumentum rei hæc à me extorserit non acceperit. Quamobrem quid est quòd quis ob deformitatem discrucietur, postquam tanta mala æquo animo perferre decet sapientem? sed hoc iam nostri operis non est institutũ, uerùm, ut diximus, ex ipso infortunio (postquam hoc pro infortunio habet) commodum suum elicere, imò si elicere non poßis, exprimere. Sic natura è Napello præsentißimo ueneno muscas eduxit, & mures aduersus uenena salutares. Et in persico inutili sanè uitæ fructu, glandem tot morbis cõmodam. Ars quoq; è scorpionibus oleum aduersus illorum ictus, & ex serpentibus theriacen propriè aduersus serpentum morsus excogitauit. Voluit et ad alia alterius generis commoda traducere, cum uinum aduersus elephantiasim ex ijsdem cõficere docuit. Sic qui agros stercorare, gallinas uermibus per hyemẽ atq; urticis pascere, ut oua parerent inuenit: Et è blattis Philomenas, atque huiusmodi exempla sine numero humana solertia uidere licet.

Deformitatis ergo uitium quod leuißimum est inter corporeas calamitates, quæ sunt morbi, dolores, ἀναπηρίαι uelut cæcitas & surditas, senectus atque mors, plus alijs quam tibi incõmodi affert. Sed et deformitatem uoco non solum quicquid abominantur oculi, sed incomptam uocem quæ aures fatigat, os fœdum, anhelitum malè olentẽ, rem sanè meritò cuiq; inuisam: Omniaq; propterq; homines & perspectum tuum &

conuersationem, mensæq; aut cubiculi societatem oderint, uelut fœda uitiligo, scabies, turpes cicatrices, pediculi, cuncta hæc atq; similia sub deformitatis genere cõprehendo. Si putres sint dentes, si tuberculi quædam in facie oriantur, si deficiant capilli uel barba, ut plerisq; elephanticis, si anteriores dentes desint, si sudor, si pedes multũ fœtent. Omnia hæc huic malo adscribi uolo: cumq; uniuersum corporeorum malorum genus sex his enumeratis contineatur: ipsa quoq; operæpretium fuerit ostendere non plura esse posse. Itaq; cum omnis defectus aut sit maximus, & sic est mors, aut ineuitabilis atq; sic senectus uocatur: aut uitari potest ante, sed ubi superuenerit totũ aufert quod afficitur, sicq; fiunt ἀναίσθητοι seu ἀναπαίσθητοι, ut cæci, surdi, claudi, qui omnes fermè sunt insanabiles. Sanabiliũ autem genere alia quidem cum noxa magna, sed paruo sensu, uocanturq; morbi, uel si sensus noxam exuperat dolor uocatur. Cum uerò in operatione uitium non est, uocatur deformitas seu sanabilis sit seu insanabilis. Horum igitur duo omnino immedicabilia sunt mors & senectus: duo natura sanabilia, licet ob uehementiam aut causas aliamue occasionem non posse sanari cõtingat, morbus & dolor: unũ quod natura particeps est utriusq;, licet magis insanabile sit, quam sanabile scilicet ἀναισθησία: unum quod indifferens est ac commune deformitas, de qua nunc agere propositum est. uerùm ut antea præfatus læui malo læuia etiam commoda sociantur.

ciantur. Si fœditas adsit curandum est, ut auxilijs medicæ artis tollatur. Quid fœdius nasi defectu, & tamen ex toto reparari potest quadraginta dierum spatio bracchij, musculi carne. Leuiora pediculi, scabies, crustæ te admonebunt ut diligentior sis in balneorum usu præsertim odoriferorum: ita fiet ut non solum mundus sed bene olens euadas. His etiam incommodis dum corpus purgatur, dum exquisitiore uictus ratione uteris, diuturna sanitate frueris. Memini me cum scabie illa triginta annorum laborauerim, interim præter tabificam illam tußim & febrem tertianam duplicem septem dierum me nullum aliud sensisse incommodum. Existimo etiam perpurgato ex tàm aßiduo malo exquisitius corpore euasisse phthoen: cuius indicio est quòd cum medicamẽto ualidiore scabiem quæ postmodum nunquam redijt, anno quinquagesimo primo ætatis curassem, nunquam postmodũ constanti ualetudine adeò ut antea usus sim. Etsi morbos læues perferre medici sponte consulunt, quosdã etiam arcessere, ut à grauioribus tuti simus, quanto magis iam consuetos, & nihil mali inferentes tollerare bono animo decet? Siquidem, ut dixi, huius causa homo cõtinentior euadit: continentia autem mater est sanitatis & incolumitatis, & roboris uirium, longitudinisq; uitæ. Cæterum quid est quod uel deformitate torquearis? cum & Plato leuiter gibbus esset, & sic appellatus quòd latam frontem habuerit: nam ante nomẽ illi uerum fuit Aristocles, adeò

ut non ſolum deformis eſſet, ſed à deformitate quaſi per irriſionem nomen illi inditũ ſit. Et Ariſtoteles paruus, paruis oculis, gracilibusq; cruribus? uel quòd non melius emendare quam illi hoc damnum, quod quantulumcunq; ſit, nil aliud affert, quam ut ſis ridiculus, poſſe ſperauerim? An ulli eorum hoc obfuit? an non in admiratione omnibus gentibus ac toti poſteritati hi deformes fuerunt? leuem hanc naturæ iniuriam ac turpitudinem corporis incomparabili animi pulchritudine penſantes. Rideatur ſimia & certopythecus ob deformitatem: non uir ſapiens, ſtrenuus, fortis, prudens, innocens, probus, illuſtrisúe? tales potius ſuſpiciamus, amplectamur, admiremurq;. Verum nec hanc exiguam labem Ariſtoteles neglexit, ſed ueſtibus, annulis, comitatu egregio alijsq; ornamentis texit. Sed nulla maiora, ſermonis elegantia, prudentia, comitate, ſapientia, amicorum multitudine, gloria, ſplendoreq; uitæ. Sic exiſtimo Colomanum Pãnoniæ regem claudum, gibboſum, luſcum, bleſum, ore deformi, nec ipſo Nireo uiſum inferiorem. Rectè iubebat Socrates ut ſpeculum conſuleremus, ut ſi deformes uideremur, deformitatem illam animi pulchritudine ſarciremus. Si quid magnũ eſſet corporea pulchritudo, faciesq; decora, ſpurina non ſibi ſponte os uulneribus deformaſſet? ſi mulierem puerũq; formoſiſsimum deformemq; ſenem excoriatos inſpicias, minimum diſcriminis in pulchritudine eſſe animaduertas. Quid ergo eſt ut cuticulæ ſolius ratione fucatam

catam hanc formositatem tanti facias? Forma nil citius perit, unde illud:

Crudeles diui serpens nouus exuit annos:
Formæ non ullam Fata dedere moram.

At dices, auxilium peto, lucrum quæro, philosophari non uacat? Illud pro lucro deformitatis pone, quod formosis ob formam perit: perit autem pudicitia, pereunt uires, perit mens. Omnia hæc in deformibus tuta: etsi quis amatur & securior est duplici causa, quod se amari, id est, animum non corpus intelligat, et quod is amor nec ætatis, nec fortunæ arbitrio sit periturus. Verùm ad morborum historiam transeamus, tanto nobis utiliorem, quanto morbi iactura ipsa turpitudine grauior est.

DE MORBIS.



Ergo morbos ipsos multis alioqui graues, qui sapiens est ita reget, ut in posterum longè melius sibi consulat, eorumq; monitu & incolumitati et uitæ longitudini, & rei familiari, ac cæteris omnibus suis commodis tùm etiam successorum melius prospiciat. Fertur Alexander magnus cum uulnus graue in crure accepisset, tùm primum à longa insania qua se & Iouis filium et Deum etiam ab impostoribus Ammonis sacerdotibus persuasus credi uoluerat, resi-

sipuisse, dixisseq; nunc agnosco me esse mortalẽ, quod mortalium dolores experior. Sed hac admonitione qui non mente exciderit haud indigebit. Verum illa secum reputabit, quot & quanta negocia confusa reliqui? quid si modo perirem quam graue onus his quos maximè diligo essem relicturus? propterea iam in posterum res meas ita tractabo, ut qualicunq; hora mors mihi superuentura sit, omnia expedita meis hæredibus relinquam. Inde conuersus ad præterita, hui dicet, quantum mihi temporis frustra perijt? in posterum etiã momenta ipsa colligam: neque enim uideo quicquam mihi perijsse quod non possem recuperare præter tempus, omnem ergo diligentiam in futurum adhibebo, ut totius temporis rationem habeam. cumq; cognoscam quanta sit eius non solum caritas sed etiam penuria, non nisi rebus magnis ac necessarijs illud impendam. Rursus ad amicos cõuersus, facilè intelliget qui nam doleant, qui simulent, quiq; etiam hæreditati inhient. Postmodũ ad familiares respiciens uidebit alios lætos, alios tristes, alios promptos in officio, quosdã segnes, alios prudentes, alios stupidos, de quibus ubi conualuerit, uel etiam in ipso morbo, quod illi & dignũ uidebitur et è re sua, statuet. Post hæc & medici industriam & pharmacopolæ fidem diligenter explorabit. Demum illud considerabit, quo nam morbo laboro? unde mihi causa? hæc certè quæ mutaui, morbum hunc pepererunt? illa quidem omisi, his præter consuetudinem usus sum, illa nimis

mis frequentaui, delicijs nimis indulſi, ab ira & curis me uinci paſſus ſum: obfuere hæc quia nimis imbecilli uentriculo ſum, illa quoniam iecoris ſum calidioris: in poſterum proſpiciam ne crapula me occupet, ne perturbationibus uincar, ſtudium ſalutis negocijs anteponam: frigidam omittam, exercitationi matutinæ incumbam, crudis uix unquam utar. O me beatum, ſi mihi ab huiuſmodi nimis dulcioribus ac crudis temperare potuero? ſed temperabo, uitæ ſumma cura habenda eſt. Iam uerò rem exemplo perquam appoſito declarabo: ualueram annis quadragintaſex perpetuis, ſi tamen ſic ualere cum podagra, ſcabie, tuſsi totq; alijs incommodis ualere dici poteſt. Sed ualuiſſe dixi, quod hoc toto tempore tantum tribus diebus decubui ex febre duplici tertiana. Itaq; anno quinquageſimo quarto die, tertia Septembris ægrotare cœpi febre, quæ ut plerunque ſolet ab initio lenior uiſa eſt: uerum circiter ſeptimam diem tanta me uis morbi circa os uentriculi, tùm etiam imum eius inuaſit, & incerto ſub ſenſu quaſi cor deficeret uireſq; omnes, ut me uenenum hauſiſſe exiſtimarem, & de ſalute deſperare inceperim: epoto tamen oleo, quibuſdamq; alexipharmacis, ea moleſtia ſanè ſublata eſt, ſed nihilo ſecius febris hora ueſpertina me inuadebat, uerùm lenta & quæ ad ſtatum uix perueniret: mane autem abſolutum medici me exiſtimabant, laborareq; duplici tertiana arbitrabantur. At ego cùm indies res mea deterior fieret, eò recurri quo ſolitus

eram, scilicet ad Deum supplicibusq; uerbis illum exorans, ut me per somnum admoneret, quid facere oporteret, quieui usq; ad solennia sacra templi cui è regione domus mea posita est. Est autẽ ædes diuo Michaeli (ad Clusiam uocant) sacrata, tùm præter morem ante diem tempestiuius experrectus, nihil me per somnum uidisse animaduerti, uerùm credidi ob insuetam illam qua experrectus fueram horam admoneri, ut mihi ipsi consulerem, quod & feci: uocato ergo uno ex familiaribus pueris, iubeo afferri mihi Auicennæ codicem, quòd studendi libros alios laborem me sustinere posse diffiderem. Cumq; tertianæ nothæ caput reuoluo, nihil prorsus meo morbo consentiens inuenio, non rigorem, non sitim, non uomitum, non oris amaritudinem, non calorem uehementem, non sudorem sub accessionis fine: uerùm ubi ad caput amphimerinæ me transtuli, inueni omnia mihi meoq; morbo ad amußim congruere, tàm in urinis quam in pulsibus, atque alijs accidentibus. Quamobrem iam concepta spe eundem authorẽ, quasi mihi diuinitus oblatum, de ratione uictus consulo, tùm uerò & Galenum ad Glauconem quod morbus & hora antelucana longiorem non admitterent laborem, siquidem iam dies imminebat, & ego cupiebam corpori requiem aliquam ante cibũ medicorumq; aduentum dare. Quæro etiam medicamenta eo studio, ut leuiora iuberem parari, de omnibus interim cum medicis meis consilium initurus. Vbi ergo paululum quieuissem, adueniunt

uenerunt illi, sed non simul, primus autem à me multis beneficijs ornatus fuerat, adeo ut quicquid haberet existimationis, mihi deberet, hunc ergo læto excipio uultu, narrans me morbum inuenisse, existimans tùm ob officia præstita illi, tùm ob longam consuetudinẽ quæ inter nos intercesserat, nec solum consuetudinem, sed etiam familiaritatem, tùm ob alias causas etiam maiores, illum grato hæc animo et uultu excepturum, at me fefellit opinio: tantũ enim abfuit ut læto uultu hæc exciperet, ut etiam adiecerit me insanire, esseq́; hoc unum ex meis figmentis, appellabatq́; suo more hæc imaginationes, id est, falsas (ut quod dicere uellet magis, quam quod diceret exprimam) imagines. Nec eo contentus, *subiecit, nihil referre quomodo quis medeatur, artem enim nihil ad salutem ægrorum conferre, sed siue quis bene seu malè seu morbum agnoscat, & curet rectè seu perperam, uel etiam unum pro alio, statutum esse qui debeant mori aut sanari. Hæc ego cum audissem obstupui, ut uera illũ dicere existimaui, qui me insanire affirmaret, cum in tãto discrimine uitæ illius opera uterer, cuius comparatione Thessalus ille, medicus illustris sanè uocari posset. Quòd si & nunc Galenus uiueret, nõ iam tanta contrà illũ declamaturum, cum is uel saltem id amitteret, discrimen esse inter artis usum et abusum. Quamobrem tu modo cogita uter nostrum esset insanior? Itaq; abiecta illa mea immodica, ut par erat tùm patientia, eum ablegaui nec unquam postmodum il-*

lius

lius consuetudine usus sum. Existimans nō meliori consilio eum erga reliquos ægros uti solere, quam erga me usus esset. Vbi eum amandassem, paulopost aduenit alter, multo quidem priore prudentior & eruditior, & nihil de socio conquestus, læta ut priorem fronte exceptum, moneo de his quæ pro salute mea inueneram, docens eam febrem amphimerinā esse, seu quotidianam, non duplicem tertianam. Inualuerat interim in urbe opinio à quodam medico regio introducta, febrem nō inueniri quotidianam, sed neq; ab eo, quanquam senex esset unquam uisam: cūq; esset magni nominis, omnes nil aliud quærentes, in eam descenderāt: ut quemadmodum ego dicere solitus sum, ignis elementum nullū eße, sed ad cōplendum tetradem elemētorum inuentum, cū solū supersit nomen: ita ad explendam febriū tetradem adinuentam amphimerinā, inane nomen. Hac imbutus persuasione meus ille alter medicus, statim negat febrē meam esse amphimerinam, adijciens etiā uelle me insinuare cū iam tamdiu pro duplici tertiana eam tractassent, se mihi mortē potius quam salutē mollitos. Cumq; illi apographum omnium signorum congruentiū per anagnostam iussu meo elaboratum ostenderem, dixit se rescripturum, quod et fecit. Verum etsi pari iure certasset, uix potuisset obtinere, quanto minus cum inferior causa esset. Quamobrē tametsi rationibus respondere nesciret, salusq; in periculo uersaretur, maluit tamen periclitari amici salutem quātum in eo fuit, quam dogma

dogma prodere. Itaq; memetipsum colligens deserere nolui, & auxilijs paratis cōmutataq; medendi ratione statim melius me habere cœpi: trigesimo itaque die febris intermittere uisa est, quadragesimo per urinā copiosam perfectè iudicatus sum. Tum uerò mecum reputare cœpi, quanto in periculo ob desidiam ac pertinaciam medicorū mortales uersarentur, mecumq; dicebā quid miseris istis, qui artis sunt ignari continget, si me quem fallere non posse intelligunt, ita tractant. Verùm secundus ille medicus quamuis affirmaret me laborare tertiana, omnia tamen auxilia uelut quotidiana laboranti adhibebat: amabat enim plurimū me atq; postmodū tot inuenit quotidianas, ut iam fermè iusto plus inuenerit, quā quæ forsan ego fuissem inuenturus: affirmabatq; iam illas esse quotidianas, meam tamen fuisse nunquam fateri uoluit, quanquā in mea exquisitissima omnia signa adessent, in illis multa deessent, et quæ aderant nō essent exquisitissima. Interim uerò, ne quicquā prætercam, rogaui Deum ut me certiorem redderet an ex eo morbo essem superfuturus: intellexi planè me & superfuturū, numerūq; annorū seu uerū, seu per hypalagē et propè recepi, qua fiducia multa sum aggressus, quæ antea ne tentare quidē ausus fuerā. Itaq; iā habes tria egregia bona, quæ ex hoc morbo superlucratus sum: Dei clementiā erga me indignū, uitā securiorē, cognitionēq; desidiæ, ignorātiæ ac pertinaciæ medicorū. Iam uerò dum ægrotarem, mecum deliberare cœpi, ut aliam uitæ uiam inirem, atq; omnia in melius com-

mutarem. Scripsi ergo, partim pueri mei me dictante scribebant librum, cui titulus erat ἀλήθεια seu de Dedicatione, quem etsi non perfecerim, in Dialogum tamen de solitaria uita, seu Eremitam postmodum magna ex parte transtuli. multa uerò quæ perperã scripta existimaui lacerans abieci. Filium natu maiorem quanquam haud admodum rei literariæ deditum, ita impuli ut biennio exacto medicinæ lauream sit cõsecutus: deinde etiam in collegium medicorum urbis, quod sanè est celeberrimum sit cooptatus: alium etiam filium minorem urgebam, ut nunc etiam magna in spe sim, illum tametsi contumacem satis posse proficere. Conuersus etiam ad librorum curam, tantum quadriennio toto profeci quantum non ante alias uix decennio, conscribendo, castigando, perficiendo, adeò in rem intentus fui. Sed nec remißior in pecunia, authoritate, honoribusq; augendis, ob quæ latrunculorum ludo, qui mihi non paucas horas suffurari consueuerat, uale dixi. Et ostio bibliothecæ & in pariete è ianuæ regione intus superscripsi elogium illud: Tempus poßeßio mea. Venire enim soliti plures erant, qui cum diuites essent, tempus subripiebant, pecunias nõ dabant, quos omnes ita hoc elogio absterrui, ut in posterum solis pauperibus (quod pium non solum esse duxi, sed etiam humanum adeo ut quod illis impendere & operæ & temporis lucro mihi esse ducerem) hæc consulendi gratuito uia patuerit. Sed cum tot epistolis undequaq; absq; fructu distinerer,

ſtineret, edito de libris proprijs libello, interpoſui illa uerba (quamobrem male faciunt Germani atq; Itali) reliquaq; quibus poſtmodũ minus moleſti fuere in poſterum. Cumq; animaduertiſſem me ægrotaſſe, quod ſæpius dilato in ueſperam prandio plura ederem quam deceret, nec ederem quidem, ſed præ fame deuorarem. itaq; fiebat ut crudis cibis ac multis nec attritis, uentriculo pleno rurſus per urbem diſcurrerem, id etiam intellexiſſem oliuas (quibus plurimum ob ſaporem, & quod uẽtriculo meo imbecilli ſalutares uiderentur, uesci ſolitus eram) multum obfuiſſe, omnia commutaui, tùm uerò & potum uberiorem prætermiſi, & locum tempeſtiuæ cœnæ reliqui. Itaq; maturius etiam omißis negocijs uel ſaltem dilatis, ientaculum faciebã à prandio abſtinens. Ientaculi forma, leuior panis, paſſæ uuæ, mel, Martius panis, amygdalæ uel pineæ è ſaccharo, olei aliquid ex his quæ & iucundi ſunt odoris & tenuioris ſyllabæ, abſinthium, ruta, menta, meliſſa, dracontiũ, ſic libet nouæ herbæ alienum nomen indidiſſe, Italico uulgari ſatis ſimile, fœniculum, ſaluiæ germina, cauliculiq; teneriores, omniaq; ex oleo et ſale citra acetum, nonnunquam ſalita piſcium oua, & piſtacia, punicaq; mala & dulcia arantia. Sed ex his non niſi unũ, pleraq; tamẽ, ut dixi, ex oleo & ſale. Omittens interim quæ frigida eſſent facultate, et quæ pinguia: ut carnes, oua, piſces, caſeum, omnia ſiquidẽ talia, præter oleum, à cibi etiam copia abſtinui, & eo magis utebar quod

opportunius uidebatur. Si pituita uentriculum obsideret, sumebam cappares, si refrigeratus esset uentriculu rutam, si imbecillis, uuas passas, si robustior ac frigidior indigeretq; solidiore quodam alimento, pistacia, si siccior atq; calidior, mala punica arantiaq;: cum uerò minus fame et temporis angustia premerer, ut diligentius etiam manderem procurabam, sensimq; studui ut etiam lentius. difficillimum enim est exquisitè atq; celeriter mandere. Itaq; ex hac lenitudine triplici afficiebar commodo, & quod interim minus ederem, et quod fames celerius ac magis frangeretur, & quod quæ glutissem coctioni aptiora essent, siquidem melius mansa. Addidi præter hæc tria alia præsidia, pedestrem deambulationem leuem, cum antea per urbem discurrerem, unde & laßitudo & sanguinis feruor, & fames eo incendio excitabantur: lenis enim deambulatio ieiuno uentre, ut Celsus refert, maximè cõfert imbecilli uentriculo, puluinarq; superposui toti uentri hora somni, somnumq; auxi uel celerius me lectulo applicando, uel serius surgendo. Per hyemem quoq; leporis Sarmaticæ pellem candidam mollißimo pilo uentriculo superpono. Ita factum est ut his auxilijs non solum firmiorem sanitatem adeptus sim, sed etiã ad omnia obeunda munia paratior. Dentibus quoq; cum laborarem, non mòdicam adhibui diligentiã, præsertim quod iam quinq; penè mihi excidissent, malumq; id esset hæreditarium, namq; pater anno quinquagesimo octauo, quem nuper

per

per excessi, omnes amisit dentes, mater uerò fermè perpetuò illorum dolore laborabat. Materna quoq; auia, ut à matre audiui, ob id perijt quod cum dentes sensim amisisset, licet satis firmi, cibum deglutiret haud ut decebat attritum atq; commixtum. Ergo curaui ut singulos mane aceto scillitico, in quo piper tritum diu iacuisset, os colluerem, ne quem cibum ualde calidum sumerem, plus enim obest calor immodicus quam frigus ipsum, tùm maximè cum calidos cibos potus statim frigidior exceperit, tunc enim dentes infirmi euadunt, & facilè decidunt. Ergo hac cura, tùm etiam præpurgato corpore ex priore morbo, atq; auxilijs ob eum adhibitis, quod commune bonum est atq; emolumentum cuiuscunq; morbi, ut in posterum melius se habeant, tutioresq; ac securiores sint ab aliorum morborum periculo, quicunque iam morbum grauem euaserint, sanus nõ solũ uixi, sed quasi aduerso flumine deuectus, quanquam ingrauescente indies ætate, prosperiore ualetudine usus sum. Indicio est profitẽdi munus renouatum, totq; labores in artis exercitatione suscepti. Ergo si quis reputet tot tantaq; commoda, quæ mihi euenerint ex eo morbo, nónne dicere uerè poterit idipsum, quod Philosophus ille dixerat, cum ad philosophiam ex naufragio, quo omnia bona amiserat, se contulisset? perieram nisi perijssem. Addidi etiam id, ut cum essem nimis negocijs familiaribus, studijs scribendisq; libris, tùm artis operibus implicitus, nec possem simul etiam ciuili

opportunius uidebatur. Si pituita uentriculum obsideret, sumebam cappares, si refrigeratus esset uentriculus rutam, si imbecillis, uuas passas, si robustior ac frigidior indigeretq; solidiore quodam alimento, pistacia, si siccior atq; calidior, mala punica arantiaq;: cum uerò minus fame et temporis angustia premerer, ut diligentius etiam manderem procurabam, sensimq; studui ut etiam lentius. difficillimum enim est exquisitè atq; celeriter mandere. Itaq; ex hac lenitudine triplici afficiebar commodo, & quod interim minus ederem, et quod fames celerius ac magis frangeretur, & quod quæ glutissem coctioni aptiora essent, siquidem melius mansa. Addidi præter hæc tria alia præsidia, pedestrem deambulationem leuem, cum antea per urbem discurrerem, unde & laßitudo & sanguinis feruor, & fames eo incendio excitabantur: lenis enim deambulatio ieiuno uentre, ut Celsus refert, maximè cōfert imbecilli uentriculo, puluinarq; superposui toti uentri hora somni, somnumq; auxi uel celerius me lectulo applicando, uel serius surgendo. Per hyemem quoq; leporis Sarmaticæ pellem candidam mollißimo pilo uentriculo superpono. Ita factum est ut his auxilijs non solum firmiorem sanitatem adeptus sim, sed etiā ad omnia obeunda munia paratior. Dentibus quoq; cum laborarem, non mōdicam adhibui diligentiā, præsertim quod iam quinq; penè mihi excidissent, malumq; id esset hæreditarium, namq; pater anno quinquagesimo octauo, quem nu-

per

per excessi, omnes amisit dentes, mater uerò fermè perpetuò illorum dolore laborabat. Materna quoq; auia, ut à matre audiui, ob id perijt quod cum dentes sensim amisisset, licet satis firmi, cibum deglutiret haud ut decebat attritum atq; commixtum. Ergo curaui ut singulos mane aceto scillitico, in quo piper tritum diu iacuisset, os colluerem, ne quem cibum ualde calidum sumerem, plus enim obest calor immodicus quam frigus ipsum, tùm maximè cum calidos cibos potus statim frigidior exceperit, tunc enim dentes infirmi euadunt, & facilè decidunt. Ergo hac cura, tùm etiam præpurgato corpore ex priore morbo, atq; auxilijs ob eum adhibitis, quod commune bonum est atq; emolumentum cuiuscunq; morbi, ut in posterum melius se habeant, tutioresq; ac securiores sint ab aliorum morborum periculo, quicunque iam morbum grauem euaserint, sanus nō solū uixi, sed quasi aduerso flumine deuectus, quanquam ingrauescente indies ætate, prosperiore ualetudine usus sum. Indicio est profitēdi munus renouatum, totq; labores in artis exercitatione suscepti. Ergo si quis reputet tot tantaq; commoda, quæ mihi euenerint ex eo morbo, nónne dicere uerè poterit idipsum, quod Philosophus ille dixerat, cum ad philosophiam ex naufragio, quo omnia bona amiserat, se contulisset? perieram nisi perijssem. Addidi etiam id, ut cum essem nimis negocijs familiaribus, studijs scribendisq; libris, tùm artis operibus implicitus, nec possem simul etiam ciuili

uitæ uacare, quod tamen necessarium est ad amicitias opesq́; parandas & autoritatem augendam, ut methodum hanc mihi ipsi conscriberem aliaq́; longè utiliora, scilicet Artem medendi paruam Νοῦν ζωήν, *Dialecticam, ut sub breui compendio maxima quæq́; necessaria complecterer, & sine temporis dispendio omnibus necessarijs satisfacerem. Atq; hæc ita se habuerunt.*

Sed uideo quid dicturus sis: rectè inquam, omnia hæc atque uerè, quoniam hæc uiro contigerunt multis modis aduersus huiusmodi mala præparato, & quoniam semel tantum id euenit in tam longo annorum spatio: sed si hæc sæpius tibi, uel etiam semel homini imperito literarum aut etiam perito, sed non adeò uario genere, nec adeo exercitato aut pauperi accidissent, nescio an tunc iactare liceret. Perieramus nisi perijssemus: quin potius perijmus quoniam ægrotauimus. At ô egregiè, non negauerim primum quod Aristoteles dixit: Grandia & multa mala premunt, uitamq́; beatam lædunt, afferunt enim dolores & multas operationes impediunt. Aßiduos ergo morbos cum paupertate, aut sæuos si quis obijciat, iam ab initio testatus sum de his loqui non instituisse, sed fac ut sint tollerabiles, redeant uerò sæpius, impedient quidem plus quam si semel tantum quis eos expertus esset, uerum nec ob id omnino utilitatis expertes erunt, non tamen adeo uberem fructum eò sæpius repetito colligere licebit, uelut cum primò aduenit, commune enim hoc etiam est ipsis bonis,

ut noua

ut noua magis delectent & iuuent quàm cum sunt consueta. Nempe causas morbi intelligere, uera auxilia cõquirere, mortem minus formidare, æquius ferre morbum, medicos aßistentes ac necessaria melius parata, atq; commodius habere ei magis conueniunt, qui iam sæpius ægrotauit quam qui semel. Sed adime timorem mortis, dolorem & paupertatem, multi sunt qui si rectè uellent res expendere, melius uitam ducunt ægri quam sani. Scio quosdam dum perpetua torquerentur sed citra magnum dolorem, podagra, aßiduè legisse librosq; cõscripsisse. E quibus unus fuit Iulius Cæsar Scaliger qui contra nos scripsit: alter Erasmus Roterodamus, alijq; plures. Adimit tempus sanis amicorum multitudo, forum, deambulatio, tædium illud induendi caligas, uestes atq; exuendi, & tamen felix uita non in corporeis actionibus sed proprijs, id est, animi reposita est. At dicis, tibi quidem tàm multa, sed quid alijs? Forsan plura & plebis iudicio maiora melioraq;. Dionysius Borra cerdonicam artem satis infeliciter exercebat, correptus autem Indica lue, ne quid misero deesset iacebat in lecto, nec ullis auxilijs liberari poterat. Euenit tandem post multos menses, cum & corpus & bona absumpta essent, ut in quendam empiricum incideret, qui illũ sanitati restituit. tùm Dionysius, ut erat uir inter plebeios minimè uulgaris ingenij atq; solertiæ, diligenter omnia quæ ille administrauerat animaduertit. Itaq; muneribus donato homine, cœpit (cum ta-

tamen nec legere sciret) profiteri medicinam, non quidem cuiusuis morbi, sed duntaxat Indicæ huius luis, quã adeò feliciter exercere cœpit, ut iam multis Hispanis quibus hic morbus familiaris est, concurrentibus è cerdone factus sit medicus, longeq́; meliore fortuna quam in priore arte usus, mendicitati ualedixerit. Post ne quid præpostere non illi contingeret, è medico chirurgus, è chirurgo tonsor factus est. Atq; ita credo hic ex morbo tonsor, chirurgus ac medicus factus omnia simul exercuit pluribus annis: filiosq́; reliquit artis & bonorum hæredes, uerum longè præstantiores atque etiam literarum non ignaros. Quod si liberaliorem ab initio nactus fuisset medium socium, non mediocres relicturus fuisset opes, serò enim nobiscum amicitiam cõtraxit. Sed uel sic pulchram domum exædificauit. Simile quippiam Ioanni Firmo Triuultio Comiti (nomen hoc est Sarmaticæ dignitatis Italiæ inuectum) accidit. Hic cum eodem morbo diu laborasset, quendã tandem inuenit, qui illum è feretro reuocauit, docuitq́; medicamentum, quo postmodum ille usus, idq́; per ministros exercens quod nobilis esset ac prædiues, famam magni medici eo in genere morbi tantum tùm adeptus est. Sed quoniam iam tempus est ut ad alia properemus (neque enim horum exempla defutura essent, qui ipsi à lapide uesicæ, à comitiali morbo, à podagra liberati, magnum quæstum ob morbum fecerint) de doloribus dicamus.

DE

DE DOLORE.



T enim morbi metum magnum incutiunt, cruciatum exiguum, ita dolores magnum cruciatum, metum nullum: nam nunc de his est sermo, non de nephreticis aut uentriculi, sed ueluti dentium, podagræ, arthritidis, hæmorrhoidarum, capitis atq; huiusmodi. In his ut metus mortis abest, ita non licet ob tormentum uacare cõtemplationi aut disponendis rebus. Quamobrem peculiarem quandam utilitatis rationem inire oportet. Cum uerò qui dolent à dolore quieuerint, beati sibi esse uidẽtur. Est enim ea mortalium conditio, ut bonum ex malo metiatur. Memini cum podagræ dolores quieuissent, metum multo feliciorem uideri mihi, quam cum non adhuc illos expertus essem, antea enim omnia metuebam, tunc mihi erat persuasum modo à doloribus essem liber, beatum fore, nec uidebar indolentiæ munera unquam sensisse, nisi postquam dolores acerbissimos expertus fueram. Ob id etiam podagræ celeberrimum scripsi encomium, quod adhuc extat. Suauis etiam quædam uoluptas in membris ipsis leni prurituí similis relinquitur, ut compensare doloris molestiam natura uoluisse uideatur. Accedit aliud commodum ex dolore, quod omniũ interim non solum, sed etiam multo post calamitatum obli

ſos,ne quid periret illi. Supra uiginti cum occidiſſet eo dolo tandem detectus,pœnas rotæ inſertus dedit. dumq́; ibi apricaret,carnificem ſibi adduci rogabat qui eum ſtrangularet,erat autem carnifex in urbe, latro ad ſecundum fermè lapidem. Victi tandem miſericordia qui præerant,exoratis iudicibus,carnificem adducunt,ubi nocens illum procul uenientem uidit,dixit,ſe tūc malle ſic mori,ita metus mortis dolores illos intollerabiles ſuperauit. Seu forſan defatigato corpore iam dolorum acerbitas eſſet imminuta. uerùm ſtrangulari iuſſus eſt, ſeu aſpernati hominis mollitiē,ſeu irati quod illos fruſtra fatigaſſet,ſeu quòd nō liceret iudicum ſententiam tranſgredi,aut quod decretū eſſet(quod damnatis atrocibus delictis fieri ſolet(nulla illis in re obſequi. Sed ad rem redeo. Habet hic dolor,quod ſi uincatur turpè nō eſt,ſi dolorem ſuperet, pulchrum eſt ſpectaculum & laude dignum. nónne ergo res illa utilis & digna cenſeri debet,in qua iacturæ nullum eſt periculum,et tamen non leuis lucri ſpes affulget? Verum nec magnum eſt perſæpè magnum dolorem ſuperaſſe. Vt enim ignis ſi alimenta aliena ſubtrahas quāto maior, tanto celerius extinguitur,quod ſuam ſedem deſtruat: ita etiam omnibus his qui ea diſſoluunt in quibus ſunt,accidit. Neq; ergo ſuperare dolorem,qui ſponte imminuitur & finitur,res magna eſt,nec ſuperari turpe. Quinetiam nulla in re magis,quanquam ut dixi omnibus hoc aduerſis commune ſit, amici dignoſcuntur quam in dolore,

præſertim diuturno. Faciem enim amici ex commiſeratione, ex officijs agnoſces, quodq; tædio non afficitur. At uerò quantũ interſit rectè amicos dignoſcere, antea dictum eſt. Cum uerò omnes morbi mentẽ perturbent, licet plus minuſúe, dolor omnis hoc habet præcipuum ut eum illuſtret, niſi ex pernitioſorũ genere ſit: ut cum ad conuulſionem ſpectant, de quibus nõ eſt nũc ſermo. At non parua certè res eſt quomodocunq; accidat, ſerenare mentem noſtram atq; illuſtrare: hæc enim eſt omnis noſtræ felicitatis & gloriæ author. Omittã & alia, illud ſatis ſit, nec morbũ nec dolorem res eſſe magnas, cũ Plato ea quæſierit, atq; ex ſaluberrimo loco in Academiam inſalubrem ſponte ſe contulerit: unde etiam decemocto menſibus quartana laborauit, ut uideatur exiſtimaſſe, quemadmodum in nimis luxuriante uite obrui uuas nec matureſcere: ita in nimis firmo & ſano corpore turbari et opprimi animam. Ne igitur magnũ malũ arbitremini, quod tàm ſapiens Philoſophus quæſiuit. Sint ergo robur & firmitas corporis atq; ſalubritas, tùm magnitudo & pulchritudo ac cætera huiuſmodi inſignium belluarum priuilegia, homini nihil magis expedit, quam ut hæc omnia in animo ſint: in corpore uerò firmitas ad iniuriã, ſalubritas ad luxum, pulchritudo ad flagitiam, magnitudo ad augendam impenſam dum ueſtibus opus eſt, non ad aliud magis opportuna ſunt. Quare de ſenectute agamus. atq; id breuius, quod Cicero luculenter de ea librum conſcripſerit.

DE SENECTVTE.



SEnectute non maius malum nec magis necessarium, nec minus reparabile inter mortalia esse uidetur, quippe quod morbosa non solum sit & deformis & imbecillis uiribus, sed morti proxima imò coniuncta (nam omnis senectutis terminus est mors, atq; etiam despectui irrisui contemptuiq; habita. Quamobrem qui senectutem dicit, maximũ malorum dicit, neq; est malum quod cuiquam poßit imprecari senectute maius. Quòd si aliquid aliud calamitosum adiungatur, ut uxor aut filius cõtumax, aut paupertas, aut morbus aliquis familiaris, aut stoliditas, morte sanè deterior est. Nec est ut uerbis pulchris Ciceronis decipiaris, qui Catonem quendam Polycleti statuæ instar nobis describit, incolumi corpore ac ualido & sensibus etiam ac memoria uigentibus. Talia enim in sene maximè illo mortuario pro miraculo, non pro communi senum natura habenda sunt. Sunt enim omnes queruli, morosi, tristes, nugaces, fœdi & inualidi. Reliqua mala etsi non semper præsentia adsint, nullum tamen à senectute in exilium relegatum est, quinimo in foribus astant, ut si aduocentur nullã moram ad parendum interpositura sint. Exclamabis forsan, heu me miserum, non tanta mala noueram: imò etiã longè plu

ra

ra sunt atq; maiora quam dixi. Nam unum addam Aristotelis, quod parum sperare potest senex, quo nil maius malum est. Et tamen si te piget senem esse, tua culpa id accidit, quòd antea mori noluisti. Est ne aliud in sene maius malum? est, quodnam? inuisum esse suis etiam proprijs filijs. Heu dices rursus: hæc sanè nõ sunt ferenda. Quid? nimis humana conditio bona esset, si quemadmodum iuuenes ita senes bonis frueremur. Sed hoc malũ est, quod nemo uel cogitatione euadere queat, quin uel mors intempestiua sit, uel senectutis mala non experiatur. Quid ergo agendum? Est ne ulla uia euadendi tanta mala? est sanè, non tamen omnibus cõcessa. Oportet ergo eum qui hæc euadere uelit, non secus ac regem qui bellum in longinquam regionẽ facturus sit, omnia parata habere quæ illi necessaria futura cognouerit, nil prorsus sperãs ex inimicorum agris. Animo igitur & corpore & fortunæ bonis ita præparatũ esse oportet, ut non, quemadmodum in generali tractatione diximus, habeat quod satis est, uerùm omnibus abundet cumulatè antequam eam ætatẽ ingrediatur. Spectare igitur oportet duo, primum qua ratione illis malis occurrat, inde quibus bonis magis indigeat. Indigebit autem maximè his quæ illis aduersantur, quibus senectus opprimitur. Diximus autem maximè illam opprimi septem rebus, imbecillitate corporis, deformitate sub qua etiam fœditas continetur, morbis, contemptu, mortis expectatione, desperatione, & quòd suis proprijs inuisa sit.

ſa ſit. In omnibus his quærenda ratio ut mala uitentur, ut parui à nobis æſtimētur, ut quod proprium eſt huic contemplationi, ex his malis bona expiſcemur. Principio igitur uidendum eſt, quid prius ſeneſcat in nobis an mens, an corpus, an ſenſus? uelut in ciuitate quæ cingitur ab hoſtibus, refugimus in arcem, atq; in ea omnia bona collocamus, quam licet ſciamus capiendã, tamen quia ſerius, eò reponimus chariora. Et certũ eſt, quod mens, inde ſenſus ultimo ſeneſcunt, primum autem corpus. Ergo omnia non ſolum ad mentis arbitrium bona collocanda erunt, ſed æſtimare etiam oportet etſi non ita eſſet, mentis bona eſſe potiora. At cum ita modo ſit, nec de hoc (cum inter Philoſophos de cæteris placitis magna ſit) ulla ſit contentio, quanto magis nobis proponere debemus bonum uerum, ſummam felicitatem, & ueram uoluptatem eſſe in mentis bonis collocata: ea ſunt, ut diximus, ſapientia, honeſtum ſeu uirtus, & cum ſenex nullus ſi antea uoluerit, horũ poßit eſſe expers, manifeſtum eſt nullum ſenem niſi culpa ſua perfecta felicitate cariturũ. Quòd etſi filij ſub felicitate comprehendãtur, nec ob id ſenex noſter felicitatis hac parte carebit, nam etſi ad generandum tunc idoneus non ſit, antea quis uetuit ne liberis procreandis operam dederit? Iam ergo conſtat nihil deeſſe ſeni, quod ad felicitatẽ principaliter ſit neceſſariũ. Videamus modo de reliquis, id uerò tibi accõmodato exemplo oſtendã. Solent enim exẽpla magis mouere quàm præcepta, quod etiam antea diximus.

Annum

Annum agebam quinquagesimum octauũ ac propemodum superaueram, cum paucis iam antea mensibus deferbuissent calamitosa illa ac diuturna bella, ego uerò in ciuitate ad lucrum duorum talentorum magnorum auri singulo anno perueneram, indies crescente cum gloria diurno quæstu. Excesserat enim è primarijs medicis unus, alter senio maximo confectus erat. Et quæ mihi obijciebantur ab æmulis, quæq; per ciuitatem sparsa erant, falsa esse deprehendebantur. Et ego alioqui in medendo fortunatißimus, tum primũ etiam intentus in rem maximè, & auxilio libelli à me conscripti nuper, quem Artem medendi paruam appellaueram, adeò profeceram, ut neque Galenum ætate sua, nec aliorum quenquam, qui post floruerunt adeò felicem in artis operibus, seu sanando, seu producendo uitam eorum qui sanari non possent, seu prædicendo fuisse existimauerim. Eorum enim quos solus curabam uix è quingentis unus interibat. Quidam etiam cum socijs à me curati è deploratis casibus, sed non adeò multi, neque tàm facilè, seruabantur. Quod igitur alios accendere potuisset, me à cœpto munere deterruit. Primumq; suspectam habui immodicam illam felicitatem: & eo magis quod & natalitia mea noui, & fortunæ meæ blandientis fidem atque constantiam: & quantis uiribus contraniterer aliorum quorundam dolis ac improbitati, metuebam & ciuium meorum crudulitatem nimiam. Sed nihil adeo me, ut hoc munus effugerem

fugerem hortabatur, quàm quod interim libros quos conscripseram pati iacere cogerer: & quod hæc fortuna eo ætatis aduenisset, in qua uel desistere sponte necesse mihi foret, uel deficientibus uiribus crescenteq; labore breui interire, quamobrem id mecum cogitaui, ut quemadmodum, qui equum militarem ascendisset, cui regendo uiribus esset impar, nihil illi melius esse quàm descendere, præstareq; longè id quam specioso spectaculo, sed haud diu edito elidi ac simul uitam amittere: omne consilium ad mutandum uitæ genus adhibui. Animaduertens ergo mentis uires indies augeri, sensuumq; constanter perstare, corporis esse in interlimínio, totam rem mentis arbitrio atq; actionibus committendam ratus: decreui quonam pacto id commodius efficere possem, diligenter consyderare, & ut efficerem adniti. Plura enim edideram, plura edenda restabant. Quamobrem intercedente Duce Suessano profitendi munus Papiæ rursus impetraui. Sed deerat postmodum usus intermissa octo annis consuetudine, & ob frigidi aëris haustum, uentriculus suapte natura imbecillis, uehementer affligebatur, huic obstiti singulo mane antequam profiterer, deuoratis mali punici pauculis granis, & longè plurium etiam succo, submissaqúe inter perfitendum uoce: ipsi uerò memoriæ & ordine & raritate uerborũ succurri. His tot tantisq; præsidijs munitus aduersus incõmoda senectutis, tùm etiam uictus ratione diligenti non solũ, sed etiã accurata

curata, effugere poteram omnia senectutis incommoda. uerum fortuna se nostris consilijs opposuit, ut nihil mihi tam faustũ contigerit, quin in aduersum euentum deciderit: hoc enim ut dixi antea metueram.

Propositum fuit primum senes querulos esse, morosos, tristes, inutiles, nugaces, fœdos. curabimus igitur ut parum compositeq; loquamur, lætiq; maximè in conuersatione degamus. quòd etsi multa nos torqueant, multa nobis occurrant quæ dicamus, nobiscum ea reuoluamus sæpè:

Qui quærulus est, amicitiæ haud accommodus.

Et illud:

——sed non replenda est curia uerbis.

Et rursus:

Senectus loquax.

Cæterum ut omnem fœditatem uitemus moderata uictus ratione utendum, diximus autem de hoc in tertio libro de tuenda sanitate, ita mundicie & cura minime socios offendemus. Diligenter quoq; cauendum ne in conuiuijs loquamur edentes, subsiliũt enim ciborum fragmenta ex ore, maximè si dentium aliquis anteriorum defecerit: ne potibus misceat se alienis aut edilia manibus tractet. Omnia enim quæ stomachum mouere possunt, his qui mundiciã amant uitare decet senem. Memor illius odiosum esse senem, cariosamq; senectam appellari solere. tùm uerò omnino si stillet nasus aut tußiat, omnia enim hæc per se stomachosa. Et cum saliuario

rio lentore abundat os (materna lingua ditior banam Græci πτὲλχνον uocant)infantium more.Et imo si senex meo auscultet consilio,uix unquam alienis miscebit se conuiuijs. Quid enim adducere secum potest? si semper taceat aut loquatur,æquè molestus erit. Et qui tàm sibi grauis sit tacendo quàm alijs loquendo. Cum secus multi libenter senes loquentes audiant,utpote ætatis beneficio sapientiores.Interim tamen cauebit quod ob saliuæ contingit copiam,ne loquendo sputum emittat appelletq; σιαλλόχον, uel etiam quod deterius est pytisantem.In uniuersum magnam ori adhibebit diligentiam senex,quod & mulieres & pueros facere decet. Sed diuersis modis diuersáq; ratione.nam cum seni ob dentium rimas inhærere soleant pridiani cibi reliquiæ,quibus nil aspectu tetrius,et quæ odorem etiam malum emittunt,curabit ut tenuißimis pennis, aut percarum aculeis,uel lignorum fragmentis eruantur.nam craßioribus hiulci fiunt,& fatiscunt.Cū uerò etiam scabri fiant ac nigrescant,dentifricijs utendum, quæ dentes ipsos etiam confirment, & gingiuas extendant non absumant.Colluat igitur os uino aliquo leui albo,modo aceto,modo ardente aqua, sed non coram conuiuis.Et antequā loquatur os sputo purget,& tardè raroq; uerba proferat,ne ut dixi,pytizet.Assuescat etiam constrictis quasi labris loqui:nam si dentibus anterioribus amißis id faciunt pleriq;, præstat eandem adhibere ob utilitatem & decorem, quam alij ob ne-

M cessitatem

ceßitatem minore cum utilitate faciunt, diligentiam. Valde enim decorum est, si sic te loquente reluceãt dentes candiduli, quod in fœminis ac pueris bene institutis animaduertere decet. Neque senem μυριπνοῦντα *abhorruerim, modo delicatius non uehementius oleat. Vt enim odores exotici dedecent obluxuriam, ita omnia experiri debemus ne cuiquam molesti simus. His artibus noster senex instructus, et securè inter pueros & honestè inter iuuenes, & utroq; modo inter alios senes uersari poterit. Nec multum aberit similitudine à Gorgia Leontino illo, quem ferunt ad centesimũ septimum annum sine ullo incommodo uitæ peruenisse. Vnde illi tam felix decrepita senectus? respondit, nũquam uoluptatis causa quicquam feci aut admisi. Cæterum ne contemnatur noster senex, discat ab animalibus, boues cornibus non dentibus pugnant, equi calcibus non cornibus aut capite, feles unguibus non calcibus, canes dentibus nõ unguibus, lepores atq; cuniculi nullis armis sed protinus se in fugam arripiunt. Cum ergo senex noster mente præditus sit, deterius se geret his brutis animalibus? quin potius animaduertens se neq; oculis neq; auditu præstare, nec robore aut agilitate, uel cursu uel peritia armorum, sed sola mente atq; consilio, penitus illis alijs relictis ea in parte se exercebit, qua se superiorem agnoscat. Cur ergo uicti adolescentes, dũ illum audierint non uenerabuntur? cum natura etiam animalibus inditum sit, ut uicti uictoribus cedant? et illos etiã uenerentur.*

uenerentur. Sic in gallis, perdicibus, tauris, equis, canibus, ac alijs quibuscunq; certamen expertis. Non ergo ut medicus quidam noster decrepita ætate hastiludio in ægrorum domibus operam dabit, ne, ut illi accidit, consauciata fronte, & seipsum & artem et ætatem ridiculam faciat. Sed sanis consilijs & sapientia admirandum se præstabit, adijcietq; hunc titulũ senectuti, cum duos illi reliquerit Aristoteles, scilicet, ut esset prudens ac ueneranda. Verum occurres, hæc non omnibus concessa, non omnes profiteri publicè possunt, libros condere, principibus amicitia se insinuare, quin etiam nec omnes eruditi, non omnes adeò prudentes. Deinde an tu prudens es, quem te toties multi irriserunt? qui te tanquam Polycleti normã esse existimas, alijs omnibus uiuendi formam iniungens? Hoc erat sanè quod me sæpius segnem reddidit ad hanc prouinciã capescendam, quandoquidem uiderẽ, uix sine accusatione eam transigere posse. Sed plus ualuit apud me publici boni atque utilitatis ratio, quam metus hic aut pudor si quis esse debet, aut uerecundia, atq; ut uno uerbo omnibus his satisfaciam, Platonem secutus, existimaui bona hæc omnia tum mala calumnias atque laudes esse umbratiles: quid ergo est cuius gratia aut metuam, aut uerecũder? Ex infinitis umbris atque etiam maximis, ne minimam scobem uel tenuissimam effeceris. Hoc eodem consilio irrisus sum, quod ea non curarem, quæ illi uel mala uel bona esse existimabant. Atque illi quidem penè omnes

mortui sunt, quòd cum ego à morte parum abesse me intelligerem, etiamsi centum annis fuissem superuicturus, illi tamen quamuis multò plus se abesse crederent, ut euentus ostendit, multò minus distabant à morte. Quid ergo ex illis reliqui est, quos constat fuisse insanos? Ergo si irrideri aliquid omnino esset? quod haud fatebor, certe ab insanis irrideri, pro laude ducendum esset. Irridemur omnes, insani à sapientibus, ab insanis sapientes, plures sunt insani? sunt sanè: malis ergo esse insanum quàm sapientem, ut à paucioribus irridearis? stulta quidem cogitatio. Sed reuertor ad proposita, nõ omnes possunt profiteri? at plures absq; eo labore uiuere possunt? Quid horum melius, an habere quo uiuas absq; labore? an tua industria posse uiuere? Propterea prudentis uiri est sibi parare ante senectutem quo uitã ducere poßit. At dices, si non hoc munere fungi potuisses, nónne uel te iudice aberraueras? non, nam si quotidiano labori addictus fuissem, delectatio studiorum nõ me detinuisset, sed aliorum more tantas congeßissem opes, ut in senectute mendicare non cogerer, qui ergo studijs liberalibus non sunt dediti, hoc facere debent, qui sunt? non coguntur. Ego nec facere poteram gloriæ comparandæ intentus, neq; enim more aliorum tegere uitia uolo, essem enim mendax. Sed fateor eo uitio laborasse, quod uirtuti proximum & habetur & est. Porrò quod non omnes hanc disciplinam callere possint, excusatione dignum non est, cum stultum sit omnes

nes

nes scire numerare, loqui, decipere, ludere, quorum aliqua superflua sunt, aliqua etiam mala, certè omnia minus necessaria: at rectè uiuere pauci norint, solum ob id quod pauci discere curent. namq; ad id naturæ instituto ferimur, ut non nisi supina negligentia ignorare hæc præcepta poßimus. Sed ad rem redeo atq; colligo, quænam sit uita qualisq; esse debeat prudentis senis.

Quicunq; igitur eò peruenerit, primum meminerit quanto beneficio obstrictus sit Deo, atq; naturæ quod eò peruenerit, quo paucis peruenire cōcessum sit. Deinde pedem retrahat ab omnibus uitijs, si quæ natura aut usu aut feruore ætatis contraxerat. nec solum ab his, sed etiam muneribus iuuentuti proprijs laboribus, coniugio, crudorum esu, uerbis factisq; non solum turpibus uel obscœnis, sed etiam leuibus atq; inanibus: Duris quoq; negotijs & his quæ ad finem longo nisi post tempore deduci possunt, ne Regis Nicomedis exemplo ciuitatem ædificare incipiat senecta decrepita: itaq; nec profiteri qui nunquam professus sit, aut nauigare qui nunquam nauigauerit aggrediatur: studia sequatur ætati congruentia, sapientiæ scilicet, moderationis, institutionis filiorum, gubernationis Reipub. uersetur inter pares studijs, authoritate, moribus ætateq;, hoc enim tutum est & honestum. Quod si sapientia nō adeo polleat inter pueros, melius est enim prodesse quantulumcunq; & uenerari atq; obseruari, quam nihil proficiendo irrideri ac contumelijs affici. Circa ui-

tam quieti & lectionibus non arduis, deambulationi, somno, balneisq; se tradat, à perturbationibus omnibus, maximè ira, uacet. Ocium non probo. nam segnes reddit & contemptos timoremq; mortis adauget. Ita etiam res suas constituat, ac si indies esset moriturus, quæ occasio inter senectutis beneficia numerari potest: nam etsi cuiq; liceat res suas rectè quandocunq; uelit ordinare, beneficij tamen non uulgaris loco habendum est, quod quis cogatur ea facere quæ illi decora sint atq; utilia. Hocq; à senectute ipsa impetrare licet, cuius aduentu, ut uasa quam primū colligamus, admonemur. Illa quoq; sibi proponat, si modo iuuenes existimat esse feliciores, iuuenis & ego fui & omnia hæc possedi, quæ hi (atq; utinam tàm iusta partitione cætera diuisa essent quàm ætates, parum enim in rege et gerulo dedicauerūt) et breui illi mihi simillimi erūt: quid est ergo quod discruciet tam iniustè? Porrò dices omnia hæc uera sunt, sed unde hæc tam ampla bona quæ ab initio pollicitus es collecturus sim non uideo? An nō primum est, huius ætatis beneficio uenerari ab omnibus? deinde carere perturbationibus, cōquiescereq; ardorem illum amoris amarum? atq; ob eam etiam admoueri magistratibus ac honoribus: nā paucis ni omnino stupidi sint, aut nimis graui inuidia laborent, secus contigit. Præterea à tot laboribus iustam ueniam impetrare, quæ etiam militari disciplinæ, & cuicunq; ordini fermè concessa est, iure tàm diuino quàm humano,

ut

ut etiam ob debita capi non poßint, non uulgare priuilegium est. Consuli etiam ab omnibus gloriosum, & ueræ sapientiæ testimonium. Vitam quoq; ducere salubriorem huic ætati concessum est, dicente Hippocrate: Seniores iuuenibus plurimũ ægrotant minus. Sed quod omnibus maximum est, studijs sapientiæ se dedere, hoc ætatis huius proprium est atq; præcipuum: ut uiuentes adhuc immortalis eius felicitatis, cuius cõpotes solum sunt à morte cæteri, nos participes simus.

DE MORTE.



Vamobrem esse senium in mortis interliminio, nõ ob aliud graue esse potest, quã ob timorem mortis. quippe is omnibus alijs quam grauis sit nescio, me sanè adeo torquet, ut nil aliud magis molestum sit. Et cum recordor me moriturum, nihil non solum tam suaue est aut triste cuius non obliuiscar, sed animo linquor: nactus enim cor frigidum atq; humidum imò leporinum, mortis cogitatione sola deficio, credo ne quid mihi ad cultimum infelicitatis & ærumnarum deesset. Atq; cum in omnibus alijs aduersis Philosophiæ præceptis non parum profecerim, in hoc uno (uera enim fateri uolo) nihil fermè auxilij inueni. Suspicor in alijs fermè idem contingere, uerùm plerique dißimulant, uelut qui iam suspendendi cachino timorem mortis uelant. Ego

ad ueritatē natus, ea fateor quæ nemo ulla ratione extorquere poßit. Nescio sanè an quis sit qui mortis timorem effugere queat, quamuis nō ignorē quanta Stoici imò Epicurei hac in causa iactent. Quinetiam nō solū uerbis, sed ipso uultu animi robur ostentant. Et certè obliuisci mortis & non pauere ob ignorantiam licere existimo, mortem aut cognitam, aut præsentem non licere puto. Beluas enim maximè iratas, & pueros non pauere mortem ob mentis stuporem uidemus: quicūq; tamen ex his prudentiores sunt, maximè timent. Nec uerò rursus repetenda sunt huius rei capita, ne in incerto uagemus. Sunt autem an liceat mortis obliuisci? an liceat doloris illius? An liceat cognoscenti non timere? uidetur autem timor omnem dolorem posse superare. nam dolor est eorum quæ sunt, timor autem non solum eorum quæ sunt et quæ esse possunt, sed etiam quæ esse non possunt. Itaque timor maximus est omnium affectuum, nam & labant genua in timore, & tremunt & concutiuntur dentes, & aliquibus excrementa profluunt, nonnulli etiam repente moriuntur. Ergo timor doloris animi genus est, dolor autem communi nomine dictus, corporeus est affectus. Videtur ergo timor homini magis proprius, dolor autem corporis: Et uterq; interficit, sed timor certius, à maximis enim timoribus uix ulli euadunt quin pereant, à doloribus nō ita. nam & ex dolore capitis Galenus affirmat neminem unquam esse mortuum. Sed ad rem redeo, quæ proposita

fuit,

fuit, scilicet an liceat obliuisci doloris mortis? atque id quidem certum est, sensibus imminutis, mortis etiã eadem ratione, nõ tamen sensibus integris & morte præsente: ubi uerò recorderis, non timere, hoc arduum est. Vtrum uerò si nõ timeas, dolor aliquis alius maior sit? certè, ut dixi, non maior sed magnus superest. Quod si dolor non esset nisi in neruis, nec aliud esset genus doloris ab illo communi, paruus esset dolor in morte. at ego in meipso expertus sum, & in alijs prudentibus uiris aperte cognoui, nullum esse dolorem adeo magnum, qui dolori cordis cõparari poßit: at morientibus proculdubio cor affligitur, multo pauloúe antequam moriantur uehemẽter afficitur: ipsum enim est quod propriè in contrarium mutatur, quoniam solum primo uiuit. Valeant ergo medici cum suis nugis, affirmantes cor esse paruo uel nullo sensu præditum, quod paucis neruorum ramulis irrigetur. Cæterum et illud animaduertendum est, iuxta mortis genera etiam doloris esse uarias mẽsuras. Mortis igitur dolor in tribus consistit: in cognitione, in cogitatione, et in affectu ipso. Horum omnium maximum est cogitatio, inde affectus. Opposita ergo minuunt hæc, sunt autem opposita, non cognoscere, non cogitare, sensum minui. Atque hæc partim à natura, partim ab accidentibus animi, partim à corporis. Ergo natura qui beluini sunt ac feri, mortem contemnunt inter homines: sicut contraria ratione, quæ inter belluas maximè ualent sensu: ut elephantes mor-

tem formidant. Vnde referunt Pompeium magnum seu potius paruũ, edito spectaculo in quo plures elephantes morti destinati erant, illos adeo mortem expauisse ac uocibus, gemitu, gestu significasse, ut populus ad uocem hominum, puerorum, et mulierum ad bestias damnatorum immisericors, ad harum supremas uoces moueretur ad commiserationem. Itaq; fortes quidam sunt natura & intrepidi, alij consuetudine quæ altera natura est, alij uerò ob iram quæ cum exardescit omnium uice fungitur: naturæ quidem cor excalefaciendo, & propter perturbationem obliuionem mortis inducit, ac cogitationem omnem aufert: Sed & dolorem tollit, nam corpora ira feruentia dolorem uulnerum non sentiunt, calor enim impedit sensum, quoniã sensus in mutatione consistit, immodicus autem calor mutationem prohibet. Sed & in prelijs hæc omnia adsunt, & præterea mors fit cum sanguinis copioso effluxu, qui si liber sit multum minuit mortis dolorem. Id autem deprehensum est experientia, cum sub Augusto primum, inde Tiberio & Caligula homines suprema metuerent, & genus mortis acerbum & bonorum amißionem, leuißimum quærentes, ad uenarum sectionem communi consensu confugerunt, continuato experimento, quod appareret illos è uita migrare. Quamobrem rectè uidetur dixisse Virgilius:

——Pulchrũq; mori succurrit in armis. Et rursus:
——Pulchramq; petunt per uulnera mortem.

Non

Non solum quod pro Regibus aut Republica suscipiatur (nam mortem Reguli nemo pulchram esse dixerit, quanquam pro populo Romano susceptam) sed pulchram etiam quod mors ea omnium sit mitißima, quæ in tanto animi ardore cõtingat, nec sentiatur. Accedit huic mortis generi, quod uelociter finiatur, unde & breuius tormentum & minus est. De breuitate non est quod indigeat declaratione, cum iam supponatur, sed de leuitate ex hoc dignoscitur, quòd quæ sensim & lentè admodum fiunt aut subito mutationes, dolorem non inferunt, ut cum crustæ auelluntur aut pili: quæ autem mediocri celeritate magnum solent inferre dolorem. Interim ergo homo moritur antequam dolorem percipiat. Inopinatum ergo & breue moriendi genus C. Iulius Cæsar optauit & consecutus est, non minus hac in re fœlix quam in reliquis omnibus. Maximum ergo præsidium est in ira & pugna ac prelio, sed hoc est accersere mortem leuem ac præoccupare, non lenire uenturam.

Proximus huic modus est, cum ex grauibus sollicitudinibus mortem quis oppetit, adeo ut memoria illarum mortis memoriã aboleat. At istud multo deterius est, quam si mori contingat sine illis, cum dolore cingaris utrinq;, & doloris finem dolor alius excipiat. Atq; hi peiore sunt conditione, quam is de quo Epigrammaticus ait:

Dic rogo, quis furor est, ne moriare, mori?

Deinde

Deinde stulti esset hanc aduocare tam sæuam occasionem, quæ ipsa morte grauior sit: absq; eo autẽ quòd eam aduoces non facilè occurret. Itaq; hoc genere auxilij Capræ Scyriæ, imò potius panis lapidosi aut ficulnei relicto, ne incẽdium oleo restinguamus, ad tertium deuenire licet. Tentanda enim plura sunt, ubi pauca non sufficere apertum sit, nec spes est uel omnibus his posse satisfacere.

Igitur cum multa præterea sint, quæ ab authoribus claßicis maximè Cicerone ac Seneca adducuntur, omnia ad quatuor capita redigi posse uidentur: primum ut ostendamus, non esse in morte malum: secundum ut medicatione assuescant homines illam minori cum dolore uenientem excipere: tertium ut omnino illius memoriam ex animo explodant: quartum ut rationibus certent, quandoquidem sit ineuitabilis, æquo animo et expectandam & ferendam. Itaq; qui obliuisci illius cupiunt, quamuis per noctem & in ocio reminisci cogantur, hoc tamen lucrifaciunt temporis, quo nil de ea cogitant. Itaq; illud prudentißimi uiri in tria capita diuiserunt: alij enim negociationi incumbebant aut Reip. tractandæ, quemadmodum Cato maior fecit. Id uerò etiam commodi accedit, quòd fortes atq; prudentes existimantur cum nõ sint, & amicis reiq; familiari augendæ ad extremam usq; diem rectè consulunt. Verum interim non uiuunt, imò & quod est uitæ, uigilijs laboribusq́; ac curis reliquis decurtant. Hoc autem duplex

incom-

incommodũ adeò magnum est, ut nolim, si fieri poßit, hanc sollicitudinem tanti facere. Aliud enim est temperatè operam dare filijs, amicis, reipublicæ & rei familiari, aliud est ita operam consulto dare, ut respirare non poßis, ne etiam mortis poßis meminisse, additur et tertium quòd ut dixi, nec quod cupis assequeris: nolis enim nelisúe dum ægrotas, dum dormis, dum aliquantisper quiescis, hæc cura maximè si senex fueris te discruciat. Quamobrem uidi quosdam senes, qui cũ hæc omnia & cumulate agerent, nihilominus inter loquendum dicebant, omnia nihili facio, nisi quod septuagesimum annum exceßi, hinc nullus reditus est, et quotidie fio senior, iam tremit caput, dentes laborem perferre nequeunt. Paucißimis uerò contingit, ut à septuagesimo anno omnia integra illis relinquãtur. Eos ubi morbus lethalis acceßit, uiderunt pleriq; ex amicis palam flentes, & mortem miserabiliter deplorantes. Quid ergo ex tam aßiduo labore hi sint commodi adepti non uideo, quinimò cum essent ditißimi, quod uix alius pauperiorum dicere debuisset (sanè non dixisset unquam) non solum irrito conatu, sed stulto planè hi dicebant: optare se esse iuuenes, & sine ullis opibus: Constabat ergo genus hoc uitæ, ac consilium istud omnino nihil profuisse. Et Philippus Vicecomes Mediolanensis Regulus olim, ut à patre meo qui & ipse ab alijs audiuerat, intellexi, totas noctes solus deambulando consumebat, nam diem negocijs impendendo absumens, sine molestia

lestia præteribat, noctem metu, terroribus, cogitationibus tristẽ horrebat. Erat enim breuis modiciq; somni, & tenebræ illum discruciabant curæq;, quæ quamuis quales essent, & de quibus incertum esset: uerisimile tamen fuit cum regnum recuperasset potius mortis metu, & quæ cum eis coniunguntur, quam aduersæ fortunæ hanc uespertilionis uitam duxisse. Et quamuis hæc mala per se sufficiant ad improbandam hanc consuetudinem, nec tamen neglexerim hac opinione usuq; isto spem præscindi uitæ futuræ, hominesq; eo ipso fieri deteriores. Quòd si id contingat, uita hæc nostra nihilo melior fuerit aut felicior, imò potius miserior belluarum uita: illæ enim nec nisi pro neceßitate laborãt, maiorq; pars uitæ earum in ocio consumitur, nec norunt se morituras, nec curis alijs auguntur aut discruciantur. Proxima fuit opinio illorum, qui quam beate uiuendo atq; luxuriose, nõ Catonem, ut dixi, illum in Republica uersantẽ, reiq; familiari studentem, tum honoribus & magistratibus administrationibusq; æmulari satagunt, sed Epicurum potius atq; Aristippũ, imò uerius Sardanapalum, ut mortis molestiam, id est, memoriæ illius discutiant. Quos ego ut laudáre non possum, prioribus tamen his duobus anteposuerim, & quod uitam suam laboribus haud minuant, nec tristem reddãt, & quòd meliores euadãt homines, pietatẽq; ac ius magis colant. Narratur fabula seu historia Thrasylũ Axonensem Pythodori filiũ correptũ insaniæ hoc genere,

ut

ut existimaret naues omnes, quæ in Pireū appellerent suas esse. Ergo aduenientes summa cum uoluptate excipiebat, descedentes comitabatur lætus, si qua perisset non contristabatur: itaq; felix hac opinione uiuebat, cum uerò adueniente è Sicilia Critone fratre, medicorum opera sanatus esset, interrogatus quantum gratiæ deberet quod seruatus esset? respondit:

——Pol me occidistis amici
Non seruastis, ait, cui sic extorta uoluptas,
Et demptus per uim mentis grauißimus error.

Si ergo uoluptas hæc ementita beare hominem potest, quanto magis uera? ut cū Horatio rursus dicas:

——In rebus iucundis uiue beatus. Et iterum:
Si Mimnermus uti censet sine amore iocisq;
Nil est iucundum: uiuas in amore iocisq;. Viue, uale.

Et rursus adhuc melius (nā hoc ex instituto suo fuerat)

Tu quamcunq; Deus tibi fortunauerit horam,
Grata sume manu, nec dulcia differ in annum.
Vt quocunq; loco fueris uixisse libenter.
Te dicas.

Quod etiā acer ille uirtutis exactor, Primo Ethicorum ad Eudemū fermè fassus est, dicens: Plurimi enim felicitatem idem quod secundam fortunam esse arbitrantur. Et nonnulli etiam uoluptatem uirtuti atque prudentiæ anteponunt. Sardanapalus ille cum sibi felicißimè uixisse uideretur, semetipsum cum coniugibus & concubinis ac delicijs omnibus concremauit.

Itaq;

phia non solum principes decet, & illis utilis est, sed etiam quàm maximè necessaria: Geometria autem, Arithmetica, Musica, Astrologia, naturalis Magia, seu mechanica experimenta, Optica, quemcunq; præclarum uirũ, quãcunq; ætatem decent, in his noua semper inuenire licet (ne .n. more terrestrium ranarum terrã sibi deesse timentium, infintam cum habeas rerum inueniendarum congeriem, ne tam paucis sæculis quanto minus tua hac fugitiua uita omnia comperta atque inuenta suspiceris) ut nulla honesta studia & cum uoluptate atq; utilitate adiuncta deesse posint. Sed iam aliò transeamus. Tentemusq; an rationibus cõuincere poßimus, mortem malam non esse, neq; memoriam illius hominibus formidabilem.

Id uerò prius ostendere decet, quibusnam ex causis (quanquam & id ex parte supra attigimus, mors grauis atq; molesta sit. Videntur autem in ea esse hæc tria maxima mala, dolor moriendi, amißio omnium bonorum & iucundæ consuetudinis, & desperatio reditus absoluta. His ergo omnibus mortis memoria adeò terribilis est, ut sapientißimus mortalium eam esse ultimũ terribilium pronũciauerit. purißimum est animæ corpus relinquere, cum quo tam longa consuetudine, tam arcto uinculo coniuncta est, durißimum nunquam reuerti: neq; quicquã ex his amplius poße respicere, non affines aut sanguine coniunctos, non amicos aut filios, non ipsam mundi machinam, cœlum, elementa

N totq;

totq; præclara in eis contenta. Et tamen cum ita sit, nõ solum philosophi & oratores, sed etiam Poëtæ nos audent consolari rationibus his quæ iam omnibus in ore sunt: quòd ineuitabilis sit mors, quòd naturalis. Et ecce Ausonius:

Mortem optare malum, timere peius:
Faxis ut libeat quod est necesse. Et Martialis etiam:
Mortis Paule timor tibi uitæ gaudia tollit
Nam moriens uiues dum metuendo peris.
Inter naturæ si ponas munera mortem,
Te de morte metus sollicitare nequit:

Hæc esse inania quis certè non uidet? hoc solum docere nos possunt, ob flagitium & dedecus non esse fugiendam mortem, uerum potius præstare mori homini quam subire turpitudinis aut sceleris notam, quandoquidem omnino paulopost sis moriturus. Nihilo secius tamen hoc non eleuat mortis acerbitatem uel teruncio. Quid enim facit quòd sit naturalis, & ineuitabilis? horum enim altero nihil proficitur, altero etiam conditio mortis grauior redditur: cum ob hoc ipsum præcipuè grauis sit quod ineuitabilis. grauia autem antequam superueniant sunt terribilia. Si duo in carcere homines detineantur, quorum alter sit iam ad mortem damnatus, de alterius exitu non constet, sed iudices inter se dissideant, quem esse horum miseriorem dicas? certè eum qui iam damnatus sit. Spes enim mala minuere, timor bona solet. Quid ergo affers ex hac ra-

tione

tione consolationis: solum illud mones, non proferendam tristitiam, nihil tentandum, ferendum æquo animo, quod etiam si nolis, nihil iuuet, at potius tibi tuisq; etiam dedecus addat: ad rem uerò ipsam nihil hæc afferunt utilitatis, neque dolorem uel tantillum minuunt, quin potius augent. Alij uolunt ad consolationẽ hoc ipsum pertinere, quòd dolendo metuendoq; nihil omnino proficias. ò pulchrum consolandi inuentum? quoniam malum hoc immedicabile est, quoniam conqueri ac dolere nil affert auxilij, ob id dolorem leuius perferes? imò minus, quoniam spes omnis mortalium, uades & lenimentum periit. Simile est illud Senecæ: mors omnibus communis est, Regibus, potentibus, pauperibusq;, ob id ferenda æquo animo, certè hoc solum adimit iniuriam, ne nos soli moriamur Sed si inuidi nõ sumus, quam nam medelam affert hoc timori aut dolori, de morte concepto? moriemur sanè omnes, sed quid me iuuat, tametsi omnes mecum moriantur? Illud forsan aliquid facit ad rem, quòd ab initio uitæ incipimus obuiam morti ire: illa quinimo ab ortu nos semper comitatur, dormientes, uigilantes, ludentes, plorantes, euntes, stantes, nobiscumq; crescit, ut nihil noui uenturum arbitrari debeas, cum uenerit. Veruntamen, ut dixi, hoc tristitiam augere potest potius quam minuere, cogitantibus nobis, quam acerba condicione nati simus. Refert idem Pacuuium quendam, qui Syriæ imperitauit uirum nepharium, solitum fuisse quotidie

ſumere cœnam funebrem, audireq́; à cæna pueros næniam occinentes, dicentesq́;, hodie uiximus, tanquam memor eſſet mortis. Sed quorſum hæc? ſcelerati uiri factum referre? & ſtulti ac imperiti conſilium uanum probare? mortis enim memoriam nemo eſt qui utilem eſſe dicat aut non damnet, niſi quantum ad bene ſanctéq; uiuendum cõducit. Quare hanc conſuetudinem, non niſi atri humoris & cuiuſdam amentis, ſi non occultioris doli, argumentum fuiſſe crediderim. Eſt illa etiam cuius nos meminimus conſolationis ratio, quòd morte multis ab incommodis ſoleãt homines liberari, atque primum ipſa moriendi moleſtia, tædijsq́; multis, metu quoque mortis alijq́; innumerabilibus, quæ quidem ſi bonis quam amittimus conferri poſſent, aut omnino dum cogitamus iam peracta eſſet res, forſan nos conuinceret. Verũ tam pauca aqua, tanto incẽdio, tam umbratile lenimen, & ut ſolet dici, fumi umbra, tanto dolori leniendo quem ex memoria amißionis tot bonorum concepimus, ſatisfacere non poſſunt. Itaque non uidentur hæc argumenta quæ doloris magnitudinem fatentur, quicquã proficere ad oſtendendum mortem nõ eße terribilem. Videamus ergo ſi qua ſunt quæ nobis perſuadere poßint, non eſſe in morte uehementem dolorem, nec horrendam eſſe ob id, quod nunquã ſimus noſtros reuiſuri, nec amplius redituri. Idq; cum nulla ratione oſtendere poßimus, exemplis demonſtremus. Et primum illud nobis à Seneca egregium exemplum

plum occurrit Tullij Marcelli, qui cum iuuenis esset
ægrotaretq; morbo difficili quãuis nõ insanabili a-
micos consuluit de cõsciscenda sibi morte, omnibus dis-
suadentibus, Stoicus quidam hominem iam propensum
ad id persuasit, imò potius confirmauit, diuisisq; pe-
cunijs non multis inter seruos, iuxta illius consilium,
tribus diebus à cibo perpetuò abstinuit, quarta die in
cubiculo uase collocato, iussit sibi aquam calidam su-
perfundi: atq; ita dissolutis non sine quadam, (ut æger
referebat,) uoluptate, uiribus, leni morte absumptus
est. Et Dionysius Heracleotes & Diogenes, cum ad an
num octuagesimum primum peruenissent, ambo sibi
mortẽ sponte consciuerunt, ut Censorinus refert, quid
aliud existimandum quam uitæ tædio? Et Dionysius
quidem inedia, Diogenes cruditate extinctus est. Atti
cus etiam ille Ciceronis amicus, seipsum cibi abstinen-
tia occidit. Horum igitur iudicio neq; mori malum nec
mors ipsa est, quandoquidem ex his essent, quibus ni-
hil deerat præter iuuentutem aut sanitatem. Omitto
quot milites se spõte in funere Ottonis Imperatoris oc
ciderint, solo illius amore ad hoc incitati? Quot ob
amorem, aut iram, aut carceres, aut seruitutẽ uel amis-
sam pecuniam, seipsos interemerunt? non ergo existi-
mandum est, mortem esse rẽ difficilem. Nec uerisimile
est in re tam communi ac necessaria, magnum malum
naturam collocasse. Et quòd diximus alias, Aristo-
teles censet senum mortem sine dolore aduenire. Erat

præterea sentētia Basi Aufidij senis apud Senecā mortem senum facilem esse, quòd spiritus his sit in labijs, ignem cui modica & leuis materia subsit leuiter extingui. Omnium etiā mortē aut exiguo cum dolore esse, aut si magno cum breui. Vidimus nos sanè pueros & mulieres tā æquo animo & expectasse & tulisse mortem, ut appareret neq; dolorē, qui ante illam cōtingit, neq; in ipsa magnū esse. Dicebat Cato apud Ciceronē, Gaudere se quod moriendi causam nactus esset: quandoquidem dominans in nobis Deus uetet nos iniussu suo hinc discedere. Hæc an uerè dicta, an iactationis causa, non satis ausim affirmare. Quocirca neq; illa magnifaciam, nihil iuuant uoluptates, nisi securus & absq; mortis metu uixeris. Aut illa rursus, si quis uitā contempserit suam, alienæ dominus erit. Atq; multa huiusmodi, de quibus nunc tamē de hominum potentiorum ac sapientum consensu agendum est.

Quid enim refert quod Conon se sponte occidendū pro Atheniēnsibus obtulerit, cum esset Rex? aut Socrates cum posset è carcere aufugere, noluerit? & Curtius se in hiatum præcipitauerit? & Duo Bruti pater & filius se deuouerint inferis? & Cato lacerauerit uincula, ut ostendamus mortem non esse timendā? hoc enim ostendit non esse fugiendā, quā & si fugias cū dedecore forsan crudeliori (certè paulo post) occursurus sis illi. Non. n. quoniam fugienda nō sit, timendā nō esse demonstratur. Imò & nos quantumuis timidi, honesti causa

sti causa mortem nō uitaremus. Et multo minus cum senes sumus, nihilo secius cum metu magno id facturi essemus, atq; ob id tamē occurrimus, quòd sciamus omnino nec multo post (etiam si per uiginti annos) moriendum esse. Quòd si uitam in perpetuum aliqua uia producere spes esset, forsan non tot Socrates, Bruti, atq; Catones inuenirentur, quos existimo eodem metu, aut paulo minore è uita excessisse. Vnde pulchrè Lucianus (uersutus ille homo) Socratem trepidantem ad inferos descendisse fingit. Idq; existimo contigisse, quanquam & usu & conatu quodam uim sibi ipsi inferendo, constantiam & fortitudinem prætulerint. Quo autem cōsilio Cato maior illa apud Ciceronem dixerit (si modo tales nugas unquam agrestis ille uir meditatus est, multa mentiente rhetorum more hac in causa Cicerone) nunc docebo. Rusticus quidam erat inter suos municipales satis diues, & ut tum uidebatur recti æquique tenax Cato censorinus, qui nescio qua causa certè fauentibus astris Romam uocatus sæculo illo meliore, nondum Annibalis minis è memoria obliteratis, non solum cum Scipione illo Africano maiore senator meruit appellari, sed proh fortuna Romanorum, censor creatus est: atque ille rusticus de salute non solum prouinciarum, sed capitum Romanorum decernebat. Qui Carthaginem scelesto, uafro, deniq; inutili consilio euertit. Hunc tamen uirum optimum fuisse memorant,

quales fuerint improbi, & quibus moribus præditi non possum assequi. Præsertim cum constet ea illum fuisse auaritia atque immanitate, ut seruos uetulos, debiles, ægro, atque agriculturæ laboribus incommodisq; attritos, quod uix ciues nostri de equis facere sustinerent, publicè in corona uenderet. Non illum merita laborum, non misericordia ætatis aut ualetudinis, non paupertatis respectu, non ulla humanitatis recordatio mouebat. At dices, optimum uirum ob id censebant, quòd muneribus non corrumperetur. Videmus improbitatis argumenta manifesta, quis dubitat, ne hæc innocentia nõ à probitate, sed à uafricie originem duceret? sciebat homini rustico, alienigenæ, non admodum diuiti, nullis fulto affinitatibus, nullis præclaris gestis, nulla eruditione, nisi quod peßimam illam fallendi rhetoricam artem pro temporum conditione immodice ostentaret, nullis posse artibus insinuari populo, & tot præclaris uiris anteponi, nisi sanctitatis opinione, qua & ad summos honores euectus, & magistatus adeptus, diuitias sibi magnas comparauit. Quòd si (quod uix tum pauci faciebãt,) corrumpi muneribus se passus esset, quis rogo hominem inquilinum, ignotum, ignobilem, aut saltem senatorio ordini imparem, ciuium res diripientem, & uenale ius habentem tulißet? aut accusatum defendisset? quandoquidem uel sic, ut Plinius testis est, quadragies quater causam pro se dixerit. Nec credendum est magis iniustè

iuste semper accusatum, quam sæpius factionis fauore, quòd inter plebeios numeraretur (sane inter eos qui tenui erant censu, atq; immoderata) ut dixi, eloquentia damnationem uitauisse, & iudices elusisse, non ab illis fuisse absolutum Ergo is homo nonagenario propior cum filijs duobus, contracta cum patritijs primarijs affinitate, functus magistratibus summis atque honoribus, re familiari locupletata, quid aliud cogitare poterat, quàm præsentē fortunam atq; eam pristinæ comparare? atque eo animo è uita discedere tanquam in urbe mundi domina, semetipsum scilicet per filios superstites, perpetuò collocasset? in quo uir philosophiæ expers opinione deceptus est in tribus, primum quòd Roma perpetuo futura esset mundi domnia, cum nec mansura esset urbs, aut mœnia, imò nec diu si tempus illud quo superfuit perpetuitati comparetur, nec stirpem multo minus semper uicturam, quæ duo iam euentus declarauit: nec ut dixi, stirpis spem mortis atrocitatē obtundere posse, lenire certè posse. Sed, ut dixi, uiro imperito, rustico, pauperi, inani gloria inflato, nihil non potest persuaderi: qui ut erat eloquentißimus Cicero, ita adornauit ut ferme ipsum me, ni ad modum hæc uigilantibus sensibus tractarem, fallere possent. Simili ratione Senecam damnabimus, qui nos uelit perpetuo de morte cogitare, ut quantulumcunq; uitæ est amittamus: nec affert etiam in hac cogitatione solatium ullum, nisi quod tandem animaduertens suas

esse meras nugas, & rei ueritate coactus, fassus est nostras animas nõ interire, sed diu abdormiscere, deinde in corpora noua reuerti, iuxta uirgilianum illud.

Rursus & incipiant in corpora uelle reuerti.

Vt loco elysiorum illorum locorum atq; pænarum infernarum, unus sit omnibus ex æquo somnus diuturnus: quanquam hoc iustitiæ diuinæ non respondere uideatur. Ergo hunc hominem insanientem, & solum inani gloria ut Catonem Censorinum tumentem, relinquamus, omnis mali exempli atq; præcepti authorem. Qui suadeat nobis perpetuo de morte cogitare, non ut boni simus (hoc enim & si non laude dignum esset, esset forsan ferendum) sed ut superuenientem mortem fortiter sustineamus, glorioséq; obeamus, in quorum altero decipitur, in reliquo nulla prorsus est utilitas. Hic idem nos à sapientia & studijs bonarũ literarum auertit: tum uerò etiam ab omni humanitatis cura ac pietatis, ipse amarißimus & rapax inuidusq́;, si quis mortalium, mortem à Nerone meritam sibi imminere cernens, has stultas & plenas atræ bilis conscripsit epistolas. In quibus nec animaduertit (adeò oscitanter illa de quibus ibi disputat tractauit) toties explosa ab Aristotele atque Cicerone, tanquam uerißima & per se ab omnibus concessa assumere. Quemadmodum illud, si in morte dolor diuturnus, non magnus, si magnus, non diuturnus. Quod merito à Cicerone irridetur, cum ipsa experientia quotidie nos

doceat

doceat multos esse dolores acerbißimos ac diuturnos. Ergo illi respondebimus, ò Seneca, non nos de morte uolumus cogitare: non enim imminet Nero Truculentus, sed mitißimi Reges nobis dominantur: non nos Italiam fænore exhausimus, sed libera est nobis atque innoxia paupertas: non nos Suillium senatorem teipso meliorem, in gratia & seuitia Neronis confisi, accusantes ad mortem compulimus, sed innocentes uiximus, osores sceleratorum tantum & uitiorum. Cæterum accusationes & damnationes delatoribus ac magistratibus reliquimus: non nos tot flagitiorum quæ Nero admisit, te uel suadente uel laudante, uel saltem ob gratiam & ambitionem conniuente, authores aut participes sumus, neque omnino rei, sed uitam nostram in priuata conditione humilem & pauperem turbulentæ & periculosæ aulicæ prætulimus. Nobis non contigit, ut Neronem occidentem matrem, adeò gratulationibus & læto uultu exciperemus, ut omnes ferme existimauerint, non esse te inscio occisam. Non nos prodidimus principem nostræ fidei creditum, atque cum eo totum orbem, ob solum inanem gloriam, ut ignarus philosophiæ te ipsum philosophũ triobolariũ suspiceret, quē constat ex tuis ipsius epistolis solũ scire, te arbitrari bene moriendi artē atq; in hoc sapientiā totā, spretis cũ tuo Epicuro omnibus disciplinis tā diuinis quā humanis, collocaße. Sed neque hoc te scire constat, multoq; minus quam alia, ut pau-

ut paulopost ostendemus. Non nos stimulos proditoribus iniecimus ad proprium principem imterficiendum: nec sine uana spe occupandæ etiam tyrannidis. Non nos cum corpore extingui animam arbitramur, ut securi, idest, sine metu diuinæ ultionis mori poßimus, & si multo minus quam tu flagitiosi. Non nobis beata & iucunda uita ex scientia tot rerũ, ex beneficio locupleti iuxta nostras uires cõmunicato, mortalibus deest: ut nec si centum annis uiuere contingeret, ipso ultimo anno uiuere pigeat, nec defuturæ sint suauißimæ uoluptates. At tu cum & imperitus omnium bonarum artium esses, & flagitijs tantis obstrictus, & metu tyranni meritò cui esses inuisus perterritus, & nullum à morte sperans supplicium, & inani illa cum Catone censorino, alijsq; uirtutis ementitæ simulatoribus gloria turgens, tibiq; & ætatis incõmodis, & poenitentia tot scelerum anteacta uita, admissorum fænorum, furtorum, rapinarum, sæuitiæq;, ut non esses tuo illo discipulo melior, sed occultior tyrannus, & quòd maximum est adrastia illa uindice odiosus, quid mirum est ad summam desperationẽ coactum nil nisi mortem cogitasse? nil loqui consuesse quòd ad illam non pertineret? in ea omnem spem, omne refugium tam flagitiosæ uitæ collocasse? in qua nullus nisi amens aut improbißimus spem suam reponit. Christus, Apostoli, ceteriq; uiri sanctißimi quoad licuit refugierunt. solum subeundam ob honestatem prædicarunt, non quia illa

bona sit, sed quia turpia & flagitiosa committere deterius certè sit, quam paulo antequam naturæ lege decretum est mori. Sic Socrates, sic alij fortes uiri mortem non recusarunt. Ea mente omnes sapientes atque philosophi mortem & uitauerunt, & rem omnibus merito inuisam esse dixerũt. Sed hæc omittamus, triaq; illa quæ ad propositum nostrum cõducunt, aggrediamur. Et uideamus an hic noster Stoicus, Epicurus & omnino Diagorista atq; Theodorista optimus, in hac quam solum se nouisse fatetur bene moriẽdi arte præstet, quæ polliceatur. Primum quidem an satisfaciat his de quibus homines conqueruntur, scilicet ut doceat mortem non esse atrocẽ. Deinde & si id rectè efficiat, an utile sit homini ob id huic de morte contemplationi omnibus alijs neglectis totum se dedere? aut etiam utile Reipublicæ, ad bonosq; mores idem pertineat? Demum an in hoc glorioso & forti, sapientiq; uitæ exitu tanta felicitas sit collocanda, resq; adeò laude eximia digna sit? Equidem quòd ad primum attinet nihil minus efficit, quam ut doceat non esse metuendam mortem sed solum non esse fugiendam. hoc minimum est negocium, cum persæpe uitari nequeat & si queat, hoc solum argumentum sufficit, ut eam non fugiamus quòd diu effugere non liceat. At id in quo consistit uita beata scilicet carere metu mortis, non docet. Vt enim mortem non esse metuendam doceamus, tria ostendere oportet: quomodo obliteranda sit illius memoria,

moria, quòd in moriendo dolor non est, quodq; carere tot bonis malũ nõ sit. At primũ adeò belle interuertit, ut sẽper nos, ut dixi, de ea cogitare uelit stulto suo exẽplo atq; cõsilio: Et uitã nobis acerbißimã efficiat, atq; nos stultos planè. Secundũ forsan exẽplo illius sui Marcelli obtinuisset, si iã ex Aufidij Basti uerbis nõamplius in sentẽtia sua more suo cõstans nõ fateretur, mortẽ afferre maximã perturbationẽ; quomodo ergo adeò lenis esse potest? sed & in tertio deterius se gerit omni alio philosopho præter Epicurũ, cũ omnẽ spẽ secundæ uitæ omne solatiũ immortalitatis animę adimat. Sed & si Mors res esset nõ solũ lenißima, uerùm etiã iucũda & utilißima esset, nõ deceret homines de ea semper cogitare. Dicebat enim sapientißimus mortaliũ: omnis excessus etiã ad uirtutẽ signũ est dementiæ. Atq; id est ac si quẽpiã de cõuiuijs parasitorũ more perpetuo differentẽ, uituperaremus, aliũ quẽpiã postmodũ æquis auribus pateremur perpetuò loquentẽ de exonerãda aluo. Sit Mors iucũda, utilis, necessaria, naturalis, finis tamẽ est, cur de hoc ultimo exitu tantũ cogitare decet? et sermones nostros omnes in illius laudib. cõsumere? nónne finis eius cuius est finis minima pars est? limes agri, punctũ lineæ, crepusculũ diei? quis adeò insaniat ut de agri limite solũ uerba faciẽs, agri ipsius nũquã meminerit? Estq; etiã id maximè admiratione dignum, quod & antea proposui, quòd cũ unicum esset in hac meditatione bonũ, ne illius quidẽ uerbum fecit,

quod

quod inferius edocebimus. Verũ an hæc cogitatio utilis sit hominibus aut reipublicæ? mortẽq; contemnere tam præclarũ sit & ad bonos mores spectet, nõ facile admiserim. Videtur enim mors nõ optanda ulli, nec sane æquo animo ferenda nisi his, qui uel à morte aliquid melius sibi futurũ certò sperãt, uel quib. uita odio sit. At qui certò sperare poßint, ab obitu meliora uix queas inuenire ob multa difficillima quæ spẽ istã obrumpunt. Necesse est enim ut scias primũ te superfuturũ, et quod taliter supersis ut boni particeps esse poßis atq; intelligẽtia frui: deinde quod talis sis, ut hæc bona speres poße promereri. At quomodo tot & tanta tibi eueniẽt, et qua uia, non sat intelligo? leges multa habẽt intermixta, quæ ut supra naturã sunt, ita creditu difficiliora, nec ulla est lex quæ usum talium bonorũ certò polliceatur, Philosophorũ sentẽtiæ discordes, ancipites: deniq; oẽs ferme Academicis exceptis, in hoc conueniũt nõ esse expectãda premia à morte. Qui uerò nõ ob hãc expectationẽ mortẽ nõ oderint, omnes egregie prauos fuisse, & ratio suadet, & experimentũ docuit. Brutũ.n.& Caßiũ et Ottonẽ reliquãq; eorũ Romanorũ turbã, qui sibi manus intulerũt sceleratißimos homines fuisse cõstat. Sed & ratio id delclarat. cũ. n. ut dixi, mortẽ nó formidẽt quia uitã oderint, odisse uitã illis necessariũ fuit: at nemo per se odisse uitã potest, ex naturæ enim lege omnia eße appetũt, quòd etiã in uilißimis atq; infelicißimis animalib. spectamus: odere ergo quoniã aliquid est quod tãtũ oderint, ut etiã uita

fastidio sit. Quod etiã uidemus in magnis cruciatibus, mœroribus, infortunijs atque timoribus. Si quis ergo citra hæc atq; etiam maxima, aliud adeo odisse potest, ut sibi displiceat, scelus esse necesse est. Quinimo nec propter timorem aut cruciatum, nisi talis sit ut eum omnino etiam mors subsecutura necssario sit, neq; ob aliud infortunium quisquam uitam merito aut sapienter odiße potest. Nemo ergo ob luctum, carcerem, morbos, tormenta, seruitutem, iniuriam, mendicitatem, iustè poterit odisse uitam : quandoquidem maximum malum quod ex hoc consequi potest, sit ipsa mors. Multo autem minus propter exilium aut leuiora mala. At propter flagitium odisse uitam, & rationi consentaneum est, & experimentum ita esse docuit: cum plures se morti sponte ob scelera dederint, uelut & Iudas Christo prodito atq; uenundato. Multiq; ex Romanis iudicio damnati, cum nemine prohibente in exiliũ abire tuto possent, semetipsos interemerunt. Sic Antonius post tot nefandas cædas ac scelera seditionesq;, desperatione impulsus sibi manus intulit. Et Cleopatra secum re infanda illa Ptolemeorum stirpe post inexhaustam luxuriã & inaudita crimina. Appius quoque Claudius decemuir quo nemo flagitiosior aut iniustior, Carbo scelestißimus, Crassus auarißimus, qui miserorum ciuium rudera emebat: Dolobella & Timbria nequißimi & seditiosissimi ciues C. Marius iunior qui magnam partem Romanæ nobilitatis, ut eos bonis spoliaret

spoliaret occiderat: Gn. Norbanus qui contra ius gentium Syllæ legatos uiolauerat. Fannius quoq; Cipio, qui Augustum nulla causa occidere tentauit. Licinius Macer & Silanus. T. Manlij filius à patre damnatus, repetundarum rei ambo: Nero quo nemo flagitiosior inter mortales: Sæuus Petreius Pompeianus dux & Iuba rex Numidarum, Cornelius etiam Gallus, qui cum sua poësi Thæbas spoliauit: Papyrius qui sororem uiolauerat. M. Colius iam infamis muneribus regum Orientis, sed is ueneno se peremit. L. Iubulus sacrilegus ab exilio reuocatus, cúm esset omnis flagitij nocens, & ipse sic perire maluit ne carceri includeretur. Et Diocletianus qui tot insontes Christianos occiderat. Magnentius quoq; & Decentius tyranni à Constantino superati manus sibi intulerunt. Et Oppia uestalis ab incestu, & Taurea Iubellius Capuanus uir seditiosus, occisa uxore prius ac filijs, & Amyntas cum frustra tentaßet, Alexandrum causa turpi occidere. Herodes Antipatri filiorum & infantium carnifex. Arbogastes qui iuniorem Valentinianum strãgulauerat parricidio insigni. Annibal perfidiæ exemplar et sæuißimus, Asdrubal prius enectis filijs et uxore. Mithridates quo nemo truculentior, filijs, uxoribus, amicis, inimicisq; sine discrimine crudeliter occisis. Nicias Atheniensium auarißimus. Ecelinus tyrannus, quo nemo immanior. Sed & Menippus Phœnix cum Cynicam sectam profiteretur, amissa pecunia laqueo se suspendit. Quemad-

modum & Sardanapalus regum dedecus cum turpissimè uixisset, regno spoliatur. Hos omnes pessimos uiros summa desperatione sibi intulisse mortem non fortitudine, cõstat. Quorsum igitur exempla pessimorum hominum sequi, ut optimi habeamur?

Verùm forsan obijcies aliquos fuisse uiros non improbos, qui tamen seipsos occiderint, uelut Empedoclem, Themistoclem, Demosthenem, Adrianumq; Cæsarem, quem constat minimè malum fuisse, si recta facta cum libertate, & ipse cum superioribus ac sequentibus Cæsaribus conferatur. Sed ut de Empedocle primum dicam cum Horatio:

———Siculiq; Poetæ.
Narrabo interitum, Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit.

Quid iugulem mortuos? In quo melior haberi debet insanus improbo? sed hic improbus nónne hominum genus totum ficta diuinitate decipere uoluit. Verùm fac non fuerit malus? Quid in illo probas? an stultorum facta sunt imitanda? Succedit Themistocles, hunc nolim uituperare etiamsi possim, nam iure se interfecit, ne aut impius esset, aut simul periurus & ingratus: at hoc est necessitatis non consilij.

Porrò antea testati sumus, postquàm diu nemini superuiuere licet, præstare homini mori quam uitam pro supplicio retinere. Hoc enim est unum quod ex-

cepimus,

ecpintus, Demosthenem haud tuebor lingua loquacem, pede fugacem, consilio dolosum, manibus rapacem, tàm Athenis inutilem, quam fuit Romæ Cicero. At de Adriano non defendam, quòd uoluerit non potuerit. nam id fuit pietatis ac summæ diligentiæ Antonini adoptiui filij atque optimi uiri. Sed nec medicum illum accusabimus, qui inter utrunque metum positus, ne daret uenenum petenti Adriano aut non pareret, semetipsum interfecit. nam hunc quin laude dignus non fuerit, nemo dubitare debet. Nec Adrianum ut causæ faueamus plus iusto accusabimus, quod Antinoum & Seruianum nonagenarium senem occiderit & Architectum. Primum enim incertum est, secundum ut successorem optimum ab insidijs & riuali liberaret: Tertium ob contumaciam iràtus. ut hæ cædes uel sine crimine, uel exiguo peractæ sint. Sed si bene facta illius respicimus, si disciplinam militarem, si præstantiam animi, paucos aut nullos Imperatores similes habuit. Inter reliqua insignis uirtutis exempla, sexagenario maior nudo capite, per soles, imbres, niues & frigora totum peragrauit orbem: unde etiam illi causa mortis fuit. Sæpè loricatus una die uiginti passuum millia peregit. res in priuato milite nedum orbis domino admirabilis. Quid ergo causæ fuit ut mortem optauerit? certa spes immortalitatis animi, non uitium ullum. Vnde etiã illius carmina quæ id testantur, licet parum quorundam iudicio ornata.

Animula, uagula, blandula,
Hospes comesq; corporis:
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigidula, nudula?
Nec ut soles dabis iocos.

Itaq; optare mortem & asciscere, res infamis est & sceleratis uiris non probis digna aut consueta. Quamobrem refert Aelius Spartianus Euphraten philosophum ueniam impetrasse ab Adriano, ut liceret sibi cicutam sine infamia bibere: quòd iam senex esset, et graui morbo laboraret.

Postquàm ergo contemptus mortis nec bonos efficit, nec probitatis est argumentum, sed improbitatis potius, quærendum est an forsan hoc utile sit, quod multi credunt ad Rempublicam? nam ex hoc contemptu fortes in bello eam tuebuntur. Sed ego non illos utiles esse reipublicæ arbitror, qui mori malint quam uiuere: sed qui cum mori necesse sit breui, non formidant ob reipublicæ utilitatem, non ob odium uitæ, aut mortis desiderium mori. tales enim sunt quos fortes appellamus, & meritò. Nam qui ob uitæ odium mori cupiunt, omnia negligunt, omnibus dominis ac magistratibus formidabiles, stulti ac desperati Rempublicam nec constituunt, nec illius pars sunt, sed singulis momentis euertere apti. Quinetiam amicitia nónne maximum est reipublicæ uinculum & auxilium? at quis huiusmodi hominum amicitiam desiderabit, qui seipsos

magis

magis oderunt quam quiuis maximum hostem aut inimicum? At inquit Seneca noster, qui uitam suam contempserit alienæ erit dominus. Ideo quid refert quod tyranno seruias, quem potes quandocunq; uolueris occidere? Strenua uerba & hoc ipso Philosopho digna: sed admittantur postquàm omnia tyrãnicidiæ fauent, nónne hoc est tamen quod diximus, quoniam quiuis tyrannus illi esse potest aut uideri. Illo etiam iudice decertare ausim, deterius esse tales habere tyrannides qui se metipsos oderint, in quibus nullus fidere poßit, qui ob odium uitæ sine delectu talia audeant, aut audere possint: quam homines benignos, gratos, amicis fidos, commoda curantes, qui solum ob id morti se expposituri sint, quòd publicum bonum priuato præponant, et primum diligẽter iudicent an ille tyrannus sit? & si sit an morte dignus? Deinde si morte dignus sibi uideatur? an è Repub: sit illum occidi? Sæpè enim cum tyranni morte Respub: simul occidit non exsurgit, ut in cæde C. Cæsaris, & Galeazij Sfortiæ, quos satis constat præstasse Reipublicæ ut superuixissent. Demum an etiam si præstet Reipublicæ occidi tyrannum, an ad ipsum pertineat occidisse: Nugantur enim qui dicunt pertinere ad omnes, ut eorum auxilio Respublica à tyrãno liberetur. Nam neq; ad filios, nec fratres, nec uxorem, nec medicum nec amicum, nec eum qui beneficia suscepit hoc pertinet.

Sed si tantus amor sæuum postrasse tyrannum.

Renuntia amicitiæ, beneficia prius repende, abdica temet ab illius domo, fac ut non ſuis beneficijs cædes illi empta ſit. Oſtende te fortem uirum non ingratum, patriæ amicum, non amici proditorem, uitæ tuæ contemptorem, non alienæ inſidiatorem. Poſtquam egregium & ſupremum facinus editurus es, fac ut omni infamiæ non ſolum labe, ſed etiam ſuſpitione careat. Neſcimus tàm eſſe iuſtum occidiſſe tyrannum, quam iniuſtum prodidiſſe amicum aut benefactorem. Si occidere licet eos, qui nobis coniuncti ſunt, nunquam deerit cauſa occidendi. Deſeruit, tyrannus eſt, doloſe nos amabat, prouocatus fecit, iniuriam intulit, peßimus eſt uir, iratus fecit. At ego iure reſpondebo hæc, omnia non tàm mihi nota ſunt, quam quod ſis perfidus, periurus, & paricida. Ergo hac unica dempta cauſa tyrannicidij, quam uides ut infirma ſit, et quam iuſtius ac honeſtius per alios exerceri poßit, quid habet ſanè hic uitæ contemptor aut utile aut honeſtum, aut pro exemplo bono beneq; inſtitutæ reipublicæ?

Quamobrem his relictis, ad ſermonem iam propoſitum reuertamur. Is erat ut doceremus mortem non eſſe formidabilem, non eſſe malam, & quomodo ut minus formidabilis & mala ſit, efficere poßimus. Cum enim ſint tantum duo malorum genera, præſens & futurum: futuri, ut aliâs dixi, metus eſt & formido, præſentis autem dolor. Si quis igitur in morte malum non eſſe, aut quomodo efficere ut non ſit, & quod non

sit formidabilis docere potuerit, is sanè totum negotium absoluerit. Quòd si uel hoc unum docere poßit, non esse dum adest malam, à metu etiam futuri nos liberabit.

Ergo prorsus *sufficiet ostendere non esse in morte malum? sufficiet quidem, si hoc efficere liceat: sed si non liceat, poterimus tamen cum hoc quod mala sit ostendere antequam eueniat, non esse formidabilem. nam discere & fatigari mala sunt, non tamen formidanda: aut alia ex ratione, quemadmodum quod necessaria sit, aut quod occupemur, aut quod in hoc simus stupidiores. Maximè ergo in hoc elaborandum uidetur, ut doceamus, mortem haud malam esse. Id continget, si docuerimus non esse in ea dolorem aut exiguum, post eam autem nullum incommodum. Forsan uerò operæpretium fuerit id docere, cui bono fuerit mortem naturæ constituere adeò formidabilem. Nam cum natura cuperet species animalium conseruari, id uerò duobus indigeret, ut quæ iam essent manerent, & postquàm semper manere non possent, alia propagarentur, quæ in mortuorum locum substituerentur, id generatione factum est. Duobus igitur indiguit ad harum perpetuitatem, conseruatione præsentium, & futurorum generatione. Singulis autem horum duobus modis prospexit: siquidem ut manerent in uita, nec tot laborũ pertæsa atq; incõmodorum, ultro mortẽ quærerent, bifariã prouidit & in præsenti morte dolorem*

te dolorem adijciens, & in futura naturaliter summam formidinem. Similiter & generationi ante quidem ueneris dulcem immodicè stimulum, & à generatione amorem sobolis. Necesse igitur fuit, ut in morte dolor non exiguus esset, & in eius expectatione formido: ut sic tot cum incommodis atque ærumnis inuiti in uita maneremus. Quòd nisi hæc ambo essent, quotusquisque ex tot millibus hominum in uita manere uellet? Quod etsi dolorem solum præsentem in mortem coniunxisset, metum ante sustulisset, homines ad illam properarent, ut necessitate inducti, postmodum nec pœnitere liceret. At si solam formidinem antea iniunxisset, mortem autem dolori non coniunxisset, spreta inani formidine homines ultro se morti offerrent. Indicio est sic esse, quod adhuc cum his ambobus uinculis tàm misera est uita humana, tàm parua in illa commoda, tàm facilè homines cogitationem ab ea auertunt, ut plerique morti nulla ex causa se offerant: innumeri uerò uel minimo proposito premio, ut quotidie in istis gregarijs peditibus qui ad militiam proficiscuntur, cernere licet, nec solum ad manifestum mortis periculum eunt, sed ad innumera incommoda, ipsa fermè morte deteriora. Præstat igitur hæc proposuisse scire ac considerare, ut de re ipsa plenius ac maiore cum ratione tractare possimus.

Vt ergo ad propositum redeamus, sex mihi ostendere necessarium esse uidetur. Primum quo nam pacto

mors

mors ipsa quam maximè poßit retardari, nam ex hoc triplex nobis commodum eueniet: primum ut interim uitæ bonis diutius fruamur, secundum ut mortem minus formidemus, nemo enim negare potest quin imminentia his quæ procul absunt, non sit formidolosiora, tertio quòd ubi relegata fuerit in extremam senectutem, leuior mors erit & quasi optata. Ostendere præterea oportet nec in morte nec ante nec post esse ingentem dolorem, sed in mortis causa nonnunquam. Et rursus quo nam pacto causam mortis leuem efficere liceat. Quarto mortem non esse formidandam etiamsi mala sit. Et rursus uitæ incommoda tot & tanta esse ut iure non solum mortem non debeamus effugere aut timere, sed optare potius. Demum quæ à morte sint expectanda, optabilem efficere posse ac debere mortem. Sed cũ hæc tractatio in Theonosto seu Theude, qui & Eremita inscribitur, absoluta sit multis disputationibus, sufficiet hac in parte paucula suo loco subiunxisse.

Ergo uitã ut quandiu proferre liceat, & si de hoc quatuor libros conscripserimus, qui de Tuenda sanitate inscribuntur, nihilominus ut rem hanc pro presenti instituto ad paucißima & facillima redigamus, quinque rerum curam habere oportet: uentriculi, dentium, capitis, uesicæ, Ramicum, atq; horum quod ad uitam attinet: ut autem etiam bene uiuamus, sensuũ omnium, præcipuè uisus & auditus, nam olfactus in homine non admodum necessarius: tactus & gustus

omnium, præcipuè uiſus & auditus, nam olfactus in homine nõ admodum neceſſarius: tactus & guſtus uix deficiunt dum homo uiuit, quanquam uiderim Auguſtum Corbetam fratrem Gualterij illius inſignis uiri, qui multis iam annis & olfactu & guſtu prorſus priuatus uiuit. Sed hæc rara, & ad morbos pertinentia. Nos hic quantum propoſito ſatisfacit, ſolum tractare decreuimus. Ventriculi igitur primum cura habenda eſt, quòd illo uitiato & iecur & cor & caput ſimul ac ueſica afficiuntur. Hunc uerò ſi diligenter commodeq́; tractaueris, omnibus ex æquo conſules. Curandum eſt igitur ut omnes ſuos ſentiat affectus, nullis diſcrucietur aut oneretur, non ſine fame ſumat cibum, non cibi defectu fame torqueatur, non grauetur cibis, non deſint cibi quibus ſacietur, unus ſit cibus illi familiaris & innoxius, ſemel in die, alia uice duobus contentus ſit: uuæ paſſæ, mel, lac, pineæ, caſeus, carnibus & ouis ac piſcibus præferantur. Piſces tamẽ marini lati, ſquamoſiqúe, carnes auium ſylueſtrium, unicum ouum cum pane prodeſt etiam ſenibus, quia euinci poteſt. Saccharum mellis loco habetur, menta, abſinthium, cereſolium, cotonea, piper illi auxiliantur. Reliqua omnia medicamenti potius, quam cibi loco ſunt. Aqua potior uino, & album rubro, & auſterum dulci, odoratum inodoro, ſomnum exercitatio, exercitationem cibus, cibum potus excipiat: reliqua ſunt in tempeſtiua. Et ſi priora defecerint, à ſuccedentibus

tibus

tibus abstineto. Assa pauca aut frixa elixis etiam multis præferantur. Quicquid edis mandes diligenter, ob id enim dentes necessarij sunt. Nõ est munerus cibationis, aut mensura ulla, sed sensus atq; utilitas pro lege. Lætus uiue, nec exercitatione corporis aut animi odiosa interpellabis animum. Hoc est quod tot philosophi, uiri pij, Grammatici, Rhetores, Musici atq; pictores ad extremam senectam peruenere, abstinentia, continentia, animiq; tranquillitas. Si quis ueneri operam perpetuò det, nunquam reddetur impotens ad uenerem, si quis famem quotidie uelit expectare, nunquam opus uentriculi frustra desiderabit. Motus moderatus seruat mortalia, immortalia perpetuum sibi iniunxerunt. Motu trahuntur cibi, coctioni aditus paret, membris agglutinãtur, permeant mẽbra, quicquid est inutile excernitur. Qui ante senectã obeunt, omnes ui adhibita naturæ intereunt. Adhibetur uis externis malis calore, frigore, mole, ferro, insidijs, internis curis, labore intẽpestiuo, uigilijs, crapula, inedia superflua, malis cibis, quiete nimia qua functiones mẽbrorũ impediũtur. Est et uis aeris à syderb. cõtracta, seu uniuersalis seu homini propria. hæc ut rarißima est ita frequẽs interna, externa nõ adeò sæpe incidit. Quotus quisq; sibi uiuit? Et propter quod omnia agit, et cuius medio id in ultimis habet, minimeq; curat. Iam uerò & si oleum commendauero intus ac foris, non abs re fiet. Referunt Gallorum uentriculos naturæ similitudine multum prodesse. Et Mugilum in furno exsicca-

torum: sed hæc potius medelæ causa, quam ut seruare possint diu robur membri integrum. Sed super omnia panem triticeum & suillam carnem uel apri commendauero. Capitis cura succedit, mundum & siccum seruare decet, uelut & pedes, sed horum calor uentriculo & capiti salutaris est. Ob id etiam abluere quinque frigida, sed exactè siccare conuenit. Exerceri nonnunquam ac liberum aerem experiri: à curis omnino uacare, diu dormire, nares palatumque purgare, frigida ipsum abluere, frigida exigua conuenit, multa nocet, ab igne cauere, & ab ictibus. Summum deniq; præsidium est non nocere, beneficium alui procurare. Atque hæc oculis & auribus etiam conducunt. Sed oculis confert lucem non inspicere magnam, ut solis uel ignis, cauere etiam à fumo, aquam frigidam tutum est admouere, non solum ipsis sed etiam fronti, auribus sicca & calida, ut si goßipio obstruantur, auertere ab immodicis sonis.

Dentes non sine capitis cura seruabis, sed nec illa per se sufficit. Quamobrem ne calidis utaris, ne dura confringas, ne gelidum potum sumas, dilgenter cauere oportet. Peßimum est, si à calido cibo frigidißimum potum sumas. Dentibus, capiti & sensibus aer purus siccusq; mirum in modum prodest, & aqua etiam mūda, obsunt autem quæ his sunt contraria. uenus etiam immoderata his omnibus nocet, ut crapula, sed & lac & palmarum fructus obsunt dentibus, ob id ab horum

usu col-

usu colluere os uino decet. Quædam dentibus obsunt quia illos separant, ut punici mali grana, quædam quoniam gingiuas exedunt. Conuenit ergo à prioribus abstinere, & tenuibus radicum, nucum ramentis quod interiacet educere. Gingiuas & dentes confirmat stiliticum acetum cum pipere in ore contentum, & præter id caput etiam purgat à pituita. Rariorem etiam usum agarici aut ebuli germinum in uere non abhorruerim, cum caput aut uentriculus adeò infirma sunt aut aer tam prauus, ut necessario caput cruda pituita repleatur. Oportet autem rarissimè hoc facere, & exquisitissimè, & à purgatione exiguo, denso & optimo alimento uti. Quòd si leuioribus per interualla uentriculum & caput purgare libeat, lacryma lentiscina cum rosa subacta tuto facere licebit. Memineris etiam capiti & his quæ in eo sunt, cubiculum siccum admodum & temperarum conuenire, pratum uero in serico uel gossipio non plumma.

Vesicam & renes sic tueberis, ut à caseo et Piscibus cancrorumq; generibus, tum quæ dura uel molli testa integuntur, caueas. Aluum lenem habeas, Auenzoar enim existimauit hac uia posse uniuersum corpus incolume seruari. Quæ incidunt & renes expurgant accommodata sunt, ut cappares saliti, cum multo oleo paucoq; aceto. Acetum oculis & neruis obest si plusquam decet eo utaris, sed & rugas accelerat & canos: ut contrà oleum, lac, mel, offundunt oculis caliginem

cepæ & quæ ex eo genere, lens, lactuca, braßica: ut Xilocloes & Cardamomum ac fæniculus iuuant. Nuclei oßium, cerasorum, purgant renes & uesicam, ut radix lapathi, quam coctam cum oleo uel iure edere oportet. Laudantur apices & tegmina testarum cochlearum & cicadæ. In uniuersum expurgatos oportet seruare renes ac etiam uesicam. Adeò ut in usum transeant germina saxifragiæ, radices graminis, limunij mali, succus carduorum, etiam germina cum summa radice esitare soleo. Summa ni in fine meiendi exprimere compressa ut expurget perfecte uesica. Renes non tegere, nisi lineis. Existimant columborum pullos plurimum his membris prodesse naturæ proprietate, seu quòd purgent & confirment. ouillum quoque lac. Atque in huiusmodi cura urinas nonnunquam obseruare oportet, nam in uesica calculus non sensim sed maiori ex parte simul gignitur. Lachrimam etiam terebinthi deuorare (purgat enim membra hæc & aluum, & intestina à doloribus tuta reddit) bonum est. Sed lentisci aliquid, mentæque odoratæ adijcere conuenit. In uniuersum exercere se oportet, ne coeat, & cruditates uitare ne materia eius generetur. Vt Ramex non infestet, colliget uitta superiora inquinum, à flatuosis contento spiritu, & ponderum eleuatione caueat. Cæterum non eadem est ratio temporum & ætatis, sufficient enim

hæc

hæc à quadragesimo ad sexagesimum annum, ab eo uerò ad septuagesimum frictiones adhibere oportet, & leuibus uti deambulationibus, atque omnia quæ nutriunt minuere, quæ non nutriunt abdicare, ut etiam ueneris usum, studia omnia laboriosa longeque magis curas. Sæpè contentus sis ouo unico, & pane mellisque modico, abdices etiam quæque contumatia concoctu sunt, diutiusque somno indulgebis. A septuagesimo etiam ad octuagesimum usque deambulationem minuere, loco earum frictionibus & leni equitatione in asturone aut mula exerceberis, ita tamen ne multum crura diuaricet. Cubiculo calidiore cubabis, & in plummeo lecto discumbere licebit. Si dentes desint aut inualidi sint, ferculis uteris. Pater meus à quinquagesimosexto anno ad septuagesimum uixit sine ullo dente. Iacobus Hebræus hac in urbe fænus exercens, etiam per multa incommoda quibus misera illa gens affligi solet, à trigesimo anno ad octuagesimum absque ullo dente peruenit, & adhuc uiuit, satis robustus. De alijs etiam audiui qui ad extremam senectam peruenere, nec fraudi fuit caruisse dentibus. Existimo quòd plus utilitatis in cura uictus repositum fuerit his, quam iacturæ in dentium defectu. Præsertim quod qui ex toto dentibus carent, etiam crustas panis optimè atterunt, quòd in patre meo sepius obseruaui.

Qui

Qui imbecilles habēt dentes aut non è regione inuicem positos deteriori conditione sunt, præcipuè si in illorum usu confidant. Vbi diuturnitati uitæ rectè prospexeris, illud æstimare debes, non esse post mortem malum ullum, atque id tribus rationibus conuincere facillimum erit: prima, quòd si non es, nullum patieris malum, si futurus es, multo uerisimilius est ut sperare bona debeas, quam ut mala timere. Deinde quod nemini inferior futurus sis, nam qui iam mortui sunt pari laborant calamitate, ut illis non debeas inuidere, qui nondum nati sunt, nec illis conuenit qui nondum sunt ut inuideas, presentibus cum & illi omnino sint morituri, non potes aliud inuidere quam mortem ipsam: quæ si bona est, iam tu adeptus es, si mala, eam iam euasisti. At dices, scio omnes pari conditione futuros, sed cur tamen non ego ut sydus aliquod perpetuo mansurus sum? ò stulta cogitatio? Cur non mæres quoniam & Deus non sis? nón ne satis est quod nemini cogaris inuidere? quòd nemo te ipso beatior sit? quòd nil mali patieris, aut omnino pati poteris? atque hoc si pessima conditio natura sit. at si non pessima & tu bene uixeris etiam sperare potes optimam & sempiternām uitam. Rursus tam infelix est conditio huius uitæ nostræ, ut melius sit nō esse quam esse. Sanctè tibi iuro Octauiane Cusane, si quis Deus à morte mihi optionem det an uelim redire in uterum mulieris, atque iterum nasci optima conditione (non dico regia, nam illam infælicissimam

felicißimã infra esse ostendam, sed Pheludensis Ptolemei aut Hippocratis, quos duos homines uerè felicißimos fuisse existimo. nam & ad summam senectutem peruenerunt, & maxima in tranquillitate uixere, & sapientiam præcipuam sunt consecuti, & sua ætate & posteris seculis gloriam raram, neć defuerunt necessaria, quin etiam uni eorum duos filios affuisse certum est, an alteri defuerint non est compertum, quæ septẽ conditiones cum uirtute non solum absolutam felicitatem, sed etiam omnium ad illam necessariorum numerum explent) non recepturum. At uide in tot seculis, in tot prouincijs, duos tantum homines inuenißse fortunatos, quam arduum sit si sorte distribuantur uitæ in earum alteram incidere. Nam si per aliorum uitas discurres, omnes his duobus inferiores inuenies. De regibus enim res ad suum locum relegabitur: nunc satis fuerit admonere, illos omnes esse planè infelicißimos. At de sapientibus nunc dicendũ. Aristoteles mortuus est exul, & non admodum senex, multasq; persecutiones innumerasq; molestias passus est. Plato uera sapientia caruit, tum etiam filijs. Socrates damnatus, obijt in carcere, filios mendicos reliquit, ipse ueræ sapientiæ expers, pauperrimus, uitam perpetuis cum difficultatib. egit. Ciceroni ex omnibus quæ ad felicitatem spectant, præter gloriam & diuitias, ac unicum filium quo caruisse præstitisset, nihil fuit. Pari fermè conditione, imò ob orbitatẽ deteriore Demosthenes fuit, ac

P multo

multo minus splendida opibus, potentia, gloria tum præsenti, tum apud posteros. Virgilium infelicem gloria illa, ut ita dicam, inani excepta fuisse constat. Horatius pari fortuna: Ouidius planè infælix, cæteri poetæ pauperrimi, aut prima iuuenta extincti sunt, omnes etiam fermè orbi et infames. Galenus, Plinij utrique & orbi & haud longæui. falso enim de Galeni uitæ longitudine illa referuntur. Pliniorum etiam unus præter humaniores literas nihil sciuit: alterũ quis nisi grãmaticũ purũ inter sapientes numerare audeat? Quintilianum infelicem sua ipsa uox, duobus sublatis filijs quos solos habuit, testatur. Reliquorum rhetorũ et grãmaticorũ turba misera de felicitate nõ contendet. Plutarchus à duobus tertius esse posset, filios enim habuit, senex uixit, uxore egregia ornatus, gratia principis atque diuitijs: sapientia tamen uera & gloria apud posteros illis longè inferior. Reliqua philosophorum turba aut orbitate infelix, aut paupertate grauis, uel uitæ breuitate futilis, aut stultitiæ potius quam sapientiæ opinione infamis, à felicitate procul abest: nam de Seneca iam satis dictum est, & si dictum non esset, nemo adhuc sortem suam illi inuideret, quandoquidem improbus uixerit, & diu in summo metu, ad extremum uita & fortunis omnibus simul spoliatus sit. Orbum etiam mortuum fuisse constat, quamuis & nescio, unde quidam fratres, & fratrum filios tanquã ab eo genitos illi tribuerint, cõstat ex Tacito, postulasse supremo

se supremo momento uitæ tabulas, ut amicos hæredes institueret, quod si filij affuissent, neq; amicos hæredes instituere oportebat, nec Tacitum qui uxoris & conuiuarum meminit adeò minutim, filiorũ tàm necessariorum decuit, mentionẽ omnino non fecisse, sed hæc omittamus quæ extra propositum sunt, quod proposueramus potius prosequamur, non suscipiendam à morte mihi Hippocratis conditionem ut in uitam redeam, iure meritò etiã si offeratur, dixi. Nã si suscipere debeã, cum à morte æqua sint bona malis, quia nihil horum adsit, oportet ut si iure suscipere debeo, bona plura uel maiora esse quam mala: at non ita esse, sed Hippocrati plura & maiora mala fuisse quam bona, nunc ostendam. Principio quidem ab eo momento in quo conceptus est, usque ad annum quartumdecimum, nil fere nisi mali passus est. latuit in utero fœde ut uermis, natus est cum labore. ob id infantes, ubi primum nati & plures etiam post per dies flent ob dolorem, quem nascendo, umbilicum alligando, insolitamq; lucem ferendo frigusq; tollerant. Inde inter sordes propriumq; stercus & urinam educatur, eorũ quæ patitur nihil nisi fletu significare potest. Vnde plura admouent nutrices quibus irritent, qua leuent illius molestiam. Traditur post modum fastidiosis magistris, uapulat, obiurgatur, nulla est miserior uita. Effugit pueritiam, euasit minas præceptoris. Hic iam nouus labor est inchòandus. Nunquid putas Hippocratem ad tutam perue-

nisse sapientiam, quin reuoluerit omnia, uel saltem potiora uolumina antiquorum? non solum in medicina; sed Geometria philosophiaq́; suorum temporũ? ostendit studia illius in Mathematicis Tetragonismus suus, in philosophia ratio, exortus syderum & naturæ, terrarum, aquarum, uentorũ, temporumq́; adeò exacta, ut eam nec tot florentibus seculis post quisquã æquare potuerit. Succedũt Epidemiorũ libri, qui docent quantum in artis operibus insudauerit. Quid ergo? nonne magnam partem Græciæ atq; finitimarum barbaricarum regionum peragrauit? At studiorum causa? studia sanè quid aliud sunt quam spontanei labores, labores ergo? sed gloriæ causa? Si præsentis? breuis: si futuræ? quam incerta, quam periculosa? quam inanis? Quam parũ abfuit quin illius scripta omnia interierint? Nisi Philadelphus Ptolemeus superuenisset, nescio quota pars uoluminum Hippocratis iam superesset? Et sic, à tot successoribus uellicati, reiecti in Cæsariano incendio plenè aboliti sunt. Sed nil horum euenerit? quis potuit facere ut in tam raro euentu tàm securus esset? tàm bene speraret? sed fac ut speraret? si nil à morte superest? quid ad illũ hæc gloria? si superest? quota pars eius quod superest? At lætus interim ac spe uixit? sit sanè & laboriosus, & anceps & multis cum molestijs? Quid durius quàm ægris inseruire, Plebeis humile, Principibus adeo laboriosum & molestum & periculosum, ut uix quisquam ex his qui aßiduè inseruiũt, ad senectam

peruenire

peruenire poßit, alios dum seruiunt tedeat uitæ. Hæc ego omnia expertus aufugi, etiam ut lacertæ solēt cauda relicta, omnia humana dura, omnis seruitus molesta, sed hac ipsa nihil durius, nihil molestius excogitari potest, sed Ptolemeus ægris non seruiuit. Quoties uigilauit, pernoctauit ut sydera contemplaretur, quantus labor in concordandis his quæ decretis suis repugnare uidebantur? quanta molestia in tollendis erroribus? Qualis angor in excogitandis tot, tamq; subtilibus rationibus? quanta cura in tot minutijs supputandis? Deniq; quæ anxietas, ne uno deficiente totus labor in irritum decideret. Atq; hæc omnia inanis cuiusdam gloriæ studio. Quid si uitā in medio cursu aliqua sors, ut multis clara conantibus, abrupisset? Quis Deus illum hoc metu liberauerat? aut quis alius à Deo illum liberare potuit? At potuit. ex astris enim hoc dignouerat? sed quis sextercium deponat sub ea fide atq; promißis? Verum hæc relinquo: quænam interim uoluptates? summa uitæ uoluptas est malum nō sentire: at dolor ac cruciatus unius diei multorum annorum uoluptatem huiuscemodi æquare possunt. Nihil tàm incertum quàm bonorum diuturnitas, nihil tàm certum quàm mala nō nisi sero & magno negotio posse amoueri. Quæ uoluptas est in filijs, quos multi menses & anni dant, unà nox aufert? Si non auferat, miseri, improbi uel cōtumaces esse possunt, quicquid horum contigerit, molestiæ ut sint potius quàm uoluptati necesse est. Ergo neceßi-

tis hæc omnia in uita nostra tolerabilia facit, non ut ui uere ob illa desyderare posimus. At uide modò quam pauci sint, futuriq; sint Hippocrates aut Ptolemei? Alius orbus moritur, alius nondum exacta iuuenta, quidã etiã in pueritia: alius uictũ mendicat, alius animi perturbationibus detinetur, alium detinet seruitus, alium exagitãt lites, alius est imperitus, alius ab inimicis, à principeue uexatur: tot sunt modi pereundi, unica est uia arcta, obliqua, ardua ut penè inaccessibilis ad fælicitatẽ. sed fac ut omnia benè cedãt, estq; ipse moriendi metus, certa expectatio, incerta tẽporis dilatio, ut in momẽta singula mori nos necesse sit. Præsertim si inimicis non careas seu ægrotes, seu pestis diuagetur, aut cœlũ corruscet, aut ancillã dubiæ fidei habeas, sexcẽtaq; talia? Quis enim à terræmotu, à casu tegulæ, à lapidis incerto ictu, à canis rabidi incursu, ab equi casu tutus esse potest? Nepos ex sorore Põtificis huius occisus est, dum mingeret ab uno cui erat incognitus, cum iurasset è caupona exiens ebrius occisurum quem primum casus obtulisset. Succedit senecta plena malorum omnibus, plerisque etiam plena miseriarum. An satis tibi iure uideor non recepturus conditionem renascendi? an alia & expectas, ut dicam, molestias affinium? contumaciam familiarium, perfidiam clientum? puerorum & ancillarum tædia, fastidia, fæda ministeria. Vt si qui tractant quæ edis consyderes, fame potius sis periturus. An non ancillæ & pueri

exonerant

exonerant aluum, pediculos è capite tollunt, inde illotis manibus quæ comedis tangunt & attrectant? sed de his aliàs. Quis ergo nisi insaniat sponte in hanc uitam sit rediturus? Aut cur miramur Hægesiam oratione facunda potuisse Aegyptios ad mortem spontè asciscendam impellere? quando nuda oratione perspicuum sit optimè se habere qui iam uita functi sunt? At dices nihilominus uiuere hoc iucundum est, spectare cœlũ, sydera, terras, maria, flumina montes, tot pulchra, talẽ ornatũ, tot artiũ effectus, sensus oẽs oblectare. sed tamẽ quando finẽ impositurus es? nónne ad eãdẽ perpetuo redis? bis eadẽ spectasse satietas est, millies uidisti & adhuc uidere desyderas? sexaginta sunt & ad summũ cẽtũ per quæ quotidie reuolueris, nec piget ad eadẽ semper reuerti? singulis diebus surgere, uestes induere, cœlum solemque ac sydera intueri, forum inuisere, prandere, cœnare, ludere, disceptare, numerare, rationes exigere, tandem uestes exuere ac lecto se condere, incertum lucis futuræ & de multis anxium. sed etsi hæc omnia disputauerimus supposito animæ interitu, ob id ne abijcere spem nos decet immortalitatis animorum? certè non, nam ego quid alias testatus sum, huiusce immortalitatis satis certus sum. Quid habes quod mihi obijcias in hoc maximum atque præcipuum? Quod nemo unquam reuersus sit ad nos ex tanta mortuorum multitudine? quod uideamus homines sensim augeri, deinde uersus senectam rursus

ſenſim ſenſuum ac mentis uiribus deſtitui. Quod ſi homines qui nati ſunt ante pubertatem perirẽt, nemo cogitaret nedum dubitaret, quãto minus auderet pronuntiare animos noſtros eſſe immortales, quod etſi aduentu ad iuuentutem multa egregia ſuperaddantur, nemini tamẽ dubium eſſe poteſt hæc non huiuſmodi eſſe, ut digna ſint immortalitate infinitaq́; natura, quæ cũ immortalitate neceſſario coniungitur. Quod ſi quid diuinum eſſe contendas, ut eſſe mentem conſtat, at illam abſcedere nobis integris ſæpius, palam eſt. Demum quòd uideamus ea quæ ſunt immortalia alterius eſſe generis, corpora quidem immenſa imò & incertum illorum finem ac perpetuo æqualiq́; motu ſempar agitata, ſpiritus autem ſecretos ab omni corporea mole. At homini puſillo quid ex his ſimile? ſed potius aliorũ animalium natura, moribus atq; fortuna. Ego tamen rurſus ſanctè iuro in me agnoſcere animi immortalitatem, ſemperq́; eſſe agnoſco, nec nũc quaſi fortuito: ſed ſi quis modum à me requirat non ſatis dixerim, nec docere poſſim. Verum illud præclaris uiris perſpectum pariter fuiſſe exiſtimo: Ariſtoteli dico Theophraſto, Themiſtio, Alexandro, Auerroi, Auicennæ, Ptolemeoq́;. Hippocratem eouſq;, multominus Galenum perueniſſe non puto, ut clarius diuinis intentum Platonem. Quamobrem ſuſpicatus ſum ſæpius, eum qui in nobis eſt immortalis, Deũ intellectũ eſſe adeptum, quod non niſi poſt magnã mentis perfectionem hoc ſentire cõtingat: nam in his adeò

menti nostræ unitur, ut nos unum cum illo esse sentiamus: tunc ergo haud aberramus existimantes nos semper esse, immortalisq; naturæ. Qua in opinione etiam nobiscum consentit Alexander, dubiusq; ob id Philosophi sermo. Sed si alienum Deum in nos immigrare non contingat, ut illius uiæ fungamur, longiorem uiam huius consilij & asperiorem disputationem inire oportebit. Cogemurq; uera sed non uerisimiliora, certiora sed obscuriora dicere. Etenim cuiq; facilè fuerit persuadere, mentem nostram lumine diuino conspersam, non Deo coniunctam, sentire per illud immortalitatem in eo, quod recepit nõ illud sed ipsa, nõ in illa sed in ipso, ut nihilo serius ipsa mortalitati suæ relinquatur, & lumẽ ipsum cum casus aduenerit unde defluxit, denuo se recipiat. atq; hic modus est fucatæ immortalitatis: quã nemo refutare ausus est. Sed altior quædam est causa, licet ut dixi, abstrusa magis: nam cum animus ipse eò peruenerit, ut semetipsum colligat, tunc seipsum agnoscit & substantiam suam mortali uinculo liberatã, non alijs rebus tunc incumbentem sed sibijpsi. Plura etiam contingunt, & in discessu & parũ ante discessum, tùm nostrum tùm amicorum qui purè sanctéq; uixerũt, aut omnino impiè, per quæ dignoscimus nos Dijs curæ esse. Et quanquam hæc cura Deorum de nobis, quæ ut euidens est, ita non satis firmum immortalitatis animi nostri argumentum, cum & nos ouium, canum & gallinarũ curam habeamus, quamuis nec immortales esse

illarum animos arbitremur, pluraqúe ex eis ad tempus, & in escam nobis educemus, spem tamen praebet superstitis animi. Et nisi Stoicorum opinio exitum non inueniret (existimant enim hi animas nostras non prorsus esse immortales, sed tamen diu à morte superesse) his quae apparent de mortuis, quaeqúe uulgo dicũtur magis congrueret, simul & enormia quaeqúe, quae ad immortalitatem ac infirmitatem numeri animarum sequi uidentur, effugeret. Itaque & aliquos ad nos reuersos fuisse à multis receptum est. Et liberari non augeri mentem palàm est: ex hoc quòd paucioribus cibis ac potibus clarior euadit. Et si quis Solem solum inter nebulas spectasset, Solis pulchritudinem atque diuinum fulgur non posset deprehendere, nec tamen ob id quin pulcherrimus sit Sol & fulgentißimus diuinusq́; negare debemus. Apparent etiam non solum in pueris, sed infantibus, etsi non mentis atq; immortalitatis uestigia, saltem naturae ab omnibus alijs animalibus alienae atq; altioris. Audiebam matrem meam dicentem, quod cum quadrimus essem, circumducererqúe in porticu quadam depicta (nemini autem illius & loci & figurarum, non tamen eorum quae dixerim) responsa plura me dedisse, de quibus omnes qui circumstabant, non solum admirarentur, sed stuperent. Nunquid ergo haec ab equo uel elephante, aut cane uel simia, etiamsi loquantur, audiri aut expectari poterunt?

Quinetiam

Quinetiam turdos, picas, psittacos loqui didicisse, sæpius omnes uidere potuerunt, quæ ex ipsis proposito uocem accommodare didicerit, nemo uidisse gloriari potest. Et tamen non minus aut certe parum minus ingeniosa est natura horum quam canum, elephantorum aut simiarum. Mentem ergo in nobis diuinam esse constat: quæ etsi abscedere uideatur, potius conquiescit quam abscedat. Si enim abscederet, maxime in somno abscederet? prope mortem destitueret? at his temporibus non solum semper abest, sed nonnunquam quædam admiranda uidet & ostendit. Nam homo axiomatum nunquam obliuiscitur. Non ergo exercetur sine cogitatione, cogitatio autem nobis semper ex confesso inest, nemo mentis opus in cogitatione frustra desiderauit, non ergo mens recessit interim, sed conquieuit. Fidere igitur debemus nos superfuturos, tametsi qualiter id futurum sit, solum ex religione condiscere liceat. Quod si ita est, non hæc uita, illa mors, sed contra mors hæc illa uita appellanda erit, succedit modo examen, an in morte sit dolor? Dicebat Diogenes Cynicus, Mors mala non est, quæ cum aduenerit non sentitur. Sed hæ cauillationes parum me mouent, illud potius magnifacio, quod cum Scipio Pompeij socer ad oram Africæ inuitus appulisset, unde sciret se in manus hostium uenturum, gladio se transfodit. Quærentibus autem hostibus ubi nam esset Imperator?

tor: respondit, bene se habet. Qua in re & exiguum dolorem perpessum, & magnam animi constantiam declarauit. Cato Vticensis cum obligatum esset uulnus, quod sibi intulerat, manibus dilacerauit ipsum, tanquam exiguum esset se interfecisse semel. Quid de eius filia quæ se accensis carbonibus suffocauit. Vnde illud Martialis elegans dictum:

Coniugis audisset fatum cum Portia Bruti:
 Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis ait mortem non posse negari:
 Credideram hoc uos iam docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
 I nunc & ferrum turba molesta nega.

Quanquam de hoc satis dubitem, cum tàm clari exempli inter tot minus admiranda, & ubi toties patris eius meminit, Seneca mentionem nullam faciat. Sed statuas ut libet, multos uidi pueros atq; fœminas, qui dum morerentur bene se habere dicerent, nec ibi suspitio erat ut fingerent, uel ut edocti ita loquerentur: multo minus ne philosophiæ operam dedissent. Et quod maius est, & à Ciceronis ætate ad hæc nostra tẽpora perseuerauit: Inde mulieres decertant, quæ nam in mariti funere secum uratur: & tristis abit non quæ peritura est, sed cui perire non licuit. Itaq; etsi non ignorem fatale mihi esse, cum de morte scripsero, ex somnio illo redeundumq; ad culmen domumq; rusticam, unde libros de morte ob id etiam aboleui, quos scribere cœperam,

ram, quia tamen quid ex illa domo mihi decernatur, non intelligo, & quodcunq; statutum est, uel me uolente expleri postulat, & ut publicæ utilitati satisfaciam, quæ de morte sentio hic aperire institui. Habet ergo mors quæcunq; tria tempora, unũ in quo ad interitum tenditur, secũdum in quo sensus deficit, tertium in quo anima efflatur: atq; ea tempora breuia sunt, aut longa, coniuncta aut disiuncta, ut pro ratione morbi ac cæterorum euenire consueuit, adeò ut etiam in his, quibus uno ictu ceruix præscinditur, hæc omnia effluant. nam dũ ceruix præscinditur, causa mortis superuenit, præcisa amittitur sensus: sensu amisso fermè statim, sed non omnino subito moritur homo, nam & aliquandiu cor palpitat. Iam ergo sensu amisso dolorem nullũ fieri posse haud obscurum est, est enim dolor sensus affectus: in ipsa igitur morte dolor nullus. Deprehendas etiam illud ratione atq; experimento. Experimento, quod nullus dum efflat animam, contorquetur, sed manet immobilis, etiamsi diu antea se torserit. Ratione, quòd qui in somnum se transferunt, nihil prorsus sentiunt nec animaduertunt, quanquam illis sensus solum sopiatur, non autem interierit. At uerò dũ sensus amittitur, spem aliquam (est autem mortis tempore diuturnior hæc mora) doloris multi præferunt, plurimi enim diu se torquent. Quòd si non maior esset dolor quam in somno, quam in animi defectionibus illis, quas olim passus sum, in altera quidem nihil sentiremus, in altera

etiam,

etiam,ut retuli,uoluptatem. Existimo autē pro causæ ratione hæc cōtingere. nam si exsoluatur sensus animæ & uitalis caloris defectu, uoluptatem potius quam dolorem sentiri existimandū est: sin dolore aliquo aut suffocatione, ut in strangulatis asciticis cruciatibusq; non sine dolore fieri ex solutionem arbitramur. Rursus in prima parte, qua ad hāc sensus amißionē tenditur, quæ proculdubio alijs longior est, magnā sentire perturbationē omnes fatentur: secedente sensu, oppugnatis arcibus. Ob id pro morborū ratione res succedit. In sanguinis enim & humorum immodicis euacuationibus, primum quidem quietè res agitur: post ubi eò peruētum, ut deficere cogatur, si nō celer succedat effluxio atq; uehemens, diu torquentur perturbatione quadā, quæ est omni dolore deterior: ut etiā ipsi Senecæ contigit, dum iussu Neronis seniles uenas incidisset. At si statim effluat statim cessat. Ob id sues modo retinendo, modo sanguinē fluere sinendo, magno cruciatu ac miserabili modici questus gratia apud nos occidūt. Qui ergo laqueo strangulantur, crudelißimè pereūt. Ob id leges opposi tum eius quòd facere debuerant statuerūt: scilicet atrocem mortē et minus horrendā, cum præstitisset horrendā, & minus atrocē in tàm exiguo scelere constituere. Quibus uerò ceruix uno ictu amputatur, partim strangulatione, partim sanguinis effluxu moriūtur: atq; ob id non sine cruciatu est & illa, sed minore quam in his qui suffocantur laqueo, celeriusq; absoluitur. Indicio

est,

est, mortem ex suffocatione acerbißimã esse, conuulsiones & contorsiones quæ illis accidũt, & quæ referebãt duo Patricij fratres ex Casatis, qui ambo ex suffocatione facta ob morbũ peculiarẽ, quãuis senes essent, interierunt. Qui uerò ad decrepitã ætatem perueniũt, uix ullũ dolorem sentiũt. nam in mortis hora parẽ subeunt conditionẽ, dũ sensum amittũt qui iã in eis per se hebes est, leuius afficiũtur: antea uerò quod est primũ tẽpus, experimentũ docet parũ eos affici: aut igitur sine dolore obeũt, aut per quam exiguo. At si in morte dolor nõ est, neq; ante magnus, nec post ullus est, aut esse potest, mortẽ timere omnino superuacuũ est. Quinetiam magna à morte solatia proposita sunt: uelut somniũ illud Iosaphat, quod à Damasceno his uerbis propemodũ recitatur: Vidi me ad pratum amplũ deductũ, floribus decoris ac bene olentibus ornatũ: ubi arbores omnis generis erãt suis fructibus, et quidẽ magna ex parte mihi incognitis onustæ. Earũ quoq; folia suaui agitata aura, dulcẽ quendã sonũ reddebant. totusq; locus mirũ in modũ flagrabat odoribus suauißimis. Ibi sedes auro gemmisq; nitebãt, lecti quoq; preciosißimis ornamẽtis dispositi: limpidißimiq; aquarũ riuuli dulci susurro demulcebãt animũ. Aspectus uerò ipse aquarũ iucundißimus, in quarũ imo lapilli uarij coloris refulgebant. Per hæc loca tã amœna, ad ciuitatẽ lõgè amœniorem ducti sumus: nam muri ex auro erant, gẽmisq; rutilantibus; quarum maxima pars mihi incognita erat. Ipsa nobis

" bis propugnacula altißima, è summo autẽ splendidißi-
" ma lux eam totam illustrabat. In ea exercitus solum cæ
" lestes habitabant, uestibus ornatißimis induti: nouam
" symphoniam suauißimamq; canentes, cuius similem
" mortalium nullus unquã audiuit. At dices, somnia nar
ras? fateor, sed hæc somnia tamen longè minorem felici
tatem declarant, quam quæ bonis uiris à morte propo
sita sit. Dices unde scis? Quòd quidam optimi uiri pau
lo antequã obirent, hic maiora uidisse se affirmabant:
nec illos quibus tàm parum uitæ supererat, commenta
talia confingere uerisimile fuit. Ratio quoq; ipsa sua-
det, incomparabiles esse delicias futuræ uitæ his, quae
in hac uel cogitatione assequi licet: quod etiã in insom
nijs, & euidentius in ectasi deprehendimus, adeò ut me
lius sit negare nos talium posse esse participes. aut si fa
temur multo suauiora, pulchriora, maioraq; ac splen-
diora existimare. Stultũ enim est arbitrari eam lucem
propter quam hæc illustrantur, eam uoluptatem prop
ter quam hæc uoluptate perfunduntur, paria esse aut
paulo maiora. Aut igitur totam habere conuenit eam
felicitatem, aut nullam. Meditare ergo sum̃o animo
sempiternam quietẽ, uitam securã, lucem clarißimam,
societatem iucundißimam, sapientiam fœcũdißimam,
quodq; omnibus maius est, & eximium amorem, æter
num et immensum Dei. Tot amplas regiones, tot splen
dida sydera, tot pulchra & decora quæ uidere contin-
get, iam pœniteat ad mortem interpositæ moræ, quæ
te à

te à tam gratiosa ac iucũda uita interpellet. Talia mente reuoluens, facies ut si quid in mortis memoria ac cibi aut amari relictum sit, dulcescat. Quod etsi falleremur (quod tamen nõ spero) hoc errore nihil melius aut utilius esse potest, fallereq; sic ac falli, gratum ac commodum est. Multos uidimus ex his qui uitam sanctam agunt, molestius mortis moram tulisse quàm mortem, atq; hac in parte religio nostra seu continentia morũ, seu spe promissorum, apicem sapientiæ summũ attigit. ut simul et sanctè & feliciter nos uiuere doceret, & futuram beatitudinem plenè explicaret.

Quo fit ut non parum admirer homines hac ætate, qui ob tam breuem uoluptatem, tàm magnæ, tàm diuturnæ felicitati, quæ à morte sperare potest, renunciẽt. Sit quantulacunq; spes exigua, premium certè tàm magnum est, ut non nisi insani sit uale dicere tanto fænori. Genuenses qui fænus exercent, uel nulla spe spem emunt ex trigesima quadragesima, uel ad summũ quinquagesima. Sors hæc gloriæ perpetuæ fænori si conferatur, nec millesimam attingit. adde quod sortẽ ipsam uel duplicatam ipsa spes sola reddit. quandoquidem hoc ipsum sperare maiorem quã quæ dimittis uitia, et solidiorem uoluptatem affert, uitamq; producit. Deinde quid amittis? ludum, at qui ludunt, tempus primum rem pretiosissimam terunt, inter spem & metum qui maximi affectus sunt in hominibus, discrutiantur, infames fiunt, somni iacturam faciunt, & rei uel amici

Q ferinè

firmè etiam ſemper. Nõ occidam? Quantũ periculi dũ id agis, & dum egeris à legibus, ab affinibus eius qui perijt, dedecus, ſceleris cõſcientia, manes te exagitant. Nónne noluiſſe preſtat, quod non potuiſſe utile fuit? et non potuiſſe utile eſt, quod feciſſe pœnitet? Non in delicijs uiuam, non citius morieris, uoluptates ueras percipies, fucatas uehementius & exactius, magis laudabẽris, timeberis, ſuſpicieris. Nullum uitium magis cõtemptum, & morbos parit, quàm luxuria & deſidia. Sed fœnerari non licebit? aſpice quàm beati ſint fœneratores? aut quam contempti? leges interdicunt, multi nolunt exercere, etiam ſi planè ſint Epicurei. Ac nec furari potero, nec decipere. Furtis propoſita grauis eſt pœna, atq; dedecus maximum. Qui decipiunt ſi detegatur dolus, & infames efficiuntur, & pœnas iratis dominis ſæpe dant. At nónne melius longè eſt laboribus proprijs in tuto uiuere, quam ſceleribus in periculo? Deniq; ſi nulla ſpe futuri ſeculi propoſita, tot philoſophi optimum cenſent (imo etiam ipſius uoluptatis laudator Epicurus) ſecundum uirtutem uiuere? quod malũ, quæ furiæ nos exagitant? quæ amentia nos obcæcat? ut malimus nullo compendio, imò non leui iactura in perpetuo metu, & nulla ſpe uiuere, quam in perpetua ſpe ac ab omni metu ſecuri? ni dæmon aliquis improbus humanis conſilijs ſe admiſceret.

Aliud ſtultitiæ genus, ſed non ut hoc pernitioſum, uerum potius riſu dignum, reprehendere cogor. nam

in eo quem de præparatione ad mortem libro scripsit, hominem in ipso mortis agone inducit cum cacodæmone differentem, cum iam penè omnes sensus dolor obruerit, atq; ea dicentem ac respondentẽ, quæ uix Theologus nulli negocio addictus, prudens, sanusq; dicere atq; respondere norit. Atq; ea omnia meditata oratione, ac per κῶλα diuisa, ut comœdias recitantes, aut in scholis disputantes, planè imitaretur. Et ne quid tanto decori deesset, premium pietatis, & benefactorum remunerationem, & liberalitatis diuinæ insigne munus, ad sui dialogi rectam recitationem, memoriamq́ tot argumentorum ac responsionum reuocat. Parum sapienter & ridiculè si apud philosophos, parum piè si apud Theologos. Illud etiam absurdius, quòd cum admiranda proponat, persuadere nititur, cum talia uel probanda sint uel supponenda: nam probationibus sapientes, suppositis imperiti aquiescunt, persuasionibus neutri: nam rem in dubiam reuocãt, deinde à difficultate illam non explicant. Vbi ergo eò uentum sit, unde regredi posse nõ speres, quatuor hæc perficere propera, si non antea quod tuum erat prouidisti. Primum considera, an cuiquam quicquam dolo, ui, aut necessitate, ut in fœnore eripueris seu detraxeris ex existimatione; aut impedieris quo minus aliqua adeptus fuerit, id totum atq; cum fœnore ipso cumulatè illi, suisúe hæredibus restitue. Si patrem cæde, filijs, opera, utilem eripuisti, pasce filios & instrui illos tua pecunia iubebis. De-

inde ad eos qui tibi benefecerũt te cõuerte: illosq; beneficijs mutuis aut officijs, liberalius pro conditione tua remunera. Si locuples es, partem bonorũ ad extinguenda delicta diuide: Si pauperes sunt necessarij, hæredes noli ex alieno esse liberalis. Hæredem necessarium constitues, nisi omnino erga te ingratus fuit, aut qui illi succedunt pauperes admodum. & ille diues. Iniurias omnib. his remitte, qui te non ob solã læserint improbitatem: nã improbos tanquam Dei bonorum et uirtutũ osores odisse non solum licet, sed etiam par est. Prauos non propter te odisse iustitiæ pars est. Ad filios inde atq; domesticos conuersus, eos ad concordiam, ad patientiam, ad labores, ad uirtutem, ad continẽtiam, atq; prudentiam, ad educationem filiorum, & defensionem infirmioris ætatis atq; sexus hortaberis, maxime uerò ad ardentem Dei amorem. Prouidebis etiam tu, ut quam melius fieri poßit, illis consultum sit. Inde conuersus ad religionem, omnia de more facito que iussa sunt, curatoq; ut fiant diligenter. De funere ac pompa ne sis sollicitus, licet ubi cadauer tuum esse uellis uoce instituere. Demum ad Deum totus conuersus, illius immẽsitatem, bonitatem, ac beneficia in te collata recogita, nec non de his quæ aduersus bonos mores, illiusq; mandata admisisti, ueniã pete ac ingemisce: Dicens, summũ bonum, quod tibi libet de me facito, indignus enim omnino sum, ut aliquid abs te petam. Verum eo animo paratus sum, ut & si mihi liceat uel sanitati restitui, uel

æternam

æternam post obitum gloriam inter mortales consequi, aut inter sydera perpetuam beatitatem, te aliquo modo offenso non sim recepturus, atq; hæc non uerbis, sed mente statuens, ac perpetuo dictum uolens omni alia cura relicta, totum te trade, cogitatione de beata uita, patris filijq;, atq; diuini amoris, ex quorum felicitate omnium aliorum, qui sequuntur beatorum spirituum, perpetua exultatio constat, uerum de his satis, quædã alia huic negocio necessaria prosequamur. Dictum est enim non esse metuendam mortem, quod in morte non sit dolor, & tamen repentinam, in qua minorem esse dolorem docuimus, magis formidamus. Id forsan non abs re, ut in re tam contraria naturæ omnes aberremus. Vidi quendam senio confectum, qui ad fulmina uehementer expauescebat, fatebaturq;, se scire mortem non multum abesse, tamẽ hoc ipsum repente mori reformidabat, non minus, quam qui iuuenes essent. Verum ob tres causas id cõtingere reor. prima, quod repentina mors semper præsens adesse posse uidetur, at præsens malum quod imaginamur magis nos torquet. Si enim plures uideamus mori ex attonito morbo, repẽte hoc periculum præsens nobis fingimus, & cum eo mortem, atq; ideo uehementer terremur, at si ex fluxu aut morbo alio longo, primum cũ nos sanos decernamus, sanitates etiã existimamus. Oportet enim prius in morbum incidere, augeri, ac diu luctantem demum interire. Hic plurima spes est, prima ne morbo

corripiamur, secunda, ut correptis in tanto tempore, aliquod auxilium prosit, uel ex medicina, uel temporis mutatione, quemadmodum sæpe uidemus in passim uagantibus morbis, uel ex casu, uel diuina ope. Etsi etiam nihil prosit, saltem mors ipsa tam diu necessario abest, quamdiu morbus protrahitur. In uiolentioribus autem casibus non solum mensium dilatio & dierum nos solatur, sed horarum & momentorum. Vidi quandoq; addictos laqueo potum petere, non tàm quòd sitirent, quam ut uel illo exiguo momẽto uitam protraherent, alios ut uerba ad populum facere liceret. Ita in tam arduo transitu nullam dilationem aspernari solẽt. His rationibus non solum repentinam mortẽ magis timemus quam lentam, sed etiam occultos morbos magis quam notos: quoniam dum sani sumus, scimus etiã nos sanos esse, atq; ideo à notis morbis tutos, ab incognitis non ita, sed ueremur, ne quamuis eos non sentiamus, ab illis tamen simus deprehensi. Sic etiam ab exemplo sontium, si nos simus insontes, quamuis acerbissimum sit mortis genus publicum, non terremur, quia abesse hoc periculum à nobis plurimum existimamus. Itaq; cùm mortem repentinam singulis momentis instare nobis imaginemur, et præsens malum nos magis terreat, quã quod procul aut saltem longius abest, ideò repentinũ moriendi genus magis nos terret quam lentũ. Qui uerò per morbi centum genus prope mortem peruenerunt, non adeò timent, ut qui sani sunt instantem mortem, tum

tem, tum

tem tum quia magna pars ſenſus perijt, tum quia fatigati morbo, non tam optant mortem quam odere uitam, reſolutis etiam uiribus fieri non poteſt, ut ſi multũ doleant: ut quidam uehementer timeant, contingit cũ ſenſus adhuc uiget, ut de caſatis fratribus diximus. Preterea cum tàm diu reſtiterint, non putant ſe morituros & præcipuè quod uirium lapſus eſt exiguus. Secunda cauſa eſt quod mors repentina ſit formidabilis, magis lenta eſt tranſitus à uita ſimul ac ſanitate ad interitum, atq; ideò maior & periculoſior, maioreq; cum labore ac uexatione naturaliter illum cõtingere arbitramur, uelut cum turrim procul altiorem latioremq;, digito dijudicamus, tametſi æquali ſub angulo ambo hæc appareant. Natura enim nota ut ſunt æſtimat, ignota uerò plerũq; multo maiora, certè maiora ſemper. Ducit etiam exemplum ab actionibus noſtris, nã ſi gradatim per centum paſſus deſcendamus, id tutè & ſecurè agimus, ſi per uiginti ſimul, aginur præcipites. Idem oſtendit ſenſus & iudicium oculi: ſi in monte admodum excelſo, ſed acliui ſedeamus haud timemus, ſi in præcipiti loco uel turre longè humiliore mõte illo, multum timemus, uixq; ſtantibus genua ſubſiſtunt. Ideo terribilis eſt mors repentina. Antiqui etiam pro ſupplicio læſæ maieſtatis, & eorum qui prodere Rempub. uoluiſſent, tanquam grauiſsimo, ſtatuerunt ut ex alto præcipitarentur. Vnde Manliũ maieſtatis cõdemnatũ è ſaxo Tarpeio præcipitarũt, tanquã terribilia meditantib. aduer

ſum remp. terribilis mors. deberetur Aſtyanacti autē Hectoris filio hoc mortis genus poetæ affinxere, in odium patris ab Achiuis, quorum præcipuos acer Hector interemerat. Tertia cauſa eſt quod mors repētina rara ſit, rara inſueta, inſueta autem conſuetis ſunt formidoloſiora. Vnde homines magis horrent cæde mori, quam morbo, & magis à feris occidi timent, quam ab hominibus, oderunt etiam magis naufragio & ruina perire quam à feris. His ergo omnibus cauſis, quamuis repente mori minore contingat cum dolore, magis tamen horrendum eſt, quam ſenſim. Cæſar autem nō tàm repentinam mortem optauit, quam inopinatam. uerum illam propter hanc, nam quæ inopinata eſt, timeri tanquam repentina haud poteſt: ea enim quam ut repentinam formidamus, inopinata nullo modo eſſe poteſt. Quòd uerò ob id repentinam mortem quidam uereantur, quod homo ſit imparatus ad pœnitentiā, iam hoc ad Chriſtianos ſolum pertinet, non rei naturā qualitatemq; ſpectat: nec etiam ad illos pertinere multum uidetur, quandoquidem antea animo conſtanti dum ualemus, præparatos eſſe oportet, aliquibusq; operibus fidem uiuam teſtari. Nam metu mortis multa beneface re, etiam per ſanitatem nedum ægrotantem, timidi potius eſt quam pij hominis.

Cum igitur tria ſint tempora mortis, ut dictum eſt, primum in quo morbus lethalis eſſe incipit (quibuſdā enim morbus lethalis incipit, quibuſdam non, ſed uel

ſuperueniente

superueniente alio morbo, aut ex errore aßistentium, aut ægri, aut medici, uel casu aliquo lethalis fit) hoc ipsum noscere, ad solos medicos spectat, atq; etiam peritißimos, ideóq; ad paucißimos, pauci enim sunt medici, & inter hos etiam rari, qui admodum sint periti, tertium autem tempus cum animam scilicet efflant, omnes fermè etiam plebeij norũt, cum scilicet amisso iam sensu, & spiratione facta difficili, postmodum omnis sensus ac motus cessat. Nam quandoq; contingit cessare motum omnem atq; sensum, hominem tamẽ uiuere, quod in quatuor maxime casibus fieri solet, animi defectu, syncope, attonito morbo, et strangulatione, quæ à frigida materia oritur, cuiusmodi ea est, quæ accidit in aqua suffocatis, atq; Hystericis affectibus. Sed defectus animi, pulsus manens detegit, syncopim, respirationis reliquiæ, aut saltem antea nõ multum uitiata spiratio: suffocationẽ à frigida causa, causa ipsa tum ut in syncope spirationis reliquiæ, aut non antea breuis & frequens spiratio: attonitum morbum repentinus casus. Fuere etiam qui assumpto opio temperato, elati è carceribus pro mortuis ueram ementita mortem, euasere. Itaq; cum tot sint modi similes morti, in his qui antea incolumi fruũtur spiratione, ubi quis sic cõciderit, & ex mulieribus quæ grauidæ sunt, aut iam pepererunt, aut affectibus uteri uexari solent, suadeo ut non ante triduum sepeliantur, aliquas enim eousq; distulisse accepimus, antequam reuiuiscerent. Eos ergo mor-

tuos, qui ab Asclepiade atq; alijs suscitati sunt, tametsi in ipso rogo, nõ uerè mortuos fuisse crediderim: quãdo quidẽ miraculo diuino fieri oporteat, ut separata anima in homine, denuo corpori poßit coniungi. Muscarum autem forsan aut redire, aut aliã generari non tàm absurdum, sed melius est existimare etiam in illis latuisse, non subductam prorsus fuisse è corpore. Verum secundum tempus illud, in quo homines uerius moriuntur omni amisso sensu, quamuis etiam moueantur inconditis quibusdam motibus, atque respirent, multi quidem sed non adeo tot, nec tàm parua adhibita industria deprehendunt, tunc enim concuti solent ægri eo momento, atque expauescere: unde nonnullis persuasum est dæmonem malum illos uidere tum, pauent enim & alij, uocem emittunt, alij etiam surgere conantur. Cum enim subitò communis ille sensus abrumpitur, quod is cum motus origine coniunctus sit, imaginantur terribile aliquid, & ideo timẽt ac se concutiunt, forsan uerò & alia quæpiam altior causa huius est, satis hoc unum constat, ubi id superuenerit, nec sentire amplius, nec quenquam ex his restitui. Sed si sensim pereat sensus, uix hoc apparet, & non terrentur aut leuiter sanè, quibusdam autem qui firmiore sunt natura, cerebri cordisúe redit hoc malum antequam soluantur, quibusdam diutius perseuerat, ut non solo momento finiatur, plerisq; ocißimè. Quibus uerò aut redit aut perseuerat, non ultra tamen exiguam ho-

ræ partẽ perseuerare potest. Atq; ex his quæ intus morituris adueniunt, hæc sunt.

Exterius autem quædam etiam quibusdam contingere uidetur, quæ loco prodigiorum habentur. Operæ pretium igitur fuerit & de hoc sermonem habere, & an talia supeueniant, & an omnibus? Etsi aliquibus, cur his magis quàm illis? an uerò hæc naturaliter an non? Et an aliquid etiam supra naturam apparere possit? quemadmodum omnes referunt, et maximè Cicero de uictima cæsa Idibus Februarij dum Cæsar purpuram induisset quæ corde caruit. Animal enim perfectum, magnum, & eo magis quòd optima uictima fuit corde carere supra leges naturæ esse uidetur. Demùm si talia accidant, an mortem præsagiant? Itaq; ut probabilia de his, quæ obscuram habent latentemq; causam, nec satis certam historiam aut diligentius explicatam, proferam: uerisimile hoc fermè contingere circa omnes. nam si aliquibus euidentius contingit, obscurius alijs contingere eadem credendum est, præsertim quod homines non natura aut nobilitate inter se differunt, sed fortuna, uel uirtute ac uitijs. Non ergo credendum est seu hæc prodigia ab eadẽ causa, quæ interitũ approperat seu à genio proprio, seu ab his qui hæc inferiora curãt genijs seu à Deo ipso fiant, hominẽ homini iuxta fortunæ blãdientis aurã præferri, sed omniũ æqualẽ esse custodiã, aut si quid interest, amorẽ esse optimorũ, odiũ pessimorũ. Verũ homines cũ fortunatos suspicere soleant

cere ſoleant, etiam in illis ſingula tametſi fermè nullius momenti, animaduertunt. Cauſas etiam quæ grandem illam fortunam peperere, cum uehementiores ſint ueri ſimile eſt, etiã euidentiora prodigia parere atq; ſigna. Ea uerò ut libet quiſq; interpretatur, raroq; morituro rum prodigia quiſquam animaduertit, mortuorum au tem quam frequentiſsimè. Facilè enim eſt iam exactis rebus quæ uiſa fuerint, quæ ille antea egerit ſucceſſui accõmodare. At mihi quoties canes ante oſtium ulularunt? corui crocitarunt? ſtrepitus inconditi auditi ſunt? quæ dum cõtempſi, uiuo: Etſi perijſſem, non defuiſſent qui hæc inter certa prodigia mortis meæ numeraſſent. Certum tamẽ eſt inſignes uiros admodum rarò ob cauſas dictas, citra ſui interitus manifeſta ſigna interire. Dicam autẽ quod nuper mihi contigit, cum captus fuit filius meus Iohannes Baptiſta, ea die ſignum apparuit in annulari ungue dextræ manus, fuſcum & tenue ual de quod tertiam partem unguis ſuperiorẽ occupabat, paulatim autem aſcendens fiebat breuius: die quinqua geſima quæ noctem præceſsit, qua capite mulctatus eſt, cum iam ad finem perueniſſet maius longè apparuit, & adeò rubens ut flammam & ſanguinem ſuperaret. quo facto me inſcium futuri ualde exterruit. Eadem no cte Papiæ, duæ catulæ in domo mea pauones domeſticos maſculum & fœminam, quos iam diu in delitijs ha bebam, adeo diſcerpſerunt, ut ne fruſtũ inuenire licuerit, ſed omnia membra minutim ſparſa, quanquam catulæ

tulæ illæ in domo natæ essent atq; nutritæ. Huiusmodi tamen quia nos lex Christiana uetat obseruare, curare non prohibet, iã exoleuerunt non satis, ut uerè fatear, magna iactura, siue uera sint & ineuitabilia, seu falsa, frustra anxiam mentem nostram torquentibus. Illud etiam accedit, nullam faciliorem esse uiam impostoribus ad fallendum, quàm si quem his fidem habere animaduertant.

Melius igitur iam fuerit ad id quod relinquebatur redire, scilicet quonam pacto & dolorem mortis & illius expectationem lenire liceat? Cum uerò, ut dixi, mortis dolor maiore ex parte & morbi genere pendeat, oportet circa huius lenitionem uersari. quidam autem ab initio sæuiunt, quidam post, quidam in ipso sensus discessu. Ab initio quidem dolores uehementes coli nephretici, post phthoe lateralis morbus, in ipso sensus interitu febres, effluxiones sanguinis. Alij ab initio ad finem mites perseuerant, pestilens febris, attonitus morbus, diarrhæa. Itaq; Augustus in multis fœlicissimus, cum lene mortis genus optasset, ex ea extinctus est, nullo prorsus doloris edito signo, quamuis constante sensu. Cum ergo sensus partes tres sint, cogitatio, cognitio, dolor, primum & ultimum auferre oportet; secundum auferre nihil prodest: quod enim æger uideat audiatq;, solatio potius esse debet quàm mœrori aut timori. Curabimus igitur ut dolor omnis et cogitatio auferatur. Quæ igitur hæc auferũt, cicutæ potus, ut etiam

in

in Euphrate dictum est, quamuis & iuxta mortem breui momento Socratem legamus sustulisse oculos, quod cõuulsionis indicium fuit. Atq; in eo genere est opium, Mandragora, solanum, hyoscyamus, papaueris abundans esus, muris alpini caro, & columborum, crocus, malum spinosum, aqua nympheæ suauis, nux lanugine obducta, quam falso uomicam appellant, atq; alia huiusmodi: uiperarum morsum ut rem difficilem omitto. Sed dulcis uini potum haud aspernor, quo Epicurus alijq; Philosophi non insulse uitã claudere maluerunt. Et nuper Aloysius Gonzagha Patritius uir, cum desperatam salutem uideret, potu uini quod maximè optauerat extinctus est: uelut enim in somnum prolapsi absq; dolore extinguuntur. Sed hoc solum difficultatis superest, quod antequam sint deplorati, certum solet afferre ubi adhuc superest exitium, postquam fuerint non meminerunt, aut iam deploratos se esse non existimant. Referebat Gualielmus Postellus amicus noster grauatos multo croci pondere uiatores, ubi sudassent et quieuissent in uia dulci somno corripi, atq; prorsus sine dolore in ipso eodem expirare.

Ergo cum sex sint quæ ad mortis tractationẽ pertinent, ut sine dolore sit, ut non sit timenda, ut eam leniamus, ut utilitatã ex ea capiamus, ut gloriosa sit, ut persuadeamus fortiter ferẽdam: ultima uerò hæc duo inutilia sunt, tria uerò prima docuerimus, reliquũ est ut de mortis utilitate agamus. Sed prius quod propositũ est explicemus,

explicemus, scilicet nihil referre quomodo quis moriatur, fortiter scilicet aut ignauiter, gloriosè aut turpiter pulchrè aut fœdè, modo nõ crudeliter et magno cũ cruciatu. Itẽ nil pariter referre an quis fortiter expectet illã, aut perpetuo deploret illius aduentum, modo dolor par sit in cogitatione, atq; idẽ metus. Quod enim mortẽ gloriosam esse uelit? quid ad nos, si tũc et post perpetuo sensu simus cituri? at gloriosa res est? nugaris etiã si ea gloria ad nos pertinere posset. Toties nobis Catonẽ inculcas, quod fortius mortẽ oppetiere? quorũ nec nomẽ nec memoria ulla extat? stultũ est credere, Catonẽ ob mortẽ esse celebrẽ, quæ illi cum multis cõmunis fuit, propter uitã quæ singularis fuit exẽpli, non coli illius memoriã. Vir cõtinens, innocens, incorruptus, fortis, reipub. amator, iustus, prudens, magnanimus, uitiorũ osor. Incidit præterea in tempora bellorũ ciuiliũ, in reip. euersionẽ, inimicus eius remp. occupauit, & quã rempub. orbis dominã: in ætatẽ florentissimã. Hic pessimus uir nihil tot uirtutibus, quarũ ipse expers erat (fœnerator, auarus, raptor, malignus, inuidus, ambitiosissimus, imperitissimus, et quod deterius erat, bonarũ omniũ artiũ hostis) tribuit, sed morti stultæ & impatiẽtiæ doloris. In qua inimici potius quã tyrãni rationẽ habère uisus est: nã si tyrannidẽ odio habuit, cur secutus est Pompeiũ totius mali primũ authorem? deinde cur non experiri maluit clementiam tyranni cum spe iuuandæ reipub. quam illam ex toto deserere? Quæ gloria est

semetipsum

semetipsum occidere si tàm facile? aut si adeò gloriosa est hæc res?cur nō ardua nec omnino facilis? Rectè mihi, inquam, Theologi nostri dicere uidentur, dæmonibus malis non esse obsequendum, etiamsi pia suadeant, ita nec Senecæ credēdum est, etiam si uera persuadeat. En quis author scripsit de Ira, Clementia, Prouidentia Dei, Beata uita, de Beneficentia, de tranquillitate, Demum, quod omnium est ridiculosißimum, de uitæ institutione tot Epistolas, ubi(si librum de paupertate illius esse neges)paupertatis laudes præcinit. Quis ferat Claudium de prudentia, Neronem de Clementia, Nomentanum aut Vitellium de frugalitate, disserentē? Nō ne hic præcepta sanctæ philosophiæ irridere, non docere uoluisse uisus est? sed hunc omittamus, si gloriam ex morte queris, & illustre sepulchrum diuturniorem & maiorem præstabit. Et tum illam contemnit, cur hanc tantū desyderat? In uirtute reposita est hæc, illa in opibus & profusione, nil agis, quæ uirtus est semetipsum occidere? si ob calamitates, nónne te docuit Aristoteles mollitiem esse? si ob iniuriam, cur illum qui tibi intulit eam, uel inferre meditatur, potius quam temetipsum non occidis? Ergo iam pars una inutilis est. Fortitudinem laudas, non addis auxilium? quis ignorat omnino hoc amarum catapotium esse deuorandum? utcunq; ducas mortem, tibi nihil prodest, sed si perpetuò formides, unico iam carmine te monet Poëta:

Dum mortem metuis amittis gaudia uitæ.

Et dum

Et dum timemus mortē, ipſo timore ad illam magis accedimus, adeò ut quidam ob mortis inanem metum mortui ſint. An uerò in ipſo extremo agone, aliquid aut multum referat ſolatium parentum, affinium, filiorum uindictæ, ſpei quanquam breui? uidetur ſanè Epicurus in epiſtola teſtari & philoſophus, dum fortium uirorum mortem refert. Et lex noſtra quæ morituris cōſolatores adhibet. Virgilius quoq; id inſinuat dicēs:

Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem
Aeneæ magni dextra cadis.

Breuitas etiam uitæ noſtræ id admittere uidetur, cū temporis pūctum fœlix pro tota uita ſit. At è diuerſo ſi labitur quid prodeſt?, ſi nihil ſupereſt, ubi gaudium, ſi ſupereſt? quota pars in eo puncto? Itaq; hæc quæſtio altior eſt quam ut hic finiri poſsit tāquam paucis. Opinione igitur hominum id conſtat. Sed ad Senecam redeo: narrat omnibus nota, ſed magno ſupercilio, non eſt inquit uita fugienda, ut nec mors? De uita haud dubium eſt, de morte ſi poſsim honeſtè, malè docet: ſi non poſſum, fruſtra: ſi turpiter, iam alij multo grauioribus ſententijs atq; argumentis, philoſophi docuere plures ipſo experimento, ſua doctrina non indigemus, nil decet, nil diſtinguit, nullius dicti firmas rationes affert. Non decet inquit, adeò eſſe generoſum, ut uitam contemnas, adeò ignauum ut illa te grauetur. Ad inſanos ſi hæc dicantur parum proficient, ſapiens his præceptis adeò abſurdis, non indiget. Sed quorſum hæc tanta? Vo

lebat uir fortis uideri & tamē uiuere: diuitiarum contē ptor, sed illas retinere, imò etiam cum essent immensæ, & quas, ut ipse Neroni fassus est, ferre non posset, augebat, uolebat sanctus non solum sed & philosophus è Stoa existimari, et omnib. cupiditatibus indulgere, quare hoc monstrum horrendum, omnium improborū hominum exēplar dimittamus. Deuenire oportet ad principale institutum, quod ab initio tanquam primū propositū est, hic ultimo loco postulat absolui, scilicet quid ex morte mortisq; timore boni consequi liceat? Primū igitur hominem admonet, ut omnia parata ad discessū uelut longißimū iter ingressuro habeat. Prospiciat successoribus, uitijs omnib. maledicat, acceleret peragēda, piè, sanctè, religiosè uiuat. Explicabit inuoluta, delebit ineptiarum testimonia, omniū aliorū malorū, paupertatis, orbitatis, iniuriarū, ut maximū expectans, obliuiscetur, atq; ea cōtēnet. Vt dānatus ad triremes cum submersionis instat periculū. Humanior fiet, suos oēs charius amplexabitur, ut nūquā amplius eos reuisurus. Itaq; mortis memoria omnib. utilis esse uidetur: sceleratis & impijs ut à uitijs se retrahāt, infelicib. ut sciant se ab ærūnis liberari: Probis ut premia expectata recipere sperēt, aut saltē nō inferiore loco esse: sapiētib. quòd cognoscant fortunæ bona uirtute esse longè inferiora: beatis ut moderatè atq; magis secūdū uirtutē occasione utātur. Vt quisq; igitur erit affectus, ita opportunè utilitatem suā excipiet ex mortis meditatione. Achillinus

aūt

aũt,ut erat philoſophus Peripateticus, dicebat ſe uiſurum ut res ſe haberet. Finẽ huic argumẽto impoſiturus, eram, ſed duo dubia prius abſoluere decreui, unũ ſcilicet, quod iã propoſitũ eſt tanquã à philoſopho, ſcilicet an à morte aliquid premij uel pœnæ ſperãdũ ſit: alterũ an mors in felicitate maxima, an maxima calamitate grauior ſit: ut uerò primũ expediã, Deũ nõ curare fabulas, puerilia, nugas, ſcõmata nec cognoſcere, haud dubiũ eſt, talia.n. nõ ſunt, et perabſurda: ita nec ſaltus nec luſus, quæ omnia etiã è noſtra memoria breui euaneſcũt et obliterãtur. nõ igitur nec facta dictaúe aut hominũ cogitationes curabit, nã paruo poſt tẽpore imago illorũ apud nos uix ſupereſt, minoriſq; habetur & inanior puerilib. præſentib. fabulis ac luſib. hæc enim nõ ex toto, quẽadmodũ illa iã apud homines obliterata ſũt. Quãobrẽ premia, imò nõ premia ſed beatã uitã ſolũ quidã propoſuerunt, pœnas aũt nullas. Iure meritò igitur credẽdum eſt, quod ſciri non poteſt. Et maior his qui ſupra naturã lumẽ ſequũtur, quã rõnib. leuib. fides habẽda eſt, præſertim quod quæ à naturalib. tradũtur uelut in cæleſtib. orbib. homo centricis nõ omnibus experimẽtis ſatisfaciat, bene igitur ſperãdũ eſt. Tã miſeris quã his qui ex hac uita beati diſcedũt. Nã in eo magnum eſt diſcrimen, bene aut male ſperare, mori aũt felicẽ aũt infelicem non tantum refert: nam quod ad ſe attinet infelix feliciter, felix aũt infeliciter moritur, quod ad ſuos aũt ſpectat è cõtra. Simpliciter aũt

orbis felicibus infelicior est mors, filios autem relinquentibus felicibus felicior. Claudere decreueram hãc tractationem, sed recordatus olim dũ iunior essem carmina quædam in mortis laudem exarasse, diu dubitaui an ea hic adijcerem, cui tàm acerbæ commemorationi ludicra non conuenire existimarem, imò potius me cum dixi, tàm tristis narratio aliquo ioco dulcescere debet: accipe igitur iuuentutis ineptias, ne quid mihi pereat.

Perpetuæ nemo timeat silentia mortis
Nulla tuam post hæc uexabit cura quietem.
Dulcibus æternis produces tempora somnis.
Candida florenti fulgebunt lilia prato,
Securus cæli tempestatumq; ruinas
Et maris & sæui tam formidata tyranni
Imperia, & fastus fugies tetrosq; dolores.
Cum cinis umbrosa iaceat mollißimus arca.

DE CAECITATE.


Roxima morti calamitas est cæcum esse, seu natus sis, seu casu aliquo factus. Vtrũ horum grauius sit non facile explicauerim, ille delicias nõ sensit, hic memor esse potest eorũ quæ uiderit, ille optare potest se uel semel, orbem, cælum, solem, sydera, prataq; florentia, maria, montes, domos, picturasq; spectasse: hic cum uiderit nouit quanta uoluptate quantisq; commodis priuatus sit.

Ergo ille causam certã maioris doloris habet, hic uerò magis dolet cum nouerit quæ amiserit. si enim recta rãtiõe æstimare res uelimus, præterita felicitas sola quòd secura sit maximam affert uoluptatem: si peruersa hominum ingenia, nihil durius aut grauius quã posse dicere, habui, non dicere posse habeo. Ita diuersis sub iudicibus res æstimanda erit. Itaq; uisus ob id charissimus est, quod plura nobis ostendat & maxima, & maximè opportuna usib. uitæ nostræ, ac maximè procul in quibus omnibus cum alios omnes sensus præcedat, merito omnibus alijs etiam præferri solet. Orbatos uno oculo cæcos non licet appellare. Pertinetq; hoc calamitatis genus ad deformitatem potius quam ἀναισθησίαν: nec impedimento fuit Philippo Macedonum regi aut Annibali, quo minus fortia facta gererent oculo uno amisso quam antea. Horatio quoq; Romano dum pontem tuetur, excussus oculus cælitis agnomen addidit ad gloriam, aut si iam antea, nam quidam solum ea pugna trabea coxam fuisse illi transfixam affirmãt, nihil obfuit ad tantam laudem consequendam. Sed hæc mittamus, cæcorum uera solatia quæramus. Non ego Homeri, si non fabulosam, incertam saltem cæcitatem in medium ad defensionem afferam: rhetoris enim hoc non philosophi officium potius est, nec uera docẽtis utilitatis gratia, sed persuadere conãtis, ac fallere uolẽtis ambitionis aut contentionis studio. At nec Appij Claudij senis adeò laudatam fortitudinem consiliumq; prudẽs.

Primum quod nõ omnib. cæcis senatorẽ Romanum, et Pyrri ætate esse contingit. Deinde quod fortitudo illa in sene cæcoq; ac togato, qui aliena ciuium corpora non suum periculo exponebat, potius inuidia aut desperatio quam fortitudo merebatur appellari. De consilij prudentia facile est laudare, quod bene cessit, sed si quis periculi magnitudinem & raram uirtutem ducum euentusq; prodigiosos, uelut illud medici qui Pyrrhum occidere ueneno pollicebatur, Consulis uerò Romani constantiam, quibus magis quam armis uictus Pyrrhus, tum calamitate sociorum in Græciam rediijt, æstimare uelit insanum potius aut saltem temerarium Appij consilium, quam forte uel prudens appellare malit. Sed non sunt huiusmodi rationes à casibus ab unius fortuna summendæ, sed ab ipsarum rerum ordine, magnitudine, dignitate. Cæcus est, ablata est uis uidendi, relicta ratio ac cogitatio cum alijs sensibus. Non dicã quod qui solãtur dicere solent, habet & nox delicias suas, habet sane habeatq; quis nescit? sed suillas, ueneris usum atque ciborum. Sed nec in his quicquam perfectum esse potest oculis ademptis. Maxima uoluptatis pars in uenere est forma patientis, aliter à Diogeniano scortillo parum abest, quomodo ergo sine oculis spectabis formosa sit an deformis mulier? Quis sustineat fœdæ anui, leprosæ ac tuberibus ulceribusq; scatenti congredi? nec uelit potius ipsum semen sponte per somnium diffluere? Quid ergo argutis uerbis opus

est, so-

est solari cæcum, cui minus hac in causa quam ulla alia relictum est? Ergo ad solida argumenta, ad rectam uitam redeamus, solemurq; nõ solum cæcum hunc, sed etiã adiuuemus, peculiariq; aliquo antidoto, ex ipsius infortunij occasione sumpto, curemus tristitiam, auxiliemur illi. Id unde sumemus? certè non alia ex parte quã ea, qua qui cæci sunt alijs præstare solent. Est aũt mens, auditus, tactúsque perfectio. His enim tribus qui cæci sunt maxime natura alijs hominibus præstare cõsueuere. Id etiã poëta ille de mente insinuauit cũ dixit:

Obruit ora Deus totamq; in pectore lucem
Condidit.

De Tyresia ni fallor loquens. De tactu autem uidemus cæcos dignoscere nummos tactu, quod nemini ex his qui uident concessum est. At de auditu quemadmodum & de mente ac tactu dictũ est, idem experimentũ eadẽq; ratio docet. Cũ enim in cæcis magna multitudo spirituũ, his qui uidẽt per neruos obticos, quorũ maximè proculdubio cauitas est, deferri solita seruetur ad aliorũ sensuũ auxilium, tum memoriæ ac rationis imaginãdiq; functionẽ, ipso etiã uisu sublato minus mens alijq; sensus distrahantur: adeò ut uel hac præcipua causa multo melius discamus à somno, & sensuum functionibus perfectius utamur, tum uerò ex quadam consuetudine, quoniam uisui fidere non possumus, magis intenti operibus, mente ac reliquis sensibus firmius incumbant. Ideo his tribus causis etiam alijs omnibus

in actionibus quæ ad cognitionem pertinent, hi uidentibus longè præstare solent. Quo fit ut non absurdum esse existimem credere, quòd affirmare cõsueuit Homerum cæcum fuisse. Etenim & hoc id suadet quòd multi in disciplinis egregij uiri, tametsi non penitus cæci fuerant, uisu tamen minus quam alij communiter ualuerunt. Homerum cæcum etsi non existimem fuisse, non enim regionum, locorum, rerum tam exactam notitiã tradere potuisset: parum tamen uidisse & imbecillem oculis fuisse crediderim, inde ex hoc cæcum dictum, quòd procul minimè uideret. Quod uerò de se ipso dixerit

τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δ' ἐχίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.

Non adeò credulus sum aut stultus, ut opiner cæcũ & mendicum eum fuisse, sed illi potius ab Herodoto mendacißimo Græcorum ascriptum: quanquam si hæc ita essent, non parum causæ meæ fauere non ignorem. Ergo ad argumentum institutum redeamus: Qui cæci sunt plurimum tactu, auditu, et memoria ualent. Ob id orantem quendam æmuli cum euertere uellent, aduersus solis radios suggestũ collocarũt, quo ille miser oblitus repente est omnium, qui aliàs Cinea memoria recitare solitus erat. Omitto nunc Didymum Alexandrinũ qui ad arcana diuina cæcus natus peruenit: & quod maius est, etiã geometrica sciuit, singula quomodo assequi optimè liceat prosequamur, & quid in unoquoq; genere præstet cæcitas, quod ab alijs haberi nõ poßit, ostendamus.

ostendamus. Ferrariensis cæcus qui duorũ fermè magnorũ auri talẽtorum in singulos annos, ut audiui, ex diuina organa pulsandi arte stipendium meruit eo pro fecerat, ut cum Petrum bonum consulto malè cheli pul santem audisset, rogarit ut chelim illam è manibus qui cunq; esset is auferret, ubi eum mutato consilio artis suæ excellentiam declarantem animaduertit, admiratus primum ac parum subsistens, eruperit in hanc uocẽ, hic Petrus bonus est. Quasi & quod nemini eo pro fecisse concessum esset, & ipso quod maximum esset intelligeret, uno testimonio incomparabilẽ, in utroq; artis peritiam declarauit, & in Petro exercendi & in seipso iudicandi. Cneus quoq; Aufidius Iurisconsultus & senator ægregius, quamuis cæcus Græcam historiam scripsit. Et Diodorus etiam Pythagoreus præter philosophiam Geometra euasit, idem etiam fidibus pulsabat. Atq; ægregriè omnia. Quid igitur obest quin exemplo lippi Florentini, qui cum cæcus factus esset ex morbo, philosophiæ ac rhetoricæ auditoria frequẽtabat, tu quoq; studijs liberalibus diligentiam adhibeas ingenio melior, memoria firmior, nullis interim officijs occupatus, nullis distractus causis, mirum in modũ proficere poteris. Memini etiam me legisse, Caiũ Drusum Iurisconsultum cum sibi oculis non posset prospicere ad uincendum causas, alios consilio mirum in modum adiuuisse. Verum dices, proficiam inquam, tamen magno labore, nec secius uidebo: O stulte, an melius est

non uidere & rectè sapere, quam non rectè sapientem bene oculis prospicere? Nónne hominis propriũ est scire, ipsa eruditio, oculis aũt uidere cũ omnib. fermè animalibus commune? Quæ semel uidisti si uideas iterum quid prodest? aut iterum uidendo in quo proficere potes? aut in quo belluis esse melior? at si exactius intelliges quantum prodest? quanto melior teipso euades? ultra progredi nunquam uetaberis, augere sapientiam & longè plura scire quam scieris, nihil in eo commune cum belluis. Discere non potes, ludere alea ni insanias quod quam pernitiosum fuerit multis luce ipsa clarius est, & quam dici postulet. Ergo studijs deditus tot & tanta unius pueri auxilio discere poteris, ut animam quoddam efficias splendidum iubar. Quid iuuat oculis uidere mortalia, si mente immortalia intueri licet? oculis cernimus multa quæ placent, sed etiam quæ displicent plura, at mente solum pulchra & iucunda. Si tantum esset in oculis utilitatis & gratiæ, nemo sibi sponte oculos effodisset, ut Democritum ferunt. Sed sit id uanitatis exemplum, aut certè uanum, quis non malit sapientißimus esse quam oculatißimus? sed fac ut etiam tibi condonem, melius esse mediocriter sapientem & oculis prospicere, quam cæcum & sapientißimum, nónne tamen melius est in hac calamitate scire beneficio hoc uti quam nullo? Certè id non consului, ut adipiscendæ maioris doctrinæ causa temetipsum excæcares aut filios, sed postquam

quam fortuna in eam te calamitatem coniecisset, occasione uti scires. Sed iam ad secundam utilitatem trãseamus, quid est cur si in musica adeò profeceris ut oculos desyderes? nescio quantum alijs id persuadere possim, certè ego in harmonia longè maiorem uoluptatẽ percipio quam in læto quouis aspectu. Quid est quod philosophi, maximè Academici, harmoniã finxere animã esse nostrã? motusq́; cœlestes ad symphoniã tẽperari? non ad aspectũ aut colorem uel lucẽ? certè quod dulcius nihil, nihil iucũdius, nihilq́; ea sit diuinius. Cur ergo non anniteris ut hanc perfectißimã exertißimamq́; semper tecũ habere poßis? tibi ipsi iucundus, alijs omnibus uoluptati et admirationi? Sed dices, quia in re ex tactu proficiam? Nõ alia nunc mihi succurrit, quam in admiranda illa pulsuũ cognitione, ut poßis summũ artis medicæ culmen attingere. Quòd si obijcias pro cæteris signis, deesse auxilium oculorum respõdemus, unius signi exactam notitiã multis imperfectis lõge præstare. Omitto nunc, quod cæcis nõ tam grauis est mors, tum maximè quòd uelut beluæ non nisi ipsæ morientes mortẽ agnoscãt. Cosmasq́; Medices moribũdus cũ clausißet oculos, cur ita faceret interroganti respondit, ut assuescant, magna enim pars doloris mortis est imaginari tenebras illas. Deniq; cæcis pleraq; sunt iucundiora, & maximè filij uelut etiam senibus, quod in his sentiãt restitutum quod ipsis deficit.

DE SVR-

DE SVRDITATE.



Vrditas aliud malum est cæcitati cõpar. Sæpeq; dubitatum est quis horum morborum sit deterior? nam oculis captus, ut dixi, similior est morti, et solus incedere uix audet aut potest, at surdus ab hominum conuersatione, quæ res dulcißima est, seiungitur. Sunt autem surdorum tria genera: quoddam à natiuitate originem ducẽs, at de hoc nũc agere propositũ non est, sunt enim hi etiam omnes muti, cum enim discamus audiendo loqui, qui audire non possunt, nec loqui etiam. Alij postquam orti sunt, surdi fiunt, sed antequam loqui discãt, atq; hi pari conditione muti euadunt, ut nõ sint à prioribus dißimiles: quamobrem & sub uno genere atque tractatione continentur. Duorum reliquorum unum loqui prius didicit, alterum etiam scribere: atq; de his sermonem nũc habere instituimus. Qui igitur iam scribere didicerunt, etiam conuersari cum hominibus possunt. In his ergo magna utilitas & uoluptas, paruus dolor ac minor iactura, legendo enim omnium præteritorum mentem assequi, tum prudentiam atq; scientiam licet, quam si potentiam minorem esse existimas, non parum falleris. Nec cogeris tot audire importunè dicta, inaniter, ineptè, superflueq;. Vides in antiquorum libris omnia quæcunq; possederunt bona, malorum & uitiorum nihil: præterquam in Seneca, qui adeò insolens fuit,

lens fuit, ut nec uitia quæ haberet ſcribendo depoſuerit. In reliquis omnibus medullam totam aſſequeris ingeniorum, corticis et tegminis ac quiſquiliarum nihil, paruoq́; temporis ſpatio quæ illi multorum annorum labore collegerunt, uidere atq; aſſequi potes. Illud etiã lucri facies optimè, ut cum ineptiarum nihil audias, oratio tua pura ab illis etiam te nolente futura ſit. Etenim ut qui ſoli Ciceroni operam dant, non niſi ciceroniana lingua loqui ac ſcribere didicerũt, ita ſi nunquã ineptias audias, ut ineptè ſcribas uix fieri poteſt. Solemus enim dicere, corrumpunt bonos mores colloquia mala: imò magis ſermonem noſtrum inficiunt. Quid aliud nobis Homerica illa fabella Syrenũ, Vlyßisq́; ac ſociorum aures obturantium ſignificatur? quam præſtare ut multis aures non præbeamus? Quibusnam? pluribus ſanè quam hi ſint quibus præbere utile ſit. Adulatoribus primum inſidiãtibus, improbis, ſcurris, impijs, ſtultis, amaſijs, atq; his qui perturbatione animi aliqua detinentur, uelut iratis, inuidis, mœrentibus, auaris, timidis, amantibus, iniuria laceßitis. At uide quota pars hominum ab his omnibus reliqua ſit. Itaq; undiq; Sirenes inuenias licet. His qui tibi conſulant rectè neceſſe eſt ut tria adſint, ſint amici, ſint prudentes, res tuas apprime norint: ſecus melius eſt quenquam non conſulere ſed ſemetipſum. Sermones inepti tempus ſurripiunt, audiendis inutilibus homines aſſuefaciunt, & noſtras actiones interuertunt, ac nos ineptè loqui docent. Si di-

ues eſſem

ues esse surdus hac conditione esse cuperem. nõ credis? cur? saltem impia uerba, turpia, sceleratáq; non audirem: non cogerer tempus ineptijs audiendis terere, quas si non audias, morosus & fastidiosus haberis. Talia sunt hominum ingenia. At adhuc non credis? nunc nunc faciam ut credas. Dic sodes cur sancti uiri illi, Antonius, Hilarion, Hieronymus, totq; alij in solitudinem se transtulerint, nisi ut hominum sermones non audirent? Tanti fecerunt hoc commodum, ut plurium commodorum quæ ex conuersatione hominum habentur, obliuiscerentur, aut ea ob hoc unum contemnerent. At qui surdes est eo incommodo caret, nec indiget pane, igne, casula, nec feris se exponit. Cur igitur non existimas me si diues essem (nam sic auditu indigeo ut familiam alere poßim) me non malle surdum esse quàm tot inutilibus sermonibus cogi ut operam dem? at non poteris resalutare salutantes? & pro salutatione maledicentes deprehendere? Agam ut surdaster ille, qui cum labia mouere obuios ac sibi cognitos animaduertebat, sic resalutabat: Et uobis etiã. Itaq; si illi dixerant, bene tibi sit, cõueniebat responsum: si pereas, aut carcinoma ut eueniat tibi opto, non minus responsum cõgruebat. Sed iocis omissis, inquis, expers eris eius quã adeo laudabas musicæ? Sit sanè: nullum egregium bonum inter mortales absq; aliquo leui saltem malo. Sed malo sic mihi uiuere hominum conuersationem auersantem, & musicæ uolupta-

tis

tis non expertem, quàm absurdescere etiamsi diues essem. Verum ea dixi ut ostenderē minimam esse huius surditatis iacturam. Sæpius enim testatus sum me hoc in opere neminem hortari, ut mala perpeti aut quærere uelit, sed si eueniant docere quàm leuia sint, aut leuiter ferri poßint, atq; ex illis utilitatem colligere liceat. Nil mirum igitur huius mali pauca inueniri exempla, quoniam adeo leue sit, ut inter admiranda aut difficilia referri non mereatur. Cicero dum simul maxima mala enumeraret in Quinto Tusculan. Quæstionum, surditatis haud meminit: idem paulo post cum surditatem commemoraret, unius Marci Crassi nec surdi planè, sed surdastri mentionem facit. Testimonium Ciceronis libenter affero, Senecæ refugio, hic enim uirtutem laudat, uitiose uiuit, Stoicum se profitetur, Epicurum amplectitur, eruditus uult uideri, naturalesq; quæstiones tàm temere quàm insulse scribere ausus est, eruditionem non uno loco & scientiam rerum detestatur, in ipsos eruditos malignè inuehitur, deniq; in ea quam unicè profitebatur eloquentia, nec casus, nec eruditus, nec felix: impietatis & mortalitatis animorum author egregius. At Cicero culmen eloquentiæ, quem etiam qui accusant laudant, omnibus eruditis fauit, omnes Philosophos præsentes fouit, mortuos collaudauit, ad uirtutem omnes hortatur, pietatis & immortalitatis animorum prædicator: Epicuri improbum dogma insectatus est, facun-

dius,

dius, an uerius, an subtilius singula tradat, incertum est Reipub. quam tuebatur, in qua erat educatus fidelior quam prudens densensor: uni iracundiæ satis. Reipub. id postulantibus nimium indulgens, uitam tamen professioni similem habuit: locupletatus testamentis amicorum quos officijs sibi deuinxerat, & aßidua orandi opera. At ille fænore impudico, tyranniq; spolijs. Sed uereor ne si manes Ciceronis nunc hæc audiant, indignius ferant se tam nefario homini comparari, quam gaudeant his laudibus nostris, quæ illius gloria ac uirtute factisq; longè sint inferiores. Verum ad institutum redeo, argumentisq; ipsius Ciceronis utar. Claudo autē ut Tusculanas illius quæstiones, non minus prudentes quam fortes his ipsis quæ nunc disserimus, adiungas, quid si apud barbaros & aliena lingua utentes uiueres? nónne apud omnes illos surdus esses? & tamen liceret feliciter uiuere? Cum apud Scotos essem neminem intelligebam, nec illi me (quod etiam extra aleam est, nam surdum loquentem cæteri intelligere solent) & tū feliciter interim, imo felicius solito, quandoquidem nacta occasione mihi ipsi uiuebam. At latino sermone intelligebaris & intelligebas? Et surdo non desunt, ut dixi, scripta quibus & intelligat & intelligatur à pluribus. Sed dices omnia ad studia literarum & sapientiæ traducis? quid si faber surdus sit? nunquid et illū ad philosophiæ disputationes atq; arcana traduces? minimè, quid ergo facies? Hic Vitruuij, Neronis, Athenæiq; dicta scru-

cta scrutabitur, succos, pulueresq; ac illorum potentiã experietur & condiscet, aliquidq; indies arti addet. Semper est quo proficere possis, modo musicum surdũ non proponas. Verum si antequam legere ac scribere didicerit, surdus efficiatur, quid agere illum miserum oportebit? crimen est, cum deceat simul & loqui discere, & scribere, & legere. At parentum sit hoc crimen? quid modo faciẽdum? scribere ac legere ut discat oportet, id enim licet uelut & cæco, quod aliàs ut liceret facere docuimus. Ardua est res, sed tamen quã etiam natus surdus efficere possit. In arduis magna utilitas, maior gloria & laus est, si tamen hoc non assequaris. non enim omnibus datum est adire Corinthum, nec præceptis his indiges aut iuuari potes, quorsum igitur hæc scribere? scribamus autem non tanquam discenda, sed uelut possint sponte illis in mentem uenire. Loqui didiceras? rogare potes ut tibi quæ sunt circa artes arcana commõstrent. Sunt autem, ut dixi, in singulis plurima. Signis non secus ac uerbis cõmonstrare licet. Constat sanè Romæ Mimos fuisse, qui gestu barbaro regi ita omnia exprimerent, ut & ille sermonis ignarus, fabulam totam intellexerit, & pro maximo munere, cum duos ex his petijsset ab Imperatore, acceptos habuerit. Sed et quemadmodũ olim literis hieroglyphicis res ipsas citra sonum uocis & scripta repræsentare licet. Deniq; nónne tota infantia surdi ac muti sumus (ut iam de primo surditatis genere, quo ab ortu contingit aut paulo

post loquar) & minus etiam sensibus, robore ac mente ualemus? & tamen tunc nullus est infelix eo ipso, & artes unusquisq; proprias discit. Deum itaq; uenerantur & colunt, muti, surdiq;, & cum mentis sint participes, nil prohibet ut in artibus elegantiora et politiora opera perficiant, & sibi ipsi magis uiuant, omnibus ob morum elegantiam maiore sint in admiratione. Memini me quosdam surdos ac mutos nouisse, qui cum principibus alijsq; proceribus inseruirent, eisdem erant grati, minusq; turbæ ab illis excitabatur in aula, minus & ipsi ab alijs infestabantur. In uniuersum cui mens non deest, eidem nihil magnum, & quod mentis auxilio reparari non queat, deesse posse uidetur.

DE MVTIS.



Ed si mutus solum homo sit non autem surdus? hui quam illi parum perijt. Vix ulli sermo uitam seruauit, innumeris ademit. Solis sapientibus ac prudentibus ac post longam meditationem oratio utilis est, aut uide quam pauci sint sapientes simul ac prudentes? & quam raro homo quantum necesse sit cogitet quæ dicturus est? nónne adagij illius meministi? locutum fuisse sæpius nocuit, tacuisse nunquam. Contendat aliquis adagium non rectè uocari? modo uerißimum sit, uincat. Adde quod etsi pares essent numero boni ac

ni ac mali exitus, qui ex ſermone ortum habent, multo tamen maiora mala ex uerbis perperam editis proueniunt, quam bona. Vnico uerbo multi ſibi exitium, multi exilium, paupertatem, carcerem, & uincula, iram principis, ſtultitiæ opinionem, alij inſcitiæ, alij impietatis, uel impudicitiæ, uel ſcelesti, pepererunt. At uide quæ his bona æquare poßis? Etſi contingat opes uel ſemel, aut eruditionis opinionem ex uerbis acquirere, uideas quot uerbis opus ſit? ac quoties repetitis ſententijs, uerbis autem mutatis, aut etiam ſententijs ac uerbis? Quis unquam uerbo ſibi parauit amicum? niſi forſan qui uerbo illo uilior ſit. At quoties capitalem uno uerbo parere contigit inimicum? Nihil inquit tutius mutitate, ſi id dicere conceſſum eſſet, ἀφωνίαν dicamus ea lingua cui nihil dicere non eſt conceſſum, atque huic ſilentium proximum eſt adeô laudatum. Sed poſtquam ſilentium tam pauci ſeruare nouerunt, melius eſt mutum eſſe omnibus his, quibus uita ſermone non conſtat, uelut concionatoribus, tubicinibus, profeſſoribus, ſalgamarijs, quam non. Equidem quot fide iubendo pro alijs bonis exuti ſunt? quot impræmeditato reſponſo donarunt? mutuo dederunt, aut polliciti ſunt, quæ poſtea dum ſeruare uellent, in maximas calamitates inciderunt? Quare Areopagitas non alio titulo honeſtarunt quam taciturnitatis? Quare Pythagoras quinquenale ſilen

tium omnibus suis discipulis præcepit? nisi ut intelligeremus, nihil esse nocentius lingua. Ex his qui priuatis odijs trucidantur, (ut eos excipiam qui in acie cadunt) pars uix quarta aliam ob causam quam ob uerba imprudēter effutita perit. Quãobrē ne doleas si erepta tibi sit occasio tot periculorũ atq; malorũ. Cæterũ ut de utilitate agam, cum homines uniuersi tribus temporibus contineantur, præterito, futuro atq; præsenti, qui proculdubio pauciores sunt, cum præteritis legendo, cum futuris scribendo, cum præsentibus loquendo, atq; audiendo uersaris poteris. At cum auditu non sit destitutus, atq; præsentes paucißimi sint, licet intelligere minimam factam ex ἀφωνίας iacturam, quam etiã scribēdo sarcies. At scribere tam multa laboriosum est? ideò quia laboriosum, pauca scribas. Nónne Lacones hoc ipso celebrabantur ab omnibus, quòd breuiloqui essent? sed & nutu ac gestu, quemadmodum dixi, omnia significare potes. Esse ἀφωνίαν rem leuem ac facilem indicat, quòd multi silentium perpetuum aut sibi imperarunt, aut finxerunt. Interim uerò hac erepta occasione tot modis tamq; pernitiosè peccandi, studebis & quod tibi ex hoc commodi deesse existimas, & temporis lucri fecisse, ita tēperare, ut præstet mutũ fuisse quam eloquentißimum. Desunt tibi semina tempus terendi, discordiarum, atq; malorum omnium. Cura igitur ut occasione utaris. Si eruditus es, lege, scribe, si artifex, disce, animum instrue, ingenium acue, expoli fabrefacta.

erefacta. Neminem susurro aut murmure in suspitionē trahes. Succedit his malis (qui mala esse putant) obliuio. De hac memoria pleriq; conqueruntur, quod nec Cyri aut Mithridatis uel Cineæ habeant. at contra Themistocles querebatur, quod multorum non posset obliuisci. Hac ego præstanti dote ornatus, ne quid ad ærumnarum cumulum deesset, fui præsertim conscripturo tot libros, publicè professuro, artem exercitaturo, quæ memorem maximè hominē expostulet. Negant hoc alii qui, mussant alij, multi sunt qui nec iuranti sint credituri, & tamen ita est, ubi enim ephæbiam excessi, duas lineas ni numeroso pede alligarentur, tribus uix diebus memoria mandare ualui, sed nec facile quatuor aut ad summum sex carmina. Nunquid hoc me deterruit latine linguæ ignarum, ut qui dimidio unius diei tantum ludum literarium adierim, pauperē, ægrum? minimè, sed artificium inueni quo non solum ad profitendum, ad studia, ad exercitationem artis, sed etiam ad libros conscribendos plus omni natiua memoria contulit. Quid ego aliud dicam quam quod Epictetus? Claudus natus sum, seruus & pauper, dijs tamen gratus? At ego etiam quicquam deterius, pauper natus sum, robore corporis inualidus, memoria infirmus, charus tamen Deo. Ergo memoriæ diffisus, quæ uidebā, quæ legebam digna mihi adnotatiōe, antequā artificiū illud ægregiū inuenissem, ungue signabam, certum numerū mihi ex ordine declarante. Antea uerò indefesso labore transcri

bere solitus eram. Sed hoc parum utile inueni, cùm multitudo confusionem pareret, essetq; nouus obeundus labor, ut ex tanto labore fructum caperem. Sed tamen effeci, quod ostendere possunt reliquiæ eorum quæ absumpsi. Post hæc etiam in apice foliorum, ne me falleret memoria aut numerus, numerum æqualem eousque donec mutaretur, describebam. Aliter necessarium fuisset uel singularum paginarum margines diligentius explorare, in quo duplex incommodum & iacturæ temporis & periculi, ne quid adnotatum delitescente litura omitterem, uel omnino inuisos margines ac res scitu dignas prætermitterem. His ergo duobus præsidijs armatus, quorum in libris de Subtilitate memini, sed alterius obscure, constat autem dictionibus, & cuius copiã principi feci, cæpi latinam linguam aßiduè loquendo exercere, ac ei studendo operã dare. Quod uerò ex memoria natura detraxerat, ingenio addidit. sic ut duabus rebus diuersis adiuuante usu, operam simul pulchre præstare possem. Dico legendo humaniores literas, in medicina scribendo, nonnunquam etiam præter id mathematica meditabar. Atque sic amißi temporis non minimam partem sarciui. Itaque cum familiarem mihi linguam reddidissem, conceptas uerò res & locos una uel duabus dictionibus comprehendissem, facilitati dicendi & industriæ confisus, & quod multa perlustrassem in medica arte, atq; exercitatione ipsa probaßẽ, ausus sum profitẽdi muneri me accingere, nec

nec solũ in hoc, sed etiã perorandi extẽporaneæ oratio ni semper cõfisus, cũ meditatã memoriæ mãdare despe rarem. Hac igitur arte non ex Circes præcantationib. carminibusúe, quæ omnia fabulosa sunt, nõ medicamẽ tis anacardinis quæ perniciẽ afferunt, atq; naturæ uim ac homini uigilias, nõ cõsuetudine illa aßidua, laborio sa multũ, parũ aũt utili, nõ admiranda illa locorũ ima gine, quæ laborẽ cũ reb. ipsis memoria seruandis cõdu plicat, sed numine docente leui præsidio rem, quantam ullus mortalium, nõ aduersus naturæ auaritiã, siquidẽ rerũ memoria multarũ, uerborũ nullã concesserat, sed præter illius liberalitatẽ adeptus sum. Verùm cũ etiã in ingenio labẽ insignẽ mihi reliquisset, siquidem turbidũ illud effecerat, quod etiam astrorum positus declarant, erant enim Mercurius & Venus sub lactea uia, indulgentia patris dum me Geometricorum elementorum principia docuit, & studijs Ricardi ad mediocrem claritatem reduxit. Quid ergo est cur queraris inepte, quòd memoria nõ abũdes? Rideo sæpe tot quærulos ho mines, ac tũ magis cũ me hac in parte laudãt, in qua etiã qui mihi ademit quæ habeo, Iul. Cæsar Scaliger, seu mastix, seu mastigia, nã unũ ab altero deriuatur, nos etiã extollit mediocritate nõ contẽtus. Quare mihi longè plus contulit obliuio quam alijs memoria, in me si quidem obliuio industriam peperit, in multis memoria securitas negligẽtes, atq; inertes reddidit. Habes ergo tot contra illam præstantißima auxilia, ut imme-

rltò si queraris, queraris. Habes calamum, lituram, nodos, imagines in notis domibus comparatas, Stichionoma nostrum, ut ego cum Circe aliquid habeam, & nouis nominibus rei authoritatem addam, inde antidotorum unguentorumq; pyxides. Quid amplius minus falluntur qui deficiuntur memoria, quam qui abundant, uelut & plures natatores submerguntur in aqua quã natandi expertes. Itaq; qui memoria destitutus est, cum dicat Aristoteles plerosq; memores minus reminisci, et qui bene reminiscuntur memoria minus ualere, reminiscantur, ingenium exerceant, disputent, sæpius relegant, lecta in ordinem redigant, diligentia summa omnia tractent, adnotentq; præcipua. Experimento ego esse possum, neminem diffidere debere quin res præclaras aggrediatur, tametsi memoria sit infirma, quemadadmodũ & aliorũ admirabiliũ Antesignanus factus.

DE VENERIS IMPOTENTIA



I quidem & hoc mihi incredibile malũ successit: anno ætatis uigesimo primo cũ iuuencula concubui de more, atq; ut mihi uidebar ad uenerem ualidus ac promptus, nescio quo casu pestis familiaris pueri redire in patriam coactus, ita rectè cessit res ut ab eo tempore usq; ad trigesimum primum annum exactum (interfuerunt autem anni decem integri, nunquam mihi licuit cum muliere concumbere, plures mecum dormitum duxi, tum

xi, tum maximè eo anno quo Academiam Patauinam regere cõtigit, liber animo, uiribus cætera ualidus, ætate florentißima, abstinentia ac ciborum delectu pari industria utens, omnes siccas reliqui, adeò ut cum sæpius idem fecissem tædio, pudore, desperatione, in totum ab hac experientia desistere decreuerim, nempe aliquando tribus perpetuis noctibus apud me mulierculas habueram, nec quicquam profeceram. Fateor ingenuè hoc unum malorum fuisse grauißimum, nõ seruitus paterna, non paupertas, non morbi, non inimicitiæ, lites, iniuriæ ciuium, repulsa medicorum, falsæ calumniæ, infinitaq; illa malorum congeries me ad desperationem, uitæ odium, uoluptatum contemptum, tristitiamq; perpetuam adigere potuerunt. hoc unum certè potuit. Deflebam calamitatem, ludibrium naturæ, deflebam uetitas nuptias & perpetuam orbitatem. Dices unde hæc tibi tanta mala? certè fateor me nescire. Cumq; hac causa mulierum conuersationẽ, ne tanta labes deprehenderetur refugerem, ne quid mali afflicto deesset, & hoc ipsum quod uitabam, infamiam scilicet, in suspicione maioris dedecoris conuersum est. Quid hoc? potui ne ego Fatis resistere? aut quia in parte mihi defui cõsilio uel opere ipso? Si non ludere furis argumentum est? nõ furari latronis? non decipere pecuniã adulterãtis? certè non ueto quin quisquam me peßimi criminis reum agat. Sed uideo quid dicas, quis tandem exitus? Anno trigesimo inchoante pernitiosißima illa tabe la

borare cæpi, inops, extra patriam à collegio medicorũ reiectus, hoc deniq; malo pressus sine fratribus aut sororibus, anu matre, cum multis inimicis atq; potentibus affinium litibus inuolutus: quid aliud Deus uoluit ostẽdere, quã ipsi me omnia debere? Præter spẽ solutus tabe, post septẽ menses statim & hoc uinculo sic ut ne uestigium remanserit, quin aliquando quã deceret pronior ad uenerem, & quam mihi utile esset. I modo & morborum euentus deplora? seruauit me, ut apud Valerium Maximum, lethale uulnus, comploratam nomicam, ex deplorato morbo, lethalis alia ægritudo. Sed quæres interim, quæ mihi ex hoc malo cõmoda afferst? plura, nec æquare uellem incommodo, sed ubi adsit ex nullo alio malo tot commoda consequi licet. Primũ enim abstinentia Veneris, robur non leue corpori additur, & uita longior efficitur: Vnde Eunuchi & mulieres plerunq; longioris uitæ quam uiri. Nunc etiam cum hæc lues Indica omnes conficiat, ab ea tuti hac impotentia erimus. O quot uellent fuisse impotentes, multò pluribus etiam præstaret. Tantum uerò iacturæ temporis & pecuniarum, quantum ex amore mulierum contingit, si æstimemus, hoc uel solum pensare potest uoluptatem illam. Deniq; quot & quanta pericula ex amore mulierum adueniunt? non est ut utar exemplis in huiusmodi causis: ut nec de his qui ob uerba periere imprudenter effutita, cum exemplis utendum sit in rebus quæ raro eueniunt, hæc tam frequenter accidant,

ut nil

ut nil frequentius: omnes enim priuatæ iniuriæ ex uerbis ac iurgijs oriuntur, aut amore mulierum, aut ob pecunias, sed de pecunijs contentionem iudicia dirimere solent, sequitur ut rixæ et homicidia propter has duas causas omnes fiant. Quid ergo agendum cum tanta utilitate? ut ea uti scias, Musicæ, foro, negotij studijs, uenationi, Reipub. honestisq; alijs rebus, utpote ab omni seruitute liber operam da. Sed dices, at interim carebo filijs? non sum pollicitus restituere te in integrum: Sed de hoc aliàs dicturus sum, ubi etiam de orbitate uerba faciam. Interim non deerunt filij ex fratre, uel etiam adoptiui, si hoc unicum bonum tibi natura inuidit. Sed ut dixi aliàs, de his locupletior erit sermo. Hoc unúm sufficiat, nunc multos qui possent filios suscipere, his sponte carere uelle, quando plures esse qui uelint, quam qui habere uelint certum est. At dices, curam tamen huius morbi quæro non cõmoda. Sit ita, ede bulbosa, nucesq; auellanas cum sacharo modico & pane, bibe modicum mombasij, rasurã uirgæ ceruinæ aut taurinæ sume cũ aqua ieiunus. puella assueta ueneri, ut in libris de Subtilitate dixi, sed amata arcum tendenti incumbat, telumq; ludibunda excipiat, donec erũpat ardor. Si sponsam inire non potes, per nuptialem annulũ sponsa mingat, aut sponsus nesciẽs uerbis contrarijs dissoluat matrimonium, repetatq; eum.

DE CLAV-

DE CLAVDIS.



Aetera quæ nũc dicam incommoda his, qui inani uulgi aura detinentur, ut mani festiora ita grauiora sunt, apud illos au tem qui res ratione metiũtur leuiora. Di cam igitur de claudis primum: hi periculis quæ ex pug na & prouocatione contingere solent honestè, quod integris nõ licet, se subducere possunt: à belli quoq; mu nijs hi sunt excusati. Lentius etiam eundo & laßitudi nem et febres non incurres. multis nocuit libertas: hæc moderata seruitus nos continere solet, non impedire. Hæc quæ ego sero monitus morbo, ut aliâs dixi, diutur no uix reliqui, claudicatio confestim uitare docet et co git. Dices at ego integer equitãdo hæc incõmoda deui tabo. Non per Iouem, nam primum non exerceberis: quantũ uerò exercitatio, maximè deambulatio necessa ria sit tuendæ sanitati haud obscurũ est, dictũq; prius. Per saxosam etiã urbem equitatio nõ tuta est, cum peri culoq; coniuncta atq; molesta. Sed quid si equum alere nõ sufficias? Etsi claudicet, nónne ex nouo labore peri culum subeundum est? At parua dicis hæc commoda, sed & exiguum malum, ut præter deformitatem uix inter mala numerari mereatur. Non possum inquis fu gere, nec sequi fugientem? munera hæc sunt equorum non hominum: Etsi hominum, è plebe non nobilitate. Sed è plebe sis? nõ omnium, sed eorum qui cum pericu lo uitæ

lo uitæ alios in idem periculum prouocent. Cur maxima pars plebis sine gladio incedit? at magis necessarius est gladius ad pugnam quam fuga. Leges eos qui in certamine occidunt, non adeo graui pœna afficiunt, ac si fugientem persequendo interemerint. Videris enim hominem omnino occidere uoluisse. Quies hæc ab importunis motibus etiam animo non parum conducit, Memoria firmior redditur, ingenium acutius, consilium melius, inanium laborum occasio subtrahitur. Deniq; id contingit semper fermè, quod claudi callidiores sint atq; magis comes. Diximus paulo ante nil obfuisse hoc Epicteto philosopho, quin ad maximam gloriam peruenerit. At non omnes quod sæpè dictum est sumus philosophi? adijcio etiam nec omnes artifices? quid ergo claudicatio mihi proderit: Quid agam? Nulli deest bene gerendi rem occasio si uelit proficere, & è re nata consilium capere? Facit claudicatio duo, eximit atq; excusat te à multis importunis laboribus atque periculis: hoc per se bonum, nec indiget compensatione, sed interim etiam impedit te, ab expeditis quibusdã actionibus, deformitatemq́; adijcit? hæc sarcire decet atque oportet. At non possum, ingenio, literis careo, non possum arte, artem nullam didici: at non potes assequi famam opinionemq́; diligentis, prudentis, probi, cõstantis? quibus longè plura adipisceris, quàm ex quauis præclara arte, ne dicam etiam liberali atq; eruditione. Sapientiæ (mihi credas) cum integritate coniunctæ, nec

defuerunt

defuerũt unquã,nec in posterũ defutura sũt magna prē mia. Dico,opes,pecuniæ,amici dignitas, administratio nes,necessaria quæq;, tũ etiã uoluptates. Atq; hæc qua hic dixi de triũ bonorũ genere,seu simul seu singulatim parando in omnib.calamitatib.dictũ uelim, ne semper repetere cogar. Verum hic ea omnia enumerare cæpi, quòd hæc calamitas maximè explicatũ hominem linquat,& quasi inter externas numerari mereatur. Porrò in externis hoc addã, ut species horũ cõmodorũ referã. Ita nec superflua,nec diminuta hæc tractatio relinquetur. At dices quod sæpe obieceras, nõ hæc etiã eum qui claudus nõ est,adipisci atq; habere licet? & melius uti? Quid claudicatio ad probibitatẽ,fortitudinem,diligentiã,prudentiã? Iã dixi,eos qui sic impediti sunt leuiter corpore, et natura et usu ad huiusmodi paratos esse,tũ etiã facilius assuescere his,quod non distrahantur adeò ut integri à superfluis negotijs. Sed & huiusmodi homuncionib.magis fides habetur calliditatis et probitatis,relucetq; uirtus magis in eis,uelut in quibuscunq; natura infirmioribus,ut de illo qui sine manib. suebat, in ipso quidẽ erat admirabile,quod in omnib.alijs omnino despicitur. Ita admiramur in multis solertiam,in puero prudentiã,atq; in muliere literarũ eruditionem. Calamitas etiã cõmiserationẽ mouet, cõmiseratio amoris pars est,amor ingenerat in nobis fidẽ quam illis habeamus, atque ob hæc ambo magis in illis quam cæteris confidimus,eadem ratione quá & in eis quos edu

cauimus,

cauimus. nam & in illis cõmiseratio amorem, amor fidentiam, ex utroq; conuersatio aßidua, ex quibus omnibus sæpe euenit ut tales dominorũ etiam euadant hæredes. Quin etiam claudi cum incommodè satis eant, curabunt si sapiant, ut equos & seruos habere poßint, atq; ob eam causam ex inertibus fient in rem diligentiores, ac magis attenti: sunt filij pluribus quos optare patres possent esse claudos, ob multas etiam alias causas quas adducere non est præsentis instituti, illos tamen claudos facere, quemadmodum de Ioue & Vulcano illius filio poetæ fabulantur non licet, quoniam iactura certa est, utilitas incerta: nam quidam etiam filij frugi temporis auxilio euadunt, absq; tanto tamq; periculoso supplicio, quidã nec à supplicio mutãtur adeò ferini sunt aut nepotes. Si tamen casus ferat ut sine periculo esse poßit, multis erit utile. Nam hoc fabulæ figmento docemur, eos qui artibus incumbunt oportere esse sedentarios non ambulatores. Quod si manu sis destitutus, altera fungetur officio. Constat Senecam manu trunca fuisse, ut Cornelius Tacitus autor est, uixit tamen diu lætus, diues & potens, nec ob id à sapientiæ profeßione alienus. Vtinam ne plus Neronis timor, quam manca manus illi obfuisset. Parum est carere manu, si parum est oculo. Cæterum non pugnabis, non rixaberis, à multis te eximet periculis hoc incommodum, ab eo latere chiragra non uexaberis.

DE HIS

DE HIS QVI MOTV PRIuati sunt, & amantibus.



Ed si homo totus correptus sit atq; immobilis, is sane deterriore conditione erit, sed nõ adeo deteriore ut multi existimant, nam & quies suas habet delitias. Nolim *illum esse pauperem, nimis enim graue est duobus egregijs malis hominem implicare. Sed tamen & si sit, studijs ac meditatione tantum proficere poterit, ut semetipsum & familiam alere poßit.* Nunquid Socratem nõ *existimas, etiam si perpetuò in lecto decubuisset, potuisse alere se cum tota familia? certè sic. At dices non sunt eiusmodi tempora, nõ Socrates hodie panem, etiam integer uerbis, consilio, disputationibus sibi comparare queat.* Gorneonibus *& scurris potius locus erit.* Non *sub regibus uiuimus sub quibus, quãto securiores ob potentiam sumus, tanto minus curæ est institutio ciuium, neq; enim illi maioribus impliciti negocijs, diligenter ut in parua* Repub. *neq; unus ut plures omnia curare possunt. Sed falleris non desunt* Critones, *sed* Socrates. Vidimus *paucis ante annis* Franciscum Calluum *qui etiam omnia decoxerat, in lectulo immobilem perpetuò decumbentem, cui cum nihil esset, nihil tamen deerat, alebatq; anagnostã qui ei & puer erat & ancilla, iuuenis eruditus, patiẽs, prudens, quiq; optimè scriberet.* Et *tamen* Caluus *adeò*

querulus

querulus erat, ut nemo alius eum sustinuisset. Podagra triumphans illum inuaserat, calculusq; alternam illius curam gerētes, ipse miser inter dolores uelut marmorea statua in lecto iacebat. Affulsit tamen beneficium *liberalitasq;* Alphonsi Auali, Principis Isthonij, *qui mēstruum illi stipendium ex publicis redditibus constituit. Itaq; nulli sapienti uiro atq; bono, uitæ cōmoda deesse possunt, etiāsi immobilis in lecto iaceat.* Lingua *& mens hominis sunt arma, non manus, aut hasta, uel gladius.* Leget *sapiens, dictabit, docebit, mouebit, disputabit, confabulabitur, non deerunt auditores & amici qui sæpius illum inuisant, imò plures quam uelit.* Memini *duos me agnouisse, qui cū essēt immobiles, ad eos eo ipso innumeri cōfluebāt, quod scirēt nō frustra ituros, alter quidē dū puer essem* Io. Antonius Vicemercatus, *literarū ignarus, sed nobilis ac diues.* Hui *quātū etiā tū cum puer essem illi inuidebā. Quāquam enim esset literarum expers, rerū ciuiliū erat tamen sciētissimus, narrabat pulchra, audiebātur pulchriora.* Noua *pleraq;, certè mihi noua. Alter erat summus* Theologus *& planè uir doctus, ex* Phratrijs Dominicanis, *quos* Gratia*rū uocāt* Mediolani, Cornel. Balbus *& ipse patritius. Nūc iuuenis cognoui, ad quē primarij ciuitatis uētitabāt.* Tūc *intellexi hæc nō esse mala omnino, neq; enim ullus eorum quouis uoluptatis genere honesto caruit.* Sed *&* Io. Antonius *senex et sic affectus, filiū suscepit* Casparē *nomine, quē superstitē moriens reliquit.*

DE AMORE.



Aius malum est ergo insanus amor, siue ille sit filiorum, siue uxoris, aut alterius mulieris. Sed quoniam de uxore & filijs inferius dicturi summus, ideò de uulgari amore nunc tantum dicendum erit. Verùm de illius remedio lepidè docteq; scripsit Ouidius, & nos earum calamitatum quæ à nobis ipsis originem ducunt, mentionem facere non decreueramus, attamen amantes relinquere haud fas esse duco, multo minus odisse amorem. Præsertim quod qualiscunque sit, illius diuini amoris imago est, qui in nobis omnium bonorum causa est. In hoc ergo semina etiam aliqua esse eius unde duxit originem, uerisimile est. Ardet ille purus in mentibus, & ad originem suam nos etiam inuitos trahit. Ille sapientiam, ille felicitatem, atque decorem nobis largitur. O sancte amor, quem ego uenerari cogor, sed humana fragilitas tuam pulchritudinem etiam ad caduca hæc traxit, & si non adest etiam fingit, non tamen omnino immemor splendidi illius atq; æterni amoris, studia quædã non prorsus inutilia in amantibus ipsis ingenuit mundiciei, quod purißimus sit ille supernus amor, nitoris quòd splendidißimus, decoris quod pulcherrimus, uirtutis atq; sapientiæ, quòd per ipsum omnis uirtus ac sapientia humanis mentibus infundatur. Quamobrem qui amãt, etsi rustici sint, mirũ in modũ uenusti euadunt, nec res alia est ulla quæ morib. maiorem

iorem addat decorem, nobilitatemq; animis, & corpori cultũ, quã amor. Ille nos ad musicæ studia impellit; armis ludere, pilaq;, palestra se exercere. Deos uenerari: corpus ornare uestibus, comitatẽ, hilaritatem, mansuetudinẽ, fortitudinem præ se ferre, tum liberalitatẽ, magnificentiæ, innumeraq; alia hominum aut potius Heroum ornamẽta, clarasq; uirtutes docet, quin etiam eloquentiam addit, unde illud:

Facundum faciebat amor.

Et carmina scribere docet. Vnde Propertius:

Non mihi Calliope non hæc mihi cantat Apollo.
Ingenium nobis ipsa puella facit.

Et rursus alius

—— Carmina dictat amor.

Cum igitur ornatiores ac uenustiores efficiamur ex amore, ac magis moderati atq; tẽperati, tum fortes, sapientes, liberales, magnanimi eruditiq;, ut non immerito Boccatij fabulam Cimonis, Cyprij flagrãti Iphigeniæ amore imitemur, amor hic potius inter uirtutes quã perturbatiões, inter cõmoda quã calamitates, modò moderatus sit, numerari debet ac recenseri. Inde certamina Euriali & Nisi apud Virgilium & fortia facta: Pugna apud Homerum acerrima Paridis & Menelai propter Helenã. Ptolemeus propter Galetis pueri amorẽ ex crudeli etiam in sontes clementiæ famam adeptus est. Petrarcha exemplo Ouidij, propertijq; librorum condendorum argumenta ex amore sumpsit:

Omnium poëtarum maxima pars libri ab amoris narratione pendet. Itaq; si amicitiam adeò laudamus, etiã in amore semina illa æternæ dulcedinis latent, quamobrem illud quæri meritò debet.

An amor inter uoluptates an dolores sit reponendus? Et uidetur sanè in Rhetoricis Aristoteles hoc definisse. Cum enim in amore tria sint, potiri, sperare, timere, iuxta hos affectus diuiditur etiam uoluptas & dolor. qui enim potiuntur perfecta uoluptate fruuntur, qui sperant imperfecta, siquidem spei timor quidã semper immixtus est, ut in ouis uitreis, quod uacuũ est humore, aëre completur. quantoq; minus est ex uno, tanto plus de altero inest, nunquam tamen ouum illud exactè humore repletum est, sed aëre totum quandoq;. ita spes nulla sine timore, quanquã perexiguo nonnũquã, timor autem absq; spe rarißimè, sed quandoq; tamen. Vbi ergo timor ibi dolor, cõmemoratio ergo & expectatio cum sint spei partes, uoluptatem afferunt: sed ut discessus & timoris ne redeat argumentum, uel ut accedere non liceat doloris. Idem rursus in Ethicis ostẽdit amorem esse iucundum, quia sit rei iucundæ & bonæ appetitus, desideriumq;. Verùm cũ bona iucundaq; bifariam dicãtur, alia quidem uerè, alia opinione, ideò etiam fit ut amore quidam iucundus uerè sit: ut cum amamus filios, parentes, fratres, uxores, alius autem nõ uerè, quoniã nec cum honestate cõiungitur, uelut cum scorta amamus. Pucrorum autem amor quoniam sapientiam

pientiam ex animo elidit, insaniæ pars est, nec ut mulierum ad eas uirtutes hominē allicit aut impellit. Sed plerunq; cum auaritia, immunditia, ac multis alijs uitijs coniunctus est, unam solam exposcit audaciam. Propter *immoderantiam enim temerarios efficit. immoderatus est autem, quoniā cum aduersus naturæ leges sit, necesse est ut à maxima causa fiat, atq; ob id semper immodicus, est etiam immodicus, quia ut dixi insaniæ pars cum sit, frenis sapientiæ exclusis, non habet quo regatur.* Esse *autem insaniæ partem quis dubitat? amare tam labilem pulchritudinem, sine reciproco affectu, tam fœdo usu, tam infelici fine?* Præter *enim id quod in usu ipso cernitur abominabile, etiam illud euenit, ut qui amantur uel fœdi laxato musculo, uel rupto cristati euadant, ut præter fœditatem scelus admistum sit, cum iniurij simus in eos quos amamus, ipsi etiam qui hæc patiuntur, maiore scelere obstricti sunt. iugulant enim homines.* Et *ut iam natos audacioris ac impudentioris, ita præscindere nascituris uiam crudelius. quo in crimine etiam cum sint qui sic amant, tum etiam ut dixi, in alio sequitur ut etiam his, qui amantur grauius peccent, præsertim etiam propter ætatem & potentiam, sed tamen uterq; grauissimo scelere obstrictus est.* Finis *etiam ipse pessimus est, cum nō solum generationi hoc filiorū, sed eorum educationi plurimū obsit.* Q*uantū enim potest proficere puerulus inter similia exēpla agentis patris, cui natura & instituto assimilari*

milari cupit? & patientium, à quibus ætate parum distat? omitto licentiam quam in illis uident, reliquosq; malos mores? ob id igitur hi summo bono, non solum generationis, sed & rectæ filiorum educationis priuantur? Quamobrē si sui compotes essent, legibus ullis, aut metu pænarum ut coercerentur, non indigerent, ipse enim amor sibi maximum supplicium est. Et quanto minus atrox legum pœna sceleris pœna est, tanto certior, ac ut ita dicam securior. Porrò quamuis ad audaciam hic amor impellat omnibus alijs magis affectibus, nam et Aristogiton Atheniensis Hipparchum, & Amileon Metapontinus, & Menalippus Aggrigentinus, ut ex Plutarcho etiam Petrus uictorius narrat, tyrannos occiderunt: & Amyntas ob eandem causam Alexandrū magnū occidere conatus est, nō tamen laude dignos efficit. Nā si tot alias iniurias tyrannorum hi inultas esse paßi sunt? mortes affinium, raptū uirginū & filiorū, incestū uxorū, immania facta, bonaq; sibi eripi, apparet hos homines non fortes fuisse (qui nec Reipub. nec suorū, nec propria damna ulti sint, sed infames amores, uerū insanos & audaces, hos enim non sapienter) aut liberales, aut uenustos pueri, si modo aliquos diligunt, diligere solent. Et quoniam amor eorum semper fermè timori coniunctus est, ideo solos amant quos timent, & quoniam ab his iniurias uindicari, quibus ob ætatem obnoxios se existimant, posse sperant.

Reliquum

Reliquum igitur est ut his calamitatibus, quæ hominibus intimæ sunt emuneratis, quandã uiam normã q; traducendæ uitæ, tanquam dicta recoligentes instituamus, quæ etiam ad sequentia tum intelligenda, tum exequenda utilis sit. Initium facientes ab eo quod principale est, estq; id unũ ac principale, principiũq; ad omne solatium calamitatum, non nisi ad unum omnia deduxerimus, frustra hæc tanta in unum congessérimus, tanquam unam facturi doctrinam, sed erit aceruus potius quidam præceptorum. Hoc ergo ipsum est principium totius tractationis, quod tempore omnia dissoluuntur, & in nihilum rediguntur, non solum uoluptates & dolores, uerum etiam omnia mortalia. cumque tempus facile diffluat, ac celerrimè, et sit infinitum, hoc solũ est ut decenter fruaris præsentibus, prospicias iuxta condicionem fortunæ tuæ, ac temporum prudenter futuris, sic ut scias quæ optanda, quæ fugienda, quæúe magis optanda, aut magis fugienda, & rursus an magis optanda hæc, an fugienda illa? Demum quæ consequi poßit ex his quæ optánda sunt: quæq; uitare ex his quæ fugienda. Et quæ ex parte liceat si non perfectè, assequi aut uitare. his paucis præceptis, quæ ex uno ut dixi oriuntur, tota uita nostra constat. uerum cum in singula distribuuntur capita, membratimque discerpuntur, ad longè plura deueniunt. Propositus etiam est finis unus uiuere quam feliciter. id quomodo fiat, dictũ est supra,

ſed tamen qua uia compendioſiſsmè, non ſatis conſtat. Epicurus certè unã tradit regulã huic propoſito aptã, quæ ſi non omnia amplectatur, plurima ſaltem nos docet. Is enim cum uitæ noſtræ finem ſcopumq́;, ac felicitatis culmen conſtituiſſet: unum dixit, alterum docuit. Quod docuit eſt, ita uoluptatem ſequaris, ne præſens uoluptas futuris ac ſuccedentibus uiam præſcindat, aut impedimento ſaltem ſit. Itaq; inquit Epicurus dicenti luxurioſè uiuam? uiue, ſed caue ut ſint tibi poſtmodum pecuniæ in Coculis, ne poſt eſurire cogaris. caue etiam ne ualetudo offendatur, cogarisq́; dolores perferre, qui multo moleſtiores ſint, quam fuerit iucunda uoluptas. Caue rurſus ne infamia ſubſequatur, ex qua contemnaris, iniurijsq́; obnoxius fias. Caue etiã ne ſocietatẽ ex hac cũ hominib. ineas, quæ tibi pericula et mœrores pariat. Caue etiã luem Indicã. Caue uigilias, ne poſtmodum cum uigilare iucũdum ſit, oporteat ac deceat, dormire cogaris. Vxorẽ alterius poßidere uolo: poßidere reſpondebit Epicurus, ſed obnoxius eris legibus: cogeris in perpetua ſuſpicione mariti uiuere, ne ob iniuriã te occidat: ab illa quæ mœcha eſt, quomodo tutus eris? quæ etiam cum timebit ſe relinqui, ueneficijs inſidiabitur tibi, aderit etiam infamia. Decipiam aliquẽ? Decipe inquit Epicurus, ſed ille te ſtatim ad iudicẽ uocabit, iraſcetur, inimicitias palam tecũ exercebit, apud omnes te infamabit, cæteri omnes refugient, ſceleris cõſcientia urgebit, unumquodq; malum plus offendet ac

tibi no-

tibi nocebit, utpote corporis dolor, timor, tristitia, infamia, iniuria, quam poßit solari uoluptas. Ob id ergo dicebat Epicurus, *non posse uiui secundum uoluptatē, nisi iustè, moderatè, temperatéq; uiuatur.*

Statuit igitur Epicurus *felicitatē in uoluptate, quæ tamen moderata sit & temperata. Cumq; illam diffluere cerneret & inconstantem esse, dixit illius memoriā ad fælicitatem conferre. Quæri igitur solet, an memoria uoluptatum perceptarum iucunda sit an tristis? Si enim calamitatum memoria quas euasimus iucūda est, quare uoluptatum quæ effluxerint non erit tristis? paucos in re tanti momenti rectè uersatos uideo: & tamen hoc necesse erat, nec quicquam utilius. Perpessum fuisse calamitates triste proculdubio est, sed euasisse iucundum. Quid uerò maius ex his? breues calamitates uitam faciunt iucundiorem, diuturnæ tristem & infelicem. euasisse longam calamitatem tāto minus dulce, quanto grauem iucundum sit, magna sed breuis. Cū enim comparatione res humanæ constent, eo dulcior est uoluptas, quò dolor qui recesßit maior fuit: quinimo recessus ipse doloris solus uoluptas est. Rursus si tempus quo uoluptate frui concessum est, longè maius fuerit calamitatis tempore, dulcis res est meminisse, si contra, graue ac durum. Ob id scite* Iuuenalis:

—— Gaudent ubi uertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.
Breuia enim illa sunt & magna.

Et illud

Et illud Virgilij huc ſpectat.

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit

Et Homerus:

—Μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ
Ὅστις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ καὶ πολλ᾽ ἐπαληθῇ.

Idem Seneca:

Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt.

Tangit & Cicero hanc quæſtionem, ſed non ſufficit ut ſint inſignes hi labores, & ſine turpitudine, niſi ut dixi, etiã breues fuerint, alioquin nõ minimè eſt triſtis memoria illorũ, quã dulcis uoluptatũ, ſed Ariſtoteles ut pleraq; alia ſcitu digna, in Primo Rhetoricorum ad Theodectum de hoc diſputat, addit aũt rationẽ: quoniã cum iucunda ſint quibus delectamur, quouis tempore percipere homo ſe intelligat illa, homo delectatur, cum ergo uel percepiſſe meminerit uel percipit, aut percepturum ſperat, in omnibus uoluptatem capit. uerum illud nos non docuit, cur ſi non percipere malum iucundum eſt, bonis carere triſte non ſit? ob id uidetur adieciſſe, ſi quippiam ad miſerias honeſtum aut utile conſequatur? At hoc iam ad primum modum pertinet. Ideô uelut in naufragio quandoque miſeriæ non eſt coniuncta uirtus, quandoque eſt, ut in pleriſque periculis alijs, ubi coniuncta eſt uirtus non obſcurum eſt cur delectetur nos memoria partæ ſalutis uirtute noſtra, ſed ſi uirtutis ſpecimen non adſit, delectamur comparatione præſentis. Quoniam

niam ut medici dicunt, reditum ex dolore ad indolentiam fieri cum uoluptate. Hoc ergo cum recordamur, quia iucundũ est, uoluptatem gignit in animis nostris, non ergo miseriarum memoria, sed quod euaserimus dulce est atq; iucundũ: hæc enim inter iucunda numerãtur. Neq; enim cũ recordamur naufragij delectamur, sed cum meminerimus, quomodo ex ipso naufragio euaserimus. Ita & uoluptatum bonorumq; memoria iucunda est, at si recordamur amisisse felicitatem, id triste si casu, tristius si nostra culpa, minime autem triste, cum id ordine naturæ factum sit. Velut si alterius uxore quis potiatur, ab initio enim hanc uoluptatem non statuunt homines perpetuã, sed propter innumeras difficultates nõ posse esse cõtinuã. Quod si casu contingat amißio, succedatq; noua uoluptas, nec tunc percipitur tristitia amißi boni, uel etiamsi nõ succedat tam cito, modo tempus fœlicitatis diuturnius sit intermißionis tempore, iucunda est etiam memoria. Sed ab initio dum amittimus dolemus, antequam aliud iucundum subrogetur, quoniam præteritum tempus metimur quantum fuerit, amißionis aũt propter timorem coniunctum imaginamur esse infinitũ. Cum uerò nostra culpa id acciderit, sæpius nos ipsos fallimus, quasi factum sit casu, nemo enim stultum libenter se esse arbitratur aut credit. ob hæc igitur omnia & tristium casuum recessus, & bonorum possesionis memoria inter iucunda & uolu-

ptates

tates ab Epicuro rectè numerãtur: non ſatis conſyderatè, cum uenia dictum ſit, à Cicerone refelluntur. Sed nec omnino clarè, ut decebat, ab Ariſtotele explicantur, ueruntamen ſatis ut clarè poſſent explicari. Cum enim & iucunda recordari iucundum ſit, & receſſus triſtium iucundi ſint, etiam illorum meminiſſe iucundum eſt. At non poſſumus recordari hos receſſus, niſi & recordemur quæ paßi ſumus, nam in mutatione uterq; terminus comprehenditur, quare etiam triſtium memoriam falſo exiſtimamus iucundam eſſe cum non ſit, ſed illorum ſolum quæ uel per ſe iucunda ſunt, aut quæ cum iucunda ſint, ſunt tamen neceſſario cum triſtibus coniuncta, ut receſſus ipſi miſeriarum.

DE GENERALI VITAE inſtitutione.



ORRO iucunda alia quidem per ſe, alia quod ad illa deducant, alia quod ab his quæ nobis triſtia ſunt, liberent. Per ſe iucunda ſunt, uel quia utilia: ut opes & beneficia recipere, uel quia honeſta, ut exerceri in ſtudijs, in quibus ſumus exercitati, uel quia præcellimus alijs, ut honos, & gloria, & uictoria, uel quoniam ſecundum naturam ſunt, ut uerſari cum ſimilibus ætate, moribus, arte, ac alijs eiuſmodi. Repetere etiam conſueta ad hoc pertinet, nam talia ſunt nobis familiaria. Quædam plura ex his continent, uelut regnare & ex-

cellere

cellere atq; utile, sapientem esse honestum ac praecellens, amicitia utilis simul ac secundum naturam. Quae uerò ad ea deducunt sunt, ut ad gloriam ludi concertatorij, beneficiorumq; collatio, excellentiam declarant, at sapientiam coarguere alios, uidetur enim testimonium. Et rursus discere & absoluere inchoata, tãquam illis pares sapientia qui inchoarunt. Imitatio uerò & pictura & sculptura delectant, quia his discimus, discere autem, ut dictum est, ad sapientiam ducit. Iniuriam quoq; inferre ad regnum pertinet: potentiam enim testatur, ut ridicula ad nostram sapientiam. nam qui ridentur tanquam stulti, inferiores nobis sapientia esse uidentur. Admirari uerò ad sapientiam pertinet, ob id enim ad philosophiam homines peruenerunt. Subitae autem rerum mutationes ob id delectant, quod admirationẽ pariunt. Adulari uerò partim ad admirationem, partim ad cõparandam amicitiam, quam diximus esse utilem & secundum naturam, attinet. Quae uerò à molestia nos liberant iucunda etiam sunt ut dixi, sed alterius generis à praecedentibus. Molestißima autẽ est omnium malorum iniuria, ideo ultio iucunda & ira. est enim cum spe ultionis. Ideo regibus et tyrannis parum irascimur, quia ulcisci etiam parum speramus. Cupiditates quoq; expleuisse iucundum, nam illis torqueri miserum est. Ea de causa etiam commutatio nos delectat, nam aßiduitas taedium & dolorem nonnunquam parit. Ergo & in luctu, & magis in lachrymis uoluptas

est, in

est, in his enim exprimitur quod molestum est, scilicet, spiritus ardens ac fuligine plenus, in illo recordamur eius quem diliximus. diximus autem eorum quæ iucunda fuerunt memoriam quoq; dulcem esse. Sed cum & id imaginemur infinitum esse, quo cariturі sumus, maior est in luctu dolor, longe quàm uoluptas.

Ergo his uisis, decet sapientem et Epicuri præceptis quibuscunq; honestis, uoluptatibus operam dare, ut illorum memoria exhilarari queat, atq; interim eis frui, quandoquidem uita hæc tàm breuis est & fugitiua, ut iuuentus pueritiæ cohæreat, iuuentuti senectus, & ex una in aliam ætatem imprudentes delabimur uelut in somnum. O quàm rectè ait Seneca:

Properat cursu
Vita citato, uolucriq; die
Rota præcipitis uertitur anni.
Et rursus:
At gens hominum fertur rapidis
Obuia Fatis, incerta sui.

Quamobrem enitendũ est ut omnibus uijs, omniq; labore atque solertia, tempus ipsum quod commodato sumpsimus, rebus in egregijs atq; honestis trãsigamus. Etenim sic mutuo sumpsimus, ut nemini commodare liceat, nec si nobis præterierit, ab alio sumere commodato. Quid ergo est ut tantæ rei custodiendæ atq; dispensandæ adeo negligentes simus? Hortatur nos Poëta pulchrè ad hoc dicens:

Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est uitæ: sed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus.

Cumq; tàm pulchre ipsum impenderis, adhuc dilabuntur quæ collegisti, & hominum facta diffluunt, & memoria rerum egregiarum euanescit: & quæ maxima uidebuntur, breui in nihilum rediguntur. Quod si quis mutuo aliquid acceperit, intra certum terminum restituturus, curat ut interim eo utatur antequàm labatur tempus, & tamen rursus commodato aliâs sumere, uel aliquid simile possumus, in tempore hoc negligimus, cuius tanta est penuria. Tantum ocij tibi sumes, quantum ad seruandam ualetudinem est necessarium. Nec in prima ætate terendum tempus est, nec desperandum in ultima, nam quanto breuius, eo magis à uoluptatibus liberum est. Ob id etiam nisi aliquibus impedimentis turbetur, iucundissima est senilis ætas. Nec totum illud est uiuere, quo anima corpori iuncta est, sed quo uacamus contemplationi, ac studijs seu liberalium, seu aliarum artium.

Vnde Similis uir egregius cum perpetuò in magistratu fuisset, duntaxat ultimis septem annis exceptis, hoc iußit sibi epitaphium sepulchro inscribi. Similis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, septem autem duntaxat annis uixit. Ob id Seneca ait rectè: contingit ut multi moriantur antequam uiuere

uere incipiāt. Alij etsi uiuere incipiant, non tamen ad uitam perfectam perueniunt, cum mutando genus sæpius illam inchoant. Non ergo solum inchoanda est uita, sed quomodo inchoāda sit scire, atq; in illa persistēdum est semper usq; ad mortem, si beatus esse uelis? nā sic agendo semper illa perficitur. Cogitare etiam expedit, quòd quotidie aliquid deffluit de uita, & ideò illud sarciri debere. quamuis enim corpus & uires crescāt, uita decrescit tamen perpetuo atq; minuitur. Quòd si miserijs opprimaris, occurrendum est potius morti sententia multorum philosophorum, quàm inertem illius præstolari aduentum. Etsi enim non licet se interficere, licet tamen morti obuiam ire ad euitandum dedecus. Quòd si sic animatus esse potes? si non supra omnem potentiam esse tibi licuerit? eris saltem extra omnem. Quid enim tyrannus ei facere potest iniuriæ, qui mortem contemnit ac spernit. Verum interim si adeò curas, ne quis tua inuadat bona, aut agrum, aut domū pecuniamúe, cur eis qui uitam tuam inuadunt, teipsum concedis? quinimo etiam auxilium præstas. Et cū in rebus tam parui momenti tam oculatus sis, in ea in qua omnia continentur adeo conniues & supinus es, unus horam eripit in nugis, alius ut audiat circulatorem, alius ut pergat ad conuiuium totam etiam suffuratur diem. Quidā cogunt te legere carmina male consarcinata, quidam ut amico operam des, nihili postulat. Requirit musicus ut illum audias, alius te deducit

ad fo-

rum Quid miserius quam cum omnibus alijs uiuas, tibi uni soli non uiuere? omnes cum prodigè diuidant uitam, cuius tanta est penuria, & in qua retinenda auaritia, honestè uti possemus, mediocrem pecuniarũ summam inter pauperes nemo uult diuidere? Quantum ex inani metu, stulta lætitia, exiguo dolore, auida cupiditate, blanda conuersatione tibi pereat, cum his computes? inuenies uix minimam partem uitæ tibi relictam, itaq; nulla cũ istis uita longa esse potest: sine istis paucæ dici possunt esse breues, ni quis à prima adolescentia præripiatur. Itaq; honores, diuitiæ, eloquentia, uoluptates, nos potius suffocant, quam ut cuiq; bono sint. Quid ergo dulcius quam sibijpsi uiuere? hoc est in ocio uiuere, quod etiam Augustus testatur in quadã epistola: ut apud Senecam, qui etiam decerpta ex Augusti epistola uerba ascribit. Nihilominus nullũ turpius perit tẽpus, quã quod uino, deinde crapulæ, post ueneri impenditur. Hæc enim opera cum belluis communia, sordida atq; etiam fœda sunt. Hodie quot uideas qui cum urgeantur & urgeant, nec sibi unquam uiuant, tamen nec quod sperabant assequuntur? ita miseri illi optimã rem abijciunt, ut mediocrem assequantur: et certã amittunt, ut incerta potiantur, nec etiam id licet consequi. Non est longa nauigatio diu in mari esse, multo minus diuersis agitari ingentibusq; fluctibus: ita nec uita diuturna longo tempore in hoc esse mundo, multo minus aßiduis magnisq; negocijs implicari: sed longa nauiga

tio est longam præteruehi orã, multa loca legêre. Et lõ ga uita multa efficere posse, quæ ad opus uitæ spectant. Catullus, Tibullus, Persius ac Lucanus trigesimũ annũ uix attigerunt, aut saltẽ paulo post excesserunt, hi tamen diutius uixerũt quam Argantonius, quamuis etiã rex. Illi sibi uixerunt, magnaq; spe freti, immortalem ingenij sui gloriam reliquere. Si quantum in periculis, seu iudiciorum, seu morborum, uitæ, curæ impendimus: tantundem dum imprudentes per mille inutiles causas, pluresq; ex his damosas eã terimus, impenderemus, longe diutius uiuerẽt homines, nec de sua fortuna aut natura quererentur. Itaq; quod tũc cum perituros se existimant, facere decernunt: scilicet ut sibi uiuãt, ut partis fruantur, non indies noua quærant, ut ocio uacent; id multo antea cum utilius est consilium, ac certius sapientem facere decet. Proximum suillibus uoluptatibus, est iners negocium conuiuiorum, cultus corporis, ornatus domus, cum tibi ex huiusmodi rebus perierit tempus. Dura uerò condicio eorum qui opes congregant, atq; eo miserior, quã qui sibi uictum quærũt, quod hi finem habeant aliquem, illi nullum. Post hos sunt qui foro operam dat, quiq; honores quærũt, propriam felicitatem semper in alieno nutu constitutã habentes, atq; eo magis populi omnibus uirtutib. hostes accerrimi. Sed nec in Repub. honestum locũ obtinere, summos magistratus gerere, tametsi gloriosum sit, & generoso uiro non indignum, ad propriã tamẽ felicitatem

rem pertinet. Verũ ipsum hoc quod nũc dicã, nec ad uiuũ, ut dici solet, rẽ resecabo. Diximus in uoluptate esse felicitatẽ, quatuorq; genera bonorũ ac iucundorũ, decet ergo scire; postquam omnib. potiri non licet, quibus nam maximè expediat. Expedit aũt magis his quæ maiora sunt, meliora et diuturniora. Meliora generib. ac speciebus distinguuntur, maiora numero ipso bonorum, ut unum ad aliud sub eodem genere comparetur. Quòd si eadem sint meliora, maiora & diuturniora; nemini dubium esse potest, quin ea sint alijs præferenda? Sin autem nõ eadem sint in necessarijs diuturniora; in his quib. carere possumus, maiora sunt præferenda. Meliora aũt ad eos spectãt qui uerè feliciter uiuere uolũt, reliqua ad illos qui cupiũt uideri felices. In generibus aũt minus præstans est, quod secũdũ naturã est minusq; afficit, reliquorum triũ honestũ præferri debet apud eos, qui uerã felicitatem quærunt: qui fucatam ac uulgarem, quæ præcellere facit & quæ uilis est. Harũ utilis plebeijs, et his qui pauperes sunt est charior, quæ uerò facit excellere diuitib. atq; nobilibus. Eadẽ quoq; ratio & futurarũ & præteritarũ, quæ & præsentiũ.

At dubiũ est an memoria uoluptatũ sit dulcior an spes? uidetur enim Epicurus memoriam præferre spei; quòd secura sit, sed tamen oẽs spe magis afficiũtur quã ipsa memoria. Quinimo propter solam spem uoluptatum ac bonorum, multi periculis se exponunt, propter memoriam nemo. Videtur etiã spes eorũ esse, quæ

quandoq; futura sunt præsentia, memoria autem eorum quæ esse non possunt. Præterita igitur iucunda minus mouent, sed illorum memoria secura est, atq; ideo pars felicitatis est: spes autem cum metu semper mixta & incerta, ideoq; minus tuta & perturbatione mixta, non adeo est pars syncera felicitatis, nos tamen magis mouet: affectum ergo maiorem esse & felicitatis partem non idem est, sed maior felicitas est in spe, purior in memoria perceptarum uoluptatum.

Sed cum honestum laudent omnes atq; uirtutes, cur est quod uitia magis ament homines atq; sequantur? Ideo hoc cõtingit, quoniam uirtus circa medium quoddam consistit ac quasi indiuiduum: uitia uerò in extremis magnum continẽt spatium, quocirca difficile est collimare. Liberalitas enim inter auaritiam & prodigalitatem, fortitudo inter audaciam & timorem, reliquæq; quæ in secundo Ethicorum ad Nicomachum cõnumerantur. Facilius ergo in extrema incidunt homines, quam in ipsum medium. Alia ratio est, quod uitia quædam à naturæ defectu oriuntur, qui accidit ex materiæ impedimento, ut quasi quæ circa immoderantiã gulæ & ueneris uersantur, naturalia dici poßint, quocirca pronus est lapsus in illa: cum enim, ut dixi, medio consistat uirtus, uix fieri potest, ut à medio natura non deflectatur in plerisq;, quoniam opus ipsum naturæ etiam plerunq; in generatione, educatione atq; institutione impeditum est. Principũ quoq; mores, à quibus

tanquam Polycleti statua sumuntur exempla, ad uitia semper fermè deflectunt, non tam intemperantia et libidine ac libertate, qua abuti possunt, sed quoniam illis hoc conducere uidetur. Auaritia enim opulētos reddit, & omnibus ob id formidabilis. Prodigalitas amicos illis plurimos parat, ut utroq; tutiores sint: cum liberalitate nec quantum sufficit opum nec amicorum sibi parent, unde magis contemnuntur. Sic crudelitate nimia timentur, amantur misericordia, iustitia neutrum efficit. ostendit hoc exemplum Dionysij maioris, qui summa cum sæuitia, adeò ut puerum quem amabat, eo solum quod riserit statim occidi iusserit, & ut refert Aristoteles Polyticorum quinto, Eo Syracusanos tenente, contigit ciues in quinq; annorum spatio cunctas facultates suas in soluendis tributis cōsumpsisse, & tamen quadraginta duobus annis tyrannidem nullo periculo, magna licet cū suspitione tenuit. At contra filius ob contemptum, cum multo mitior tamen esset, ea spoliatus est. Accedit quod liberalitatem qui accipiunt, cum non quantum uelint accipiant, auaritiam appellāt, iustitiam, qui læduntur, sæuitiam aut odium, qui accusant indulgentiam aut remißionem, atq; ita ab omnibus contemnitur. Horum igitur exemplo aulici primum, inde alij uirtutes contemnunt, & ad extrema transeunt. Similiter & populus liberales aut auaros uocat. cum enim illius maior pars in extremis sit, pauci enim circa mediocritatem uersantur, eosq; qui in me

dio sunt, cum ipsi se mediocritatem obtinere existimẽt, ad oppositũ uitiũ traducũt: Prodigi auaros, auari prodigos appellantes eos, qui sunt liberales. Præterea cum omnes homines fermè secundũ uirtutẽ uiuere se putẽt, ob id errore ducti, nõ uoluntate uitia diligunt, nõ ergo uitiũ uirtuti præferũt, sed quæ sit uirtus et uitium ignorant. Itaq; decepti in uitio degunt, tãquã uirtuti operãdent, uitiorum etiã fines aliquid unũ habent quo precellunt, ideò ad felicitatem compendiosiore uia deducere uidentur, ac expeditius: uelut rapinæ & auaritia ad opes, crudelitas & iniuria ad opinionem potentiæ, insidiæ & fraus sapientiæ, potentia aũt, sapientia & fortitudo ad felicitatem. Quare qui imperiti sunt (sunt autem plurimi & penè hominum maxima pars) aberrantes tot causis uitium uirtuti præferunt.

Sed dices quid est uirtus? & quot sunt uirtutes? laudabile bonum profectò est uirtus atq; honorabile. nam ex opere illius semper laus consequitur, nõ aũt ex opulentia, potentia, fortitudine, pulchritudine, ijs enim & bene & malè quis uti potest. Est autẽ uirtutis finis honestum. Ipsius uerò essentia in hoc constat, ut nemini fiat iniuria, auaritia enim, crudelitas, & iniustitia circa aliorum uersantur iniuriam: impudentia, prodigalitas, intemperantia, circa suimet. Sunt ergo uirtutes, Fortitudo, Prudentia, Iustitia, Temperantia, Mansuetudo, Liberalitas, Magnanimitas (ut ita dicere liceat) Magnificentia, Indignatio, Grauitas, Verecundia, Vrbanitas,

banitas, Veritas, Amicitia. Id uerò quod uirtutem secernit à uitio, est ut dixi, quod non est in uirtute excessus, & quòd nulli fit iniuria, sed mediocritas dũ seruatur, iustitiæ cuiusdam pars est omnis uirtus. Verùm adhuc quæritur quid sit uirtus? Est, inquit Aristoteles, quæ habẽtem perficit & opus bonum reddit. Sed quid est bonum adhuc dubitatur. Itaq; & hoc indiscussum reliquit Aristoteles, nec facile erat illud statim explicare. Homo igitur (ut altius repetam rem) ad quatuor comparandus est: ad Deum & sic oritur pietas, & est cultus Dei rectus: Ad cæteros homines, & iuxta hoc qui illis benefacit, & pro ratione hominum bonus appellatur. Vnde bonos dicimus, gratos, liberales, patientes, atq; huiusmodi. Qui ergo ad Deum & homines comparati rectè se gerunt, probi dicuntur. Est ergo probi officium, ut sit pius ac bonus. Bonus ergo in omnes homines est beneficus, sed tamẽ ordine seruato, prius enim & magis curat eos à quibus beneficia accepit, ut sit gratus: deinde in probos alios qui sibi similes sunt magis, quam in cæteros inde coniunctos, & ideò in parentes maximè: sunt enim maximè coniuncti, & ab illis beneficia plura & magna accepimus: & in egenos demum, hi enim maximè indigent: unde in filios, sunt enim coniunctißimi, & auxilio nostro ob ætatem & paupertatem maximè miserabiles. Sed uirtutes quæ ad semetipsum pertinẽt, nec bonos nec probos efficiunt, ut Prudentia

& fortitudo.harum quidem duplex genus, honestum, ut magnificentia, fortitudo,et utile:ut temperantia,cõtinentia, prudentia. Differunt autem incontinens & intemperans, quoniam intemperans malo ipso gaudet atq; in ipso perseuerat, incontinens quasi rapitur naturæ ui, nec delectatur malo, nec in eo perseuerat. Vt uerò bonitas genus est uirtutum quæ ad homines spectãt: ita charitas causa est omnium horum bonorum, quoniam enim humanum genus quasi totam unam quandam affinitatem diligimus, ideò benefacimus illis et cõpatimur, etiam ne illos lædamus unde tollerantia. Differt autem charitas ab amicitia, quasi ab intemperato incontinens: amicitia enim mutuum amorem exposcit, charitas nõ, sed sufficit ut amemus. Comparati uerò ad leges si iustæ sint, iusti aut iniusti dicimur. Iustæ censentur leges quæ ab ijsdem constitutæ sunt: ut Venetæ Reipub. & communes Iustiniani. Nullius enim emolumenti proprij causa constitutæ uidentur. At municipales quod ad ciues attinet, & Tyrannicæ cum de proprio commodo non agitur, etiam iustæ habendæ sunt. Quæ uerò deproprijs commodis agunt, et municipales quæ de exteris cum ciuibus decernunt, plerunq; leges non sunt, nec iustæ. Vbi ergo leges iustæ fuerint, idem erit probus uir ac qui leges seruabit: ubi uerò leges sint tyrannicæ, probus uir à legibus declinare cogetur: aut leges obseruando improbus esse: non enim sufficit uiro probo ut in ciues bonus & æquus sit, sed in uniuersos.

homines

homines. Et ut aduenæ ſiccario debitam pecuniā exigē ti, à ſuo affine ciue reddi iubeat. Ita tamen ne ex hoc Reſpub. in poſterum maiore quopiam detrimento affi ciatur. Iuxta hoc igitur erunt & plura etiam uirtutum nomina: utpote Pietas, Tollerantia, Aequitas, Gratia, Clementia, Charitas, Continentia, Beneficentia. Qua etiam ratione in quinq; genera ſuperius enarrata diſtinguentur omnes hæ uiginti duæ uirtutes: Ad Deum cōparatione Pietas, ad homines alios Manſuetudo, Liberalitas, Beneficentia, Clementia, Tollerantia, Verecū dia, Charitas, Gratia, Amicitia, Vrbanitas, Veritas. Ad leges, Iuſtitia, Aequitas, Indignatio. Ad ſui utilitatem, Temperantia, Continentia, Prudentia. Ad Decorem et honeſtatem, Magnanimitates, Magnificentia, Fortitudo, Grauitas. Hæ omnes cum uirtutes ſint, ſolum tamen quæ ad Deū & homines ſpectant probū faciunt. Quæ ad leges, bonum ciuem, ſi iuſtæ autem ſint, etiam ad pro bitatem ſpectant. quoniam uniuerſis conferunt. Sunt præterea ſapientes uiri qui Diuina, naturalia, humanaſq; leges nouerunt. Atq; hi ſapientiſsimi, qui iuſtis legibus operam dāt. Propterea meritò ſapientiſſimos Iuriſconſultos appellamus, quòd legum rationem atq; morum teneant. Qui ergo ea agunt quæ à probis et ſapientibus uiris laudantur, hi ſecundū uirtu tem operari dicuntur, ſi ea ex deliberatione egerint. Habitus autem in anima, quo hæc expeditè & ſine cun ctatione agimus, uirtus uocatur. Ipſum autem opus Bo

nam humanum est. Id uerò omnibus his partibus laudabile est. Primum quod Deo similem reddit. Nam etsi Deus uirtutem non habeat, esset enim uirtus Deo melior, si uirtute Deus bonus esset, ut rectè inquit Aristoteles. Est tamen ipse uirtutum principium, heriocaq; uirtus. Herioca uirtus est, cum omne uirtutis genus in unum coit, atque excellenter. In Deo etiam præter id origo ipse est huius, nō ab ipsa perficitur, contrarium huius uirtutis est feritas, unde ad heroicam uirtutē maximè pertinere uidētur prudētia et mansuetudo, nā feræ stultæ sunt ac sæuæ. Prudentia utilißima est nobis, ut insania deterima: ita etiā mansuetudo alijs hominibus maximē prodest, ut crudelitas officit. Ergo per uirtutes Deo quatenus licet similes efficimur. Iisdem etiam prosumus nobis atque alijs omnibus. Quāquam iustus sontes ad necem publici boni causa damnet, priuato tamen officio clementer utitur. ita uirtute omnibus prodest, scelerum fomenta subtrahendo, & quod boni uiri est, in priuata actione clementem & humanum se exhibet. Virtute etiam legibus confirmamur, quib. unio ac ciuilis uita humanáq; cōmoda, quæ aliter stare nō possent, cōstāt. Virtute etiam laus apud bonos & sapientes paratur: quoniā hæc sola laus uera est à sapientib. profecta, & diuturna à bonis: nā malorum dicta non diu constant. sunt enim mala quasi non sint, & priuationes ac defectus quidam. Et qui mali sunt quasi deficientes & manci: itaque & natura

& dißidio

dißidio inter ipsos nihil diuturnum euadit apud illos. Demum uirtute, conscientia bona, & quies, & animi constantia atque tranquillitas, unde felicitas oritur. quare nullus malus inter tot fluctus ac turbationes animi fœlix esse potest. Inde orta dubitatio illa, unde bonis calamitates? quam Seneca, ut solet, sub titulo de Dei prouidentia satis ineptè tractat, nam primo debuit ostendere rei quæsitæ ueritatem, inde quare id contingat inquirere. Vnum Vticensem Catonem uidetur præferre ad declarandum, bonos esse calamitosos: nam semetipsum occidit. Hoc sufficere debuit ad ostendendum illum esse miserrimum: nobis quidem hoc certè sufficit, apud Senecam uerò, qui tantam felicitatem in fortitudine, in uoluntaria morte constituit, nesció quomodo illum miserum & calamitosum pronunciare audeat? sed admittatur concedaturq́; , etiam quod nemo concessurus esset, hoc unum exemplum tãquam clarißimũ ad hoc ostendendum sufficere, quòd præstantißimorũ ciuium exitus sint miserrimi: Illud etiam non rogatus relinquo quòd nesciam, quomodo hunc hominem adeò ut uirtute celebrem laudare poßim, qui soleret inebriari, unde etiam Martialis ridiculum:

Quid nimio gaudes noctem producere uino,
Ignosco, uitium Gaure Catonis habes.

Faceßãt omnia hæc, quãuis apud plerosq́; maxima, Quomodo ostẽdes mihi Catonẽ fuisse probũ uirũ? contendo

tendo ego fuiße improbum, nec prouidentiam ullam quærendam ob hoc in Deo, tanquam scelus sit occidisse Catonem, aut eò compulisse ut semet, si uir dignus uideri uellet, occidere cogeretur. Dices leges seruauit, fuitq; incorruptus, adeò ut iudicia illa iustißima haberẽtur, quibus Cato præfectus esset. Ciuis optimus fuit. Et à toto populo Romano talis habitus est, Vnde illud Lucani:

Sed quo Fata trahunt, uirtus secura sequatur
Crimen erit superis & me fecisse nocentem.

Omnia admitto, & optimum ciuem appellari permittam, contẽdo tamen fuisse peßimum hominem. Lõgè differunt optimus ciuis & optimus homo, bonus homo & bonus ciuis. Ciuis bomus est qui leges ciuitatis saluas esse cupit, Rempub. amplißimam, ciuibusq; bene facit. Id quo studio, ut primum si posset illi dominetur. sed absit in Catone, nõ cagitauerit illud? saltẽ quia nolit quenquam sibi præferri, ipse multis, securiusq; uiuat, & stirps sua ac fama in perpetuum, quomodo humanæ res possunt, propagẽtur, in quibus minimè decipiebatur. An putat ueram fuisse probitatem, quæ foueret tyrannum peßimum totius orbis? Detestamur satellitẽ tyranni unius urbis atq; modestum, hunc satellitem tyranni orbis crudelißimi, dicemus optimum uirũ, quòd tyrannidem foueat? cur non omnes tyrannorum satellites in tyranni uerba iuratos non collaudamus? nam & illi tyrannum saluum esse uolunt? sed cur? ob proprium

commodum

commodum non ob fidem, multo minus ob uniuerso-rum utilitatem: Cum Cato tantas turbas ageret, quis dubitat sui commodi gratia id non egisse? Eo enim potentiæ sedens in umbra, peruenerat, optimi ciuis hac fucata opinione, ut nec Cæsaris sudores, nec Pompeij gloria, nec Ciceronis facundia, nec Craßi diuitiæ illi resistere possent. ob idq́; coacti sint in unũ conspirare Cæsar, Pompeius & Crassus: uixq́; sufficiebant ad hanc tectam tyrannidem uitandam, ni ad arma uentum esset. In quibus cum inferiorem talibus ducibus se uideret, non ob modestiam, sed quia illis imparem hoc certaminis genere se uidebat, sponte ceßit: quod etiam Cicero alio tyrannidis genere certans fecit, sed uiliori hosti quam Cato succubuit, ideò etiam turpius. Cur ergo nõ descendat deorum aliquis ad hunc tyrannidis satellitẽ ægregiũ, Catonẽ dico certe tuendum? o nefas? o impietatem maximã? Sed quid maius etiã de Aristide ac Phocione dicam? fuere præstantes ciues, non boni uiri, munera imperatoria exercuerunt, cædes, oppugnationes urbium, rapinis, incestibus miseris hominibus in seruitutem trahendis interfuere, et ni Deos hos curaret, qui pro implenda libidine nihil pensi habuerunt? Si rapuissent ipsi, & pro pecunia hæc fecisse cõuincerẽtur, nónne sine controuersia facinorosos appellaremus? at nũc pro inani gloriola, pro ambitione id egisse illos certũ est, quid hoc est? non esse innocentes, sed criminis genus mutatum seu potius causam esse? at hæc honestior

rapina.

rapina? at illa multis forsan necessaria? illa laudari nō debet, hæc omnino non potest excusari Hi ciues de legibus contenderunt quas seruare nitebantur, quo consilio nescio, certè non quia probi essent homines, leges multi euertere studēt, plures illas in suum commodum trahere atq; distorquere nituntur: ob id necesse est si hoc uelint facere (præsertim quod omnibus fucus subolet, cuius causa tueri leges adeò mordici conentur) multas turbas magnasq; exoriri, multos sibi inimicos parare, æmulos longè plures: quid mirum est ergo hos uel illos dare pœnas? quandoquidem omnes tyranni sint, sed legum hi autores ac defensores occulti; alij, qui hos oppugnant manifesti. Quot enim ex illis hi sancti uiri trucidarunt? Sed qui trucidabantur nomen subierunt seditiosorum: qui trucidarunt, iustorū ac Reipub. defensorum. Scio iam me intelligi, unus restat qui mihi obijciatur, adeo sæpè iactatus Socrates probus uir, qui cicutam damnatus bibit, cum huic nihil ad sanctitatem deesset. Hic pauper non se unquam tractandæ Reipub. immiscuit, quamuis sæpius potuerit: ciues ad omnē uirtutem hortabatur, tyrannisq; pro ciuium salute, cum euidenti mortis periculo se obiecit. Quid ergo ad hæc dicis? habes multa sanè. Omitto nunc eos qui felicitatem in sola uirtute consistere aiunt: nam de his dicam illud Philosophi: Nec sponte, nec inuitos uera dicere qui in rota pendentem felicem esse aiunt. Dico Socratem eam mortem, quod etiam alias testatus sum, ultro sibi

sibi & quibus ex causis accersisse. Inde etiam antea seductum inani ambitione, quod & Aristoteles insinuat. Quorsum eos qui profitebantur disciplinas, coarguere? non erat hoc uitia reprehendere sed irritare, non uirtutes serere, sed irridere. Non fuit Socrates infelix sed felicissimus, dempto mortis genere. Vixit senex, etenim septuagesimo anno obijt, sanus perpetuò: summa quam ille maximè affectabat gloria, tùm praesenti, tùm post mortem conseruandæ spe. Amicos & cognitos ex omni Græcia, quantum uel alius quisquam antea uel post, seu Philosophos seu ciuitatis principes habuit. Nihil ex necessarijs illi defuit, adeo ut Aristippus dicere soleret, Diuites Athenienses fuisse pœnu Socratis: omnes enim omnia contribuebant, uel non petenti. Sapiens, corpore firmo, uegetis sensibus, natura & instituto fortis: quod ad obtinendam felicitatem non paruo auxilio est. Filios tres masculos reliquit incolumes, amoribus suis aut potitus, aut potiri haud prohibitus etiam illustrissimorum adolescentulorum. Duabus simul uxoribus etiam frui cõtigit, ne quid ad explendam libidinem deesset. In ciuitate demũ florentissima & totius Græciæ emporio. Nec unquàm aliâs ante in iudicium uocatus: raro coactus ire in expeditionem. Addidi de adolescentulis, non quòd non ignorem potius ad infelicitatem, quam ad felicitatẽ hoc pertinere, sed ut iuxta mores illius ætatis corruptos declararem, optatis nihil potuisse deesse. Si modo

felicitas

felicitas iuxta uulgi opinionem est potiri uotis suis. Ille idem conuiuijs sæpe intererat, nihil, cum tamen esset filius sculptoris, tota die agebat, quam colloqui modo cũ eruditis, modo cum adolescentulis in foro circumstante corona: atq; illius sapientiam, ut uulgi mos est admirante atq; laudante. Adeò ut si ausus fuissem committere inanes has rationes, ac disputationem cum disciplinarum solida scientia, atq; ex ea uera gloria, nec mors ea uel infelix, si nõ optata, uel infamis, si non eo inuito contigit: tertium inter felices homines numerassem, pari quasi fortuna, nominis splendore ac uitæ tranquillitate. Hoc igitur uoluit, hoc habuit, quis hunc hominem calamitosum dicere audeat? sed uideamus Antisthenem Zenonem, Platonem, Diogenem, Theophrastum, totq; alios Philosophos, quanquam nec omnino bonos, qui fuerũt undequaq; fermè felices. Sed et cleantes minimè fuit, aut appellari meruit infelix. Et si modo infelicem hunc dicas hominem, natum non factum ira deorum fateri cogeris. Dixi non bonos fuisse hos uiros perfectè, nam ex tot philosophorum sectis nulla efficit hominẽ bonum, sed Christi lex sola homines efficit bonos. At dices, hi non fuerunt felices, fateor: sed id contigit quoniam Christi cultores id genus felicitatis ex professo spernunt, quare nil mirum eos non adipisci quod spernunt. Boni ergo felices sunt eo in genere, quo boni esse uolunt, non qui ut Christiani uiuere uolunt, qui felices autem simpliciter esse. Sed iam tempus est his quæ ad

rem

rem necessaria erant cognitis, ut quod cœperam nunc institutum sermonem absoluamus. Fuerat autem is quo modo homo fælix euadere poßit? Dixeramus tria esse necessaria ad felicitatem, sapientiam, uirtutem, filios. Et quoniam felicitas in uita & operatione perfecta cõtingit: ut hæc commodè possent ad finem perduci, atq; ad opus tribus alijs indigemus, libertate, bona ualetudine, atq; opibus. At de libertate non solum quæritur ne in carcere sis aut seruus, sed etiam ut ibi habites, ubi leges optimæ sint atq; seruentur. De ualetudine bona quantum necessariũ est superius diximus, reliquum est ut de opibus dicamus. At de uirtute & sapientia etiam superius sermo habitus est, & quantum huic generali tractationi necessariũ est, mox subiũgetur: relinquitur igitur ut de Filijs & opibus generaliter agamus, nec non ut nos præparemus aduersus calamitates, si superueniant. nam:

Et præuisa minus tela nocere solent.

Ita ad ingruentes casus paratum esse oportet, sed de hoc etiam posterius. Quod igitur ad filiorum numerũ attinet duo sufficiunt: quanto tamẽ plures habebis tanto securior uiues, ita tamen ut non magno studio, maximè si opes non suppetant, illorum numerum augere cures. De opibus autem si solus sis, metam statuere oportet quantum poßis ex redditibus emere frumentum annuum pro duodecim uiris. Nam si frumẽti pretium creuerit, habebis etiam quo compares reliqua, si uilius fiat

X eodem

eodem modo. Melius est ergo ut frumentum pro reditu habeas, scilicet quantum sufficit ad duodecim homines alendos. Sunt autem libræ tritici X II M D C. ultra ut habeas non est necesse ut soliciteris, si tamen occasio detur, usq; ad duplum peruenire potes: ultra autē oneri potius sunt quā usui. Tria etiā præter hæc habere conuenit, reditum unius anni in numerato semper paratum, ob fortuitos casus. Domum etiam propriam, non tibi locatam. Et industria qua si contingat perire reditus, aut non sufficere, non cogaris mendicare. Quæ autem sit et qualis, in sequenti libro diffusè docebimus. Præterea si filios habueris, reditum augere oportet, frumentum ad alendum sex uiros sufficiens pro unoquoq; filio, tantūdē pro ducta uxore. Cæterum cum his carueris, ancilla una sufficiet ad beatam uitam traducēdam. Sed cum uirtus ac sapientia expedita sint bona, filij bonum onerosum & implicatum, curandum est ut tam tempestiuè eos sucipias, ut cum senecta superuenit, illi iam sint iuuenes, à iuuando enim iuuenes dicti sunt, nam si distuleris ita ut seni adhuc filij sint impuberes, periculum est ne duplici onere grauatus succumbas, cogarisq; illud occinere poëticum:

Tres sumus imbelles numero, sine uiribus, uxor
Laertesq; senex, Telemachusq; puer.

Cæteum ut rem ab initio repetam, postquam iam tātum præfatus sum, ut modo omnia simul intelligere liceat, cum quatuor sint proposita quæ ad felicitatem habendam

bendam sunt necessaria, subiectum quidem quod diximus esse triplex, sapientiã, Virtutem, Filios: Et quæ ad illorũ usum essent opportuna, tria rursus, libertatem, sanitatẽ, opes: Modũ etiã qui est perceptio uoluptatis: & scientiam usus horum. In singulis generibus scire necessario est, quomodo adipisci liceat, quomodo quæ aduersantur, tolli uel minui debeant. Quomodo adipisci liceat non possumus scire, nisi metam sciamus. In principalibus ergo nullam metam statuere oportet. nam quanto maiorem sapiẽtiam, uirtutes ac filios possederis, eo beatior eris. In necessarijs ad usum meta est, ut quam celeriter & expeditè principalibus uti poßis. nam & celeriter & expeditè ad felicitatem ipsam peruenies, atque ideò ad finem optatum, ut diutius beatitatę humana frui poßis. Et licet in principalibus nulla meta sit necessaria, filios tamen suscipere non ante uigesimum quintũ annum, fiunt enim incontinentes, post quadragesimum autem et secundũ imbeciliter plerũq;: nec tamẽ contẽnere natos decet, licet sero ad iuuentutẽ peruẽturos, curare enim oportet ne orb. decedas omnino. Nec in his tamẽ, nec in uirtute aut sapientia id constituas tam esse necessaria, ut uel metu amißionis, uel si nõ perfectionẽ assequaris, infelicẽ te esse existimes.

In uirtutibus uerò ipsis scire docet, quomodo ad utrumq; uitiorũ latus declines, in quibusdã enim perspicuũ est, ut in liberalitate ad auaritiã & prodigalitatẽ: in fortitudine ad timorẽ & temeritatẽ: at in alijs quæ

plures longè sunt, hoc non est adeò perspicuum: uelut in ueritate ad mendacium perspicuum, ad exuperantiā non ita. Et tamen est, cum non rogatus & insidiātibus ueritatem prodis: & si plura dicas quam requirant cuiusdam inanis gloriæ cupidus, ita circa ueritatem etiā peccas. Et si quæ non scis certè, narres atque suspiciones, quamuis uera esse non affirmaueris: potes enim silentio illa transigere. Pietate ad impietatem & ad superstitionem. nam Deus uenerari uult, non tamen hoc cultu indiget. Plures uerò ita agunt, ut omißis necessarijs rationibus ad illum se transferant, quasi indigeat. Mansuetudini perspicuè altera ex parte opponitur feritas, non illa de qua diximus, ea enim est caput uitiorum, sed de qua Aristoteles dixit, minus malū esse quā uitium. Est ergo asperitas uelut in agrestibus capris, ceruis ac tauris: altera autem ignauia, cum nimis socordes tractari nos malè permittimus. Est autem mansuetudo ut nos hic uolumus, Humanitas quasi uirtutū omnium decus quoddam & ornamentum. Clementiæ perspicuè sæuitia, altera parte obscurius remißio & misericordia. Inter iram et stuporem Tollerātia posita est. Prudentiæ, imprudentia & astutia: Beneficentiæ, durities & indulgentia, seu potius qui aliena plus proprijs negocijs curat. Officiosißimum, sed non in bonam partem interpretando. Charitas odium habet ex aduerso, et affectum illum quo quis deperire dicitur, seu insanū amorem. Amicitiæ cum, ut dixi, sit mutua charitas, etiā

eadem

eadem contraria erunt. Verecundiæ, impudentia & δυσωπία, seu nimia uel dānosa uerecundia. Gratiæ ἀχαρισία et redundantia, urbani, scurrilis & rusticus: Magnanimus inter insolentem & abiectum submißumúe. Magnificentia profusionis & fastus ac sordis medium est. Indignatio liuoris & improbitatis, seu nimiæ patientiæ. Aequitas & iustitia in eodem genere sunt, sed ad diuersa referuntur. Aequum enim dicitur quod iustum est uerè & legis interpretatione: iustum uerò quod iuxta legem fit. Quare Aequitas inter seueritatem & legis contemptum posita est. Iustitia uerò inter legis excessum & diminutionem. Grauitas inter morositatem, & leuitatem. ijdem etiam qui & leues et ridiculi appellantur. Intemperantiæ, & abstinentiæ temperantia. Sed continentiæ incontinentia, & nimia abstinentia opponitur. Par enim est ut tantundem ab extremis extrema distent, quantum media inter se. Sūt etiam quædam uirtutum partes: ut fortitudinis patientia, seu in doloribus, seu in laboribus. Et constantia prudentiæ pars, quæ tamen inter duo extrema iacet: ut uirtutes cæteræ, pertinaciam scilicet et mobilitatem. Quædam ex duabus: ut Fiducia seu Fidentia ex prudētia & fortitudine, inter diffidentiam uel desperationē & cōfidentiam uirtus posita est. Moderatio quoq; & Modestia partes sunt prudentiæ, sed modestia etiā ad urbanitatem pertinet. Inter ambitiosum etiam & abiectū uirtus est nomine uacās, quæ liberalitati respōdet, sed illa

in honoribus seruat mediocritatem, liberalitas in diuitijs. Promptitudo etiam media est inter præcipitem & segnem, seu lentum & tardum, uirtuti similis, sed ad corpus potius pertinet. Ingenuitas quoque, honestas, uenustas ex his sunt. At Heroica uirtus & innocentia modi sunt uirtutum, non uirtutes simpliciter. Vna enim omnes eas excellenter comprehendit, altera omnia excludit uitia, ob hoc non inter duo extrema positæ sunt, sed uni tantum opponuntur. Meminisse autem decet uirtutes non esse medias inter extrema, quoniam ex his conflentur: sunt enim quidam auari in quosdam, in alios prodigi, nescientes medium tenere nec liberales. Circa sapientiam (cum non omnem adipisci liceat) quæ ad mores, quæq; ad naturam conducit utilior est. De Deo autem lex nostra plura docet, tum Aristoteles et Plotinus. Mathematicæ autem ante alias: certiores enim sunt. Pingere, fingere, numerare, scribere, canere, pulsare, omnibus præter hæc debent esse cõmunia. Quædam autem nescire præstat, uelut carmina condere, nam carmina quodã furore ut poësis constãt: ob id stultè multa solent furentes ea ratione edere, quæ alioqui non fuissent edituri. Eáq; causa sola tres uidi, quorum unus pecunia grauiter mulctatus est, nescio an etiam grauiore pœna, alter in eculeo deciesocties tortus, tertius publicè laceratus est. Fuit & alius multis uulneribus confossus, quamuis superuixerit. Decent carmina uel eruditos, uel eos qui illis componendis

solum

solum incumbunt. Studiorum uerò naturalium pars optima est, quæ de cœlo, astris, elementorum motu ac quiete, de dijs ac anima & his quæ à morte: adeò ut in horum ac similium contemplationem, uelut miracula moresq; annimantium non malè Seneca Felicitatem (sed melius ut dixi felicitatis partē) collocauerit. uerum hæc omnia ideò ad fælicitatem pertinent, quòd uoluptatem pariant. hic enim est usus.

Cum ergo uoluptas sit cognitionis modus, est enim delectatio ex cognitione, tot modis delectari contingit quot sunt cognoscendi differentiæ. Sūt autem externæ quinq;, tot enim sensus: interiores autē quatuor, Mens, ratio, memoria & uis imaginandi. Dubitatur aūt quænam maior? certè interior his qui illam facilè assequi possunt: manet enim diutius, & memoriæ auxilio quotieslibet reuocatur in actū, ulterius etiā progreditur, estq; rerū nobiliorū, et magis propria homini. Interiorū præstantissima quæ per mētē, est.n. æternorū et immutabiliū: memoria uerò gaudent pueri & imperiti: Mathematica imaginari solemus, atq; ob id quoniā certissima sūt, eā operationē diligere solemus ac magnifacere. Verum ratio homini propria, est & etiā ad humanos usus accōmodata. Exteriorū maior est uoluptas in tactu & gustu, quoniam sunt in materia: uerū cū impuræ sint et communes cum belluis. Quæ ex uisu habetur magis est necessaria et scientiæ propior, quæ ex auditu maior: minima et minore in precio est quæ ex odoratu

oritur.

oritur. Præstat autem ut quisq; est institutus. Et consuetudo, & natura & raritas rei seu nouitas, ac perfectio cæteraq; similia. Ergo uirtutes, neq; earũ opera felicitatis partes sunt, sed cognitio ac delectatio tam operũ quam uirtutum. Sensuum uerò cognitio ad sapientiam pertinet, non quod sentire sit sapere, sed quia cum tria diximus esse principia felicitatis, sensuum cognitio ad felicitatem pertinet, quoniam interiore cognitione exteriorem percipimus, atq; de ea iudicamus: unde Venus & cibi delicati in cane pariũt uoluptatẽ, in homine uoluptatem & felicitatem. Canis enim quia mente & ratione caret, ideò felicitatis est ut alias diximus, expers. Quamobrem felicitas in ratione tantum sita ac mente esse potest, non in sensu uel memoria. Nam de imaginãdi ui uidetur aliud genus, quam quod in belluis esse, dignoscitur. Solũ enim in ea cognitione est felicitas quæ homini proxima est. Ergo in ratiõe & mẽte, & forsan imaginandi ui, si, ut dixi, quod existimo alia prorsus sit facultas ab ea, quæ in cæteris cernitur animalib. Quãobrem Filij & uirtus à felicitate sunt remotiora, quàm sapientia: cum felicitatem pariant nisi ut cognoscuntur. Sed nec sapientia ipsa pars est felicitatis, sed scire nos sapientiam habere ac poßidere, uel habuisse uel sperare nos habituros. Quomodo ergo inquit gloria felicitatem parit? nam ipsa non est sapientia, nec uirtus nec filij? nec sensus aut cognitio aliqua interior? aut ergo plura erunt felicitatis principia quam tria, aut non

pariet

pariet gloria felicitatem aliquã? oritur autem hæc dubitatio quæ & de sensuum cogitatione & multis alijs pariter, quoniam felicitatẽ posuimus in tribus illis primo, postmodum in omnibus quæ uoluptatem pariunt. Sed tria illa felicitatem pariunt solidam ac absolutam, paucis tamen congruentem: hæc uerò omnia communem & magnam certè, & quæ pluribus uel sola satisfaciat, & huic tractationi quæ etiam plebeis hominibus scribitur congruentem, ab Epicuro ortam, et tanquam priorem absolutam, ornantem. Conueniunt tamen ambæ, quod nõ consistunt nec in re ipsa, nec in uoluptate uel sapientia, sed in ea delectatione quæ oritur ex cognitione mentis aut rationis, quòd delectati simus: seu mente, ut in sapientia rationeúe, ut in gloria ac uirtutum possessiõe, aut sensibus ipsis exterioribus. Tam ergo nostra omnis absoluta felicitas, quam etiam Epicuri in ratione constituta est, quoniã ratio quæ est nos cognoscit. Sola ea quæ mente mentem intelligit, dum separamur, momẽtóq; durat, aut aliquoties ripetita paucis momentis, in ipsa mẽte sita est. De qua ut præsentis instituti non est agere, ita si prætermisissem, imperfectam reddidissem hanc tractationem, imò potius acephalam, derelicta opima digniore atque illustrissima parte.

Cæterum postquam felicitas nostra et in spe futurorum, & memoria præteritorum bonorum et possessione præsentium posita est, dubium est an præsentiũ bo-

norum possesio spe futurorum sit maior? nam futurorum longa, & maior plerunq; quã præsentium uoluptas. maiora enim sperare solemus quam eueniãt. Præteritorũ etiã lõgior uoluptas et æquè secura ac præsentium. Oritur aũt *quæstio hæc iure meritò ex dictis, nã fælicitas nostra nõ in sensu uoluptatis reposita est, sed in cognitione illius sensus. Nã et hoc uelle* Epicurũ *per spicuum est.* Etenim *si in sensu & uoluptate reponeret felicitatẽ, memoria præteritarum uoluptatum cum illæ iam è sensu sint dilapsæ, nihil ad felicitatẽ facerent. Cum ergo uoluptas felicitatem non pariat, sed cognoscere se percepisse aut percipere aut percepturum uoluptatem, ipsa uoluptas præsens nihil afferet commodi ad felicitatem. Cum itaque in hoc paria sint, præsens, futurum & præteritum, præteritum: autem longitudine temporis superet præsens quod momentaneum, futurum quoque & longitudine ipsa temporis & magnitudine rei quæ expectatur, uidetur tam futuri expectatio quam præteriti memoria in iucundis maiorem posse parere uoluptatem.* Atque *id etiam ratione colligitur: qui enim poßidet statim ne destituatur ab initio timet, quòd si non timeat ut speret necesse est: felicitas ergo hæc ad futurum potius quam ad præsens pertinet.* Et *similiter si non statim id contingat, sed quòd iã diu poßidet gaudeat? ad præteritum hæc uoluptas ac felicitas pertinebit.* Experimentum *etiam huic ratio subscribit, nam qui ad ciuitatem aliquam inuisendam*

ſendam pergunt, longe maiore uoluptate fruuntur dum in itinere ſunt, & maximè appropinquantes illi, quam cum iam in urbem peruenerunt. Et qui in morbo ſalutem ſperant, liberari ſe cernentes plus gaudent quam ſani iam facti: imò cum ſani ſunt, uoluptatem nullam prorſus percipiunt. Subſcribit huic ratio aliàs dicta, cum in mutatione & reditu à ſtatu præter naturam ad naturalem ſtatum, tantum non poſt reditum medici et experimentum ipſum doceāt, delicias oriri. Alia ratio etiam dicta eſt, ſcilicet quod timor & ſpes maiora oſtendunt quæ expectantur. Quamobrem dicendum eſt, cognitionem illam fieri iuxta quantitatem perceptæ uoluptatis in ſenſu, quæ ut reliqua omnia euaneſcente ſenſu, licet non ſtatim paulatim euaneſcere incipit. At iuxta illam metiri oportet felicitatis quantitatem, quia tamen ex diuturnitate uoluptatis ac perſeuerantiæ augetur continuè illa felicitas: ubi diu permanſerit, ſi eam ſoli uoluptati præſenti comparaueris, maior eſſe poterit. Sed ſi ad eam quæ ex præſenti & proximè præterita conflatur, fuerit comparata, proculdubio minor erit. Si ergo (ut exemplo rem facilius intelligas) anno ab hinc uno puellam poßideā relicturus eā cras, hinc ad annum maiorē ſentiā ex hoc uoluptatē, quā prima die qua illam poſſidere cæpi, niſi ſpē futurā uoluptati diei illius adieceris, nō tamē maiorē uoluptatē hinc ad annū ex hoc percipiā quā hodie,

imò

imò nec quam sex mensibus exactis. nam præsens illa uoluptas cum uoluptate sex mēsium præteritorum maiorem parit animo meo satisfactionem, quàm post annum annuæ possessionis præteritæ memoria. Eademq; ratio de futura spe, concepta felicitate seruanda erit.

Iuxta quam quòd quærere uolebamus, disputandū est, an maior sit felicitas senis uel iuuenis? Neq; enim dubium est quin omnia quæ non sunt in extremo constituta, incrementū non assequantur et diminui non possint. Deo quod supremus sit, ut nec puncto, quod minimum quicquam maius non est neque minus. Maius tamen puncto, & minus Deo dicere consueuimus: sed de felicitate tametsi perfectum sit bonū, haud dubium est quin aliqua maior sit aliqua minor. Maiorem in iuuene pleriq; existimant, quod iuuenum nullus senē se esse malit, senes omnes uellent se esse iuuenes, & de hoc uno conquæruntur? si igitur bonū est quod omnia appetunt, bonum est iuuentus, malum senectus, in bono aūt est constituta felicitas, non ergo senectus felicior, imò nec felix. Senectuti etiam proxima mors, sensus hebetes, languidæ uires: in his autem aut tum his felicitas. senibus igitur parua uel nulla felicitas: At è diuerso senex uoluptate secura iam præterita fungitur, securior etiam in filijs quos habet iam grandiores uirtute ac sapientia præstat, uitia abolita, tranquillitas maior, maior à laboribus quies, minora pericula. Si igitur felicitas in animi tranquillitate cōsistit, ac scientia multarū

rerum,

rerum, felicior erit ſenex quam iuuenis. Habet hæc quæſtio plura capita, ſi enim ſtatuamus animos immortales, haud dubiè felicior eſt ſenex iuuene, ut qui iam prope metam eſt, ſuperauitq; labores, & curſus pericula. Sin autem mortales adhuc ſtatuere aliter atq; aliter decet, aut unū iuxta populi opinionē, atq; ſic iuuenis felicior eſſe dicetur, ut qui omnibus bonis corporis polleat, ſpeq; diuturnioris uitæ præſtet: ſin autem ſapientum, ſenex ob ea quæ dicta ſunt fælicior eſt exiſtimandus. Porrè uelle apud duos contrarijs legibus iudices utentes, eandem ſtatuere ſententiam, non eſt arguti hominis aut ſapientis, ſed inſani. Propterea his relictis iam tādem ad uſum eorum, quæ ad felicitatem pertinēt deueniamus, idq; primum ſtatuamus eum qui felix eſſe uelit, oportere omnino non res ipſas augere, ſed minuere cupiditates, non quantum habeas aut deſit pecuniarum, honorum, amicorum, opportunitatis, conſidera, ſed ſolum quantum ſit tibi neceſſarium. Omnia etiam quæ non ſunt utilia præſcinde, ne tibi occaſio infelicitatem pariat: Vt enim arbor ramis præciſis licet deformis firma manet aduerſus uentorum impetus, patula, ſpecioſa licet ſit, extirpatur: ita homo negligens non neceſſaria paucioribus cum impedimentis & tutius ad culmen felicitatis peruenit. Dicebat Seneca quod uelut in tempeſtate qui enatare uolunt, nudi enatant: ita ex hac uita tempeſtuoſa non enatabit quiſquam niſi negocijs uacuus. Ego licet ſententiam grauem & ſimilitudinem

tudinem comptam uideã, congruentiaq; uerba, futilem tamen camparationem esse cerno: quomodo enim uita sine negocijs? quomodo quis enatabit è uita? qui è mari enatant seruantur, qui ex hac uita, iuxta illius sententiam toti pereunt: ne tamẽ frustra illa uerba huic libro inseruerimus, dicamus eum qui nolit perpetuò fluctuare in hac uita, sed solum natare in ea, oportere esse explicitum ab omni onere atq; impedimento: uel ut nauis oneraria cum onusta est surgente tempestate magnò uersatur in periculo, uacua superat undas: ita uita nostra negocijs oppressa, si bellum, seditio, aut alia calamitas superueniat, mergitur. Atq; id rebus ipsis & experimentis congruit. Quidam cum emisset frumentum belli spe, & ob pacem euiluisset, laqueo se suspendit. Alius cum arma in bello principi uendidisset nõ numerata pecunia, illo succumbente perpetuò in posterum mendicauit. Alius cum in pace multa emisset, bello superueniente direptis quæ emerat, dolore perijt. Ergo qui in sui potestate collocat ea quæ ad felicitatem pertinent, is felix est prorsus: sed non possumus? uerte igitur & dic qui felicitatem in his collocat quæ in nostra potestate sunt, huic facilè erit felicitatem assequi, & de ea assequenda securus erit. Quod si sinistri quicquam euenerit, non euertitur à fortuna, sed concutitur. Quid enim stultius quàm felicitatẽ in casibus collocare, qui ut secundi eueniant non nostri est arbitrij, sed fortunæ aut alterius potentioris causa? Itaq; accipere beneficiũ arbitrij

bitrij

est dantis, impendere nostri. in præstandis ergo beneficijs felicitatem nostram collocabimus, nõ accipiendis. Sic honesta desideria, læta uita, operatio secundum uirtutem, studia sapientiæ, recta consilia fermè semper in nostra potestate sunt, et secura eorum possessio. ideoq; in huiusmodi rebus collocanda felicitas. Est enim arbitrij nostri, felicitatem in quacũq; re uoluerimus, modo uel bona sit, uel differens: ut potẽtia, diuitiæ, robur, collocandi. unde homo fermè semper tàm felix est, maximè sapiens & fortis, quãtum se esse uult. Cum enim felicitatẽ in his collocauerit quæ prorsus sua sint, imò quæ iã possidet, planè is omnibus numeris felix erit. Vnde qui dixit, cognosce teipsum, melius forsan dixisset, tibi ipsi impera: in illo enim magnũ est bonũ, in hoc uerò summũ. Est aũt hoc illius qui prudens sit et fortis, usuq; assueuerit, paulatim sibijpsi imperare, atq; id assequimur cupiditates cõprimendo. Qui sibi imperat similis est equũ freno regẽti: qui aũt assueuit iã cupiditatibus imperare, equũ mansuetũ cũ freno equitãti: qui nõ imperare assueuit, nec imperat cupiditatibus, equitanti agrestẽ equum absq; freno. Primus igitur maximis cũ difficultatib. seruabit se: Secũdus sine difficultatibus et periculo lætus, et cũ uoluptate peraget propositũ iter: tertius aut ab equo excutietur, aut agetur in præceps. Solus ergo sapiens felix esse potest, quia quæ cupit possidet & securus, nec putat sibi quicquã deesse. Ostendemus hæc infra ad felicem pertinere, licet ad felicitatem

non

nõ sit necessariũ ut securus poßideat. Sapiens igitur cũ tutò quæ cupit poßideat, nec putet sibi quicquã deesse, quòd omnia hæc in sua sint potestate fælix est: alij nec tuto quæ habẽt poßident: imo nec securi, cognoscuntq; multa sibi deesse, quantumuis suas opes ac potentiam ostentent: non igitur etiam secundum Epicurum qui sapiens non est, felix esse potest. Si ergo sapiens fælix esse potest? qui sapiens non est, fælix esse non potest? solus sapiens fœlix esse potest. Sapientiam ergo totis uiribus quærere oportet. Quòd uerò arbitrij nostri sit ubi nobis imperare didicerimus, quocunque uoluerimus fælicitatem collocandi, ex hoc manifestum est, quod cum explere cupiditatem iucundum sit, et iucundi possesio pariat fælicitatem: & si omnes; ut dixi, ramos ex arboris trunco præciderim us, in ipso trunco iacebit tota fælicitas, nihil aliud nobis ex decreto optantibus. At cupiditatem nostram ex conceßis in eo qui sibi imperat, quocunq; uoluerimus transferre licet, atque ibi collocare: certum est igitur absolutam felicitatem in quocũque sapiente qui sibi imperare poßit, quacunq; in re uelit, constitui posse.

Iam ergo Felicitatem absolutam in manibus sapientis qui sibi imperare poßit, irretitam habemus. qua in re igitur illam collocabit? seu quibus in rebus? cũ plures sint res necessariæ etiam sapienti, etsi posit sibi imperare. Vtpote quæ ad uictum requiruntur et existimationem retinendam. Quid melius quam ut in sapientiæ

studijs

ſtudijs? Qui enim utilia ſcripſere documenta, ſucceſſorum ſunt procuratores. Idem ergo et de nobis ſi ſtuduerimus, ſi inuenerimus, ſi ſcriptis mandauerimus, poſteriſq; tradiderimus: oportet autem ut antea dixi, in ſtudijs habere delectum & in authoribus, ut præcipuis inſiſtamus. Quod ſi aliquando relaxandi animi atq; recreãdi gratia ad illos nos conuerterimus, ſtatim redeũdum (quandoquidem uita noſtra adeò labilis ſit & breuis) ut ad metam ſæpe quam primũ perueniamus. Etenim ubi ad ſapientiam peruenerimus, erimus quaſi in tuto: eſt ſapientiæ nomẽ uenerabile, nec unquam adeò malitia præualebit, temporaq́; infeſta erunt, quin philoſophiæ nomen ſacrum nõ ſit. Verum nec publicè profiteri neceſſarium, ſed non tam ſtudijs præſtare ſe ſapiẽtem, quam etiam actionibus. Nec uelle leges euertere, ſeducere plebem, certare cum imperitis, gloriam docẽdo captare: ſed ſapere & occulere, temporumq́;, loci, conſuetudinis, imperantium & hominum cum quibus uerſaris rationem habere: confidere etiã in iuſtis actionibus, & quod æquiſsimum eſt ſperare, ſi tamen perpeti cogaris iniuſtiſsima: ſi aduerſæ, ſi etiam dolores ac cruciatus, æquo tu animo fer, tecum dicens, multa & ego feci & horum non ego cauſa fui. Quid deterrimũ eſt quo te afficere poſsint? cruciatus & mors? at quales cruciatus perfert podagricus et nephreticus? imò puella dum parit? & quam commodè illa ferunt? Et tu cum tua ſapientia his uilior eris? Sed manent diutius? deeſt

nobis quod illis præsens est solatium? Sed & hoc quod dixi rarißimum est. Duo ad *summum aut tres philosophi periere tyrannica ui*, Anaxagoras, Socrates, Anaxarchus. *sed duo posteriores nolētes, ne peruicacia dicã sua: de primo etiam dubiũ est, an culpa sua perierit.* Certè à Pericle tũ, qui rerũ Athenis potebatur, defēsus est. At de morte plura quã etiã forsan opus erat dicta sunt. *Excute igitur metũ, ne hæc prouidētia futuri, nulli usui, tibi inutilis futura sit. Certè beluæ lōgè nobis in hoc beatiores sunt, quod solũ præsentib. periculis moueantur.* Maior *semper fermè est timor quã res ipsa, et calamitas quã expectamus.* Cum *etiã persæpe ea nõ superueniat, inanisq; sit hæc perturbatio, & frustra discrutiemur.* Excute *irã quæ non pro causæ rõne accēditur, sed pro fomite quē illi subministras.* Est.n. *uelut ignis qui quãtũuis exiguus, plurimũ in stipulis et palea augetur, omniaq; deuorat, magnus ubi lapides inuaserit, extinguitur nec obest, quot præcipites ira egit?* Ab *omnib. reb. quæ magna afferũt detrimēta abstine: hæc enim infelicem semper aut saltem maxima uitæ parte hominem reddunt: cuiusmodi sunt cædes quæ non in ultionem factæ sunt, sed illam irritãt: amores puerorũ atq; nuptarum, in his omnibus res tempusq; perit, pericula, infamia comitatur conscientiaq; sceleris :* Et *quod in his duobus ultimis maximum est, pendes semper ex alieno arbitrio, quod cum felicitate è regione pugnat.*

Iam uerò si non sapientiæ operam dederis, fælicitatē proximo loco scilicet in uirtutibus colloca, nā hæc uoluptas perpetua est munda, syncera, laudabilis, rerū quæ arbitrio fortunæ regūtur, incōstans, fœda, cruciatui mista, infamis. Vt hoc agas cōmodius, pædagogū tibi statue. i. amicum, cui omnia quæ agis etiā occulta, ut aliàs dixi, reueles. Tūc uerò profecisse te scias, cum tui pædagogus factus eris, & tui ipsius puduerit. Nec à Deo illa pete, quæ si homines audiant, pudore afficiaris: quam iniquum est à Deo petere audere, quæ nō esses ausurus petere ab hominibus? Id ergo est sibi amicū factū esse, cū homo sibi potest imperare, ac semetipsum corrigere, nam horum utrūq; in amicis possumus. Pauci tamē sunt qui sibi sint amici, nā qui amicus est sibi, uitia odit: illa enim inimica nobis apertè sunt, et nobiscū bellū perpetuò gerūt, & nos in summas calamitates protrudere conātur. At nos, nos ipsos nō amantes, illa non odimus, sed tanquā cū amasia cum ipsis litigamus, & de illis conquerimur: habere enim cupimus, sed offendi ab illis nolumus. Quia enim nosipsos stulto amore non uerò diligimus, diligimus etiam affectus nostros atque cupiditates nō secus ac adulatores: abblandiūtur enim nobis, ideò etiam uitia cupiditatibus & uoluptatibus iuncta diligimus. Et quamuis quod rectum est, & quod non rectum dignoscamus à uitijs, tamen ipsis spoliari metuimus, tanquam uoluptatum lenonibus, ne cum lenonibus discedant amasiæ nostræ uoluptates.

Demum si adeò uirtutibus nondum perfeceris, saltem constanti animo esse discas, et senes imitare qui solum uera timent: nam pueri etiam laruas et personatos timere solent, & quicquid imaginantur, nec ab hoc uitio immunes sunt iuuenes: ut uerò nõ timeas, nec ama, nec spera immoderatè, ut Cato docebat, ut nõ ames spe resúe immodicè, uilia ama, uel quæ prorsus sint in potestate, & parua spera: sperabis parua si parua concupisces & modicis rebus contentus fueris. Spes enim malorum certiores sunt quam bonorum, et euentus etiam frequentiores: quoniam mala ut eueniant, auxilio nostro non indigent, sed nolentibus nobis eueniunt, bona multa nisi nobis consentientibus, imò semper fermè curam exigunt nostram. Quare & malorum prædictiones ueræ, bonorum plerumque mendaces. Ergo ubi in paruis & securis spes tuas atq; cupiditates collocaueris, cuipiam industriæ, si nec sapientia nec uirtus suppetunt, te totum trade, & illi operã da in eius possessione, incremento, opere, utilitate, laude fælicitatem tuam collocans. Quod multos fecisse uidi & beatos euasisse, non solum proprio eorum iudicio, sed & aliorum & præcipuè principum. Quæ uerò felicitatem maximè impediunt duo sunt, uitium naturæ, impatientia, cum aliud statuimus uitam beatam esse, alium uiuendi modum. Velut cum sint tria uitæ genera, pium, sapienter, & iuxta existimationem, hoc autem est Christianè & secundum Peripateticos, & secundum Epicurum: feli-

citatem

citatem autem quis statuat iuxta communem uulgi existimationem, si Christianus autem uel Peripateticus uitam duxerit, in maximas calamitates incidet, & uitam miseram ducet. Qui uerò contra egerit, felicißimus erit: Vt si fælicitatem iuxta legem constituat, uiuat autem atq; rebus suis prospiciat ex naturæ instituto.

Hactenus igitur de generali uitæ institutione dictum sit, quæ in cura horum quatuor reposita est, sapientiæ scilicet, Virtutis, filiorum, & industriæ, comitante uoluptate honesta omnium sensuum, memoria quoque & spe illarum tum securitate. ne quid omnino desit, seu ad explendam fælicitatē, seu eorum quæ poßidemus tanquam ad felicitatem necessariorum, quantum tamen in humanis securitatem obtinere licet. Quod etsi omnino aliquid præter expectationem mali successerit, sat sit tunc dolere, si modo dolendum erit cum euenerit: interim de his quæ poßedimus iam gaudere. Et ut Epicurus dicebat, compensare præsentem iacturam cogitatione præteritæ uoluptatis. Est enim fælicitas unum quoddam quasi homogeneum, & simile sibi undequaque: uelut terra, aqua, caro, ut deffinitio illius & toti & parti eadem sit, ac ex æquo competat: pariter enim dicimus guttam aquæ, aquam & amphoram aquæ, & totum elementum aquæ, similiter aquam: ita & de felicitate statuen

dũ est. nã quæcunq; minima pars fælicitatis, & tota simul fælicitas hoc nomine fælicitatis cõpræhẽdũtur, eademq; deffinitiõe quæ est: Voluptas animæ orta ex oratione cognoscente possessionẽ rei iucundæ. Manifestũ est igitur quòd cognitio hæc de possessione, ut dictũ intelligitur, de quacunque possessione, & quocunque tempore, præterito, præsenti & futuro, modo sufficiat ad generãdam uoluptatem in anima. Differt autem fælicitas in hoc à stultitia, quod licet stultitia poßit esse cum uoluptate animæ, orta ex ratione cognoscente possessionem rei iucundæ, non tamen ex cognitione rationis, sed falsa opinione orta est talis uoluptas. Vnde nec illa habuit, nec ex illa orta est, nec potest esse constans, nec anima quæ uoluptate illa perfunditur integra est, & ab alijs etiam exterius irridetur. Vera autem fælicitas non semper facit felicem. Vnde multum differunt esse felicem & poßidere fælicitatem: omnes enim ferme poßident fælicitatem aliquam, quamuis multi minimam: fælices autem uix unus aut alter in una urbe. Oportet ut fælix sit, absolutam poßidere fœlicitatem, ut nihil desit, & securum esse de hac possessione. Diximus autem quomodo securus esse poterit. Vt uerò sit absoluta & nihil desit, id contingeret si in paucis, si in paruis eã collocet, circumscribatq; omnia quæ non sunt necessaria. Vt uerò nihil desit etiam, id est ut non interrumpatur ab aduersis: de

præsentibus

præsentibus quidem malis satis diximus, tum etiam de præcidendo omnino metu futurorum, de præterito rum autem malorum memoria, in tuo arbitrio est ser uare iucunda, obliuisciq; errorum atque malorum. Ob id non inepte dicebat Themistocles se cupere mul torum obliuisci, tanquam memoria illorum fælicem eum esse prohiberet.

In futurorum autem expectatione spem tuam sem per inter duo colloca, quorum utrunque iucundum sit, sic enim semper fælix eris. Velut inter amici expecta tionem, & studium aliquod gratum. Inter filij capti li berationem & Hymeneum, aut uitam à curis solutam, cum ille fuerit nequam. Semper autem occasio horum est.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE VTILITATE CAPIENDA EX ADVERSIS.

Liber III.

DE PRINCIPVM INcommodis.



SVFFICERE *poterant hæc quæ dicta sunt ad persuadendũ, hominibus nec diuitias nec honores, nec fœdas uoluptates esse necessarias ad bene beateq; uiuendum: nisi quemadmodũ et in morbis corporis accidit, ut quidam tanta scabie laborent, ut existiment summam fœlicitatem in scabendo esse repositam: ita pleriq; beatos se non posse esse credunt, nisi maximas opes adipiscantur, primos occupent honores, et exquisitißimis ac plenis uoluptatibus fruantur. Quos eo ipso decipi conuincam, quòd cum ad ea omnia peruenerint, haud cõquiescunt: & qui ex his modestiores fuerint, finemq; aliquẽ adipiscendo imposuerint, nullam tamen percipiunt uoluptatẽ, sed solum dum adipiscuntur, adepti quòd non doleãt, non egeant lætantur. Indicio igitur est ob id lætatos antea, quoniã indigere se existimabant, nã aliter*

uoluptatem

uoluptatem in acquirendo non cæpissent, cum ea quæ parta sunt iam non delectent, nisi antea doluissent: dolebant ergo ante & tristes erant, igitur cum nulla alia ex causa, palam est eos esse persuasos, quod indigerēt. At cum non indigerent, quippe qui plus satis habeant, quam quod sufficere homini uni diximus, certū est ob errorē atq; deceptos frustra doluisse, frustra ergo etiā laborasse, triuisse igitur perperam tempus, corpore fatigatos, animi curis oppressos, uitam etiam inani dolore minuisse. Cur ergo sanos hos homines esse dicas? & cur illorum non misereaeris? Sed hæc adhuc scio illis nō sufficiunt. Age dum extrema consideremus, quis potentior aut ditior principe, cū omnia tibi ex uoto successerint? imo ultra uotū, nec eò peruenies ut sis princeps, sed fac ut peruenias, dico te miseriorem mendico futurum. Volo autem ut ualetudine, robore, forma, sapientiaq; sint pares. Quid ais dicis? insanisne? aut insanum me putas? uel iocaris? aio ita esse, nec iocor, iudicem temet constituo qui hæc legis, non alium requiro, Rectène sapis aut deliras? Credo me sapere, rectè imò etiam rectißimè, nec delirare. Omitto etiam quæ de animis à lege nostra produntur, nam res sic in maximo discrimine posita esset: nihil enim non coguntur regni tuendi, atq; prolatandi eius terminos causa facere principes, nō iugulāt hi hominē, sed integras urbes, exercitus, noxios & innoxios, mares ac fœminas, uiros et infantes, imò etiam qui nondum lucem uiderint, sana ac profa-

na ſpoliāt, omnia ſub eadē lege tenentur. Et iuſtum eſt quodcūq; libuerit. Sed hoc extra aleā. Animā tāquā nulla ſit omittamus in hac cauſa, de præſentib. ſolum bonis diſſeramus. Aio præter hoc unū quòd impunè homines iugulare poſſunt, ac præter illā felicitatis falſā imaginē, cū hi qui aſsiſtūt & nudo capite, & flexis genib. tanquā deos adorēt, aſtare cogūtur, pompāq; illā auri argentiq; expoſiti atq; gemmarū, quaſi argentarij ſint atq; gēmarij, quæ omnia etiā ad felicitatē nihil prorſus facere inferius oſtendā, ſi nō exiſtimes hoc eſſe fælicitatē inuidiā mouere, quēadmodū pueri ſolent, principes eſſe miſerrimos: et ut ab initio dixi, deteriore conditione quā medicos. Sed & illud condono ne ſint tyranni, ne te reuocem ad Democlis exemplū apud Dionyſiū, ut facile uincam: uolo eſſe reges aut principes à tyrannide ſepoſitos, & longa etiā ſerie maiorum in dominatione perſeuerantes, atq; eo magis hæc adijcio, ne quis nouus in principatu læſum ſe poßit ſuſpicari. Miſeram omnium conditionem eſſe aio qualeſcunque ſint, die, noctu, domi, foris, inter ſuos & alienos, in pace & bello, ſanos & ægros, ab uxoribus, à filijs in conuiuijs illis ſumptuoſis, in furtiua uenere, in rerum ſcientia, in oculorum & aurium uoluptatibus. Si de his omnib. te conuicero, an adhuc dubitabis me non uera propoſuiſſe? Iam primū à diurnis operib. incipiam, in quibus totus dies in audiendo ſubditorū querelas abſumitur. omnes petūt, ſi qui illis donāt, ſunt dona Granorū, nulla hora

ſupereſt,

ſupereſt,imò nec ipſa dies ſufficiet, ſi omnes admittantur?nã quorſum tot hoſtiarij, niſi ad multitudinẽ illam clientũ explodẽdã? non ob cuſtodiã, cũ illa ex Germanis militib.cõſtet. Nõ multũ laborabo hac in cauſa,cũ nemo tã ſit principũ addictus cauſæ, qui hac in parte nõ fateatur eos priuatis omnibus inferiores. Succedit nox,nec illa minus laborioſa ſcribẽdis ſecretiorib.epiſtolis: has plures eſſe neceſſe eſt, quoniã & plura quã cæteri negocia habẽt, cũ principib. alijs, cũ affinib.cũ miniſtris. Adeſt à libellis cũ faſciculo mandatorũ quæ ſubſcribere cogitur,nõnunquã etiã legere.Hæc diuina opera atq; nocturna quæ nũquã ceſſant,et ob id à poẽtis fabula Siſyphi declarata:Vnde illud pulchrè:

Aut petis,aut urges rediturum Siſyphe ſaxum?

Sũt quidã inepti qui dicũt omittere põt princeps hũc laborẽ.Princeps ſi hoc agat,Seianum ſibi ut comparet neceſſe eſt,à quo metuat,& tãdẽ ipſe cũ familia excidatur ferro uel ueneno.Principũ tria ſunt genera:Violenti et tyranni qui ſemper metuunt, non tamen ſemper fraude aliena pereunt: contempti qui ſemper pœnas dãt,nihil enim adeo certum affert exitum principi ut contemptus, qui ex inertia & luxu accidit: Et boni qui & moleſtia hac carere non poſſunt,uelut inertes & qui iniuriam nemini faciunt, atque ob id à tyrãnis diuiſi.Nec in tot ſeculis ſi id fieri poſſet, ut propria et publica negocia nõ tractarẽt, defuiſſet exẽplũ cũ nullius ſceleris,nullius mõſtroſæ luxuriæ,nullius flagitioſæ

gitiosæ uitæ in eis defuerit, nec quicquam intentatum. Tiberius seceßit, Nero crudelißimus fuit, & in scena publicè se prostituit, suxit inguina uirorum, Vitellius in popinis, Heliogabalus in lupanaribus, Cõmodus in uenatione & ludo gladiatorio fœdißimus imperatorum. Seuerus Afer nulla causa trucidabat homines, octuagesimum annum excesserat, omnes tamen his laboribus incubuerũt. Sit satis hoc ad ostẽdendum, nullum principem hac miseria carere potuisse aut posse. Domi uerò cum omnia habent quieta, plena perpetuò est aula strepitu (ubi multitudo, ibi clamores, strepitus, cõfusio) triclinium, cubiculum, omnia plena hominibus, ut uix respirare posint. Ex ordine stato adsunt cubicularij, pueri, domestici, inde frequenter ex magistratibus, ex amicis, clientibus, musici, & principum nuncij, ipsiq; principes. Adeò molesta res est hæc, ut quemadmodum dixi, Tiberius in perpetuum secesserit, Augustus sæpe, alijq; omnes quam frequentius potuerunt principes. Hic rursus dicis, cur non expellunt? & uacuam regiam efficiunt? nõ scio, aut si scio non uacat dicere, certum est ita esse, nec huiusmodi rerum quicquã intentatum fuisse, fieri compertum est non posse. Solus Domitianus hoc ausus est facere, atq; id malè illi cesit, nam & solus cum esset occisus est. Cum minimum adest familiarium, nunquam sine quatuor aut quinque esse possunt. Sed & hoc quã exiguo illis tempore licet: sed cum etiam dormiũt in cubiculo sunt alij, ut & peditus

aliorum

aliorum saltem dormientium audire cogantur, & ipsis uix pedere liceat. Hæc est felicitas principum. Sed aufugiunt? secedunt? interim quouis etiam priuato in ipso itinere miseriores: si puluis est in uia, quanto cum puluere hi equitare coguntur ob turbam? nam equestri custodiæ uale dicere non possunt: indecorum enim est, & periculosum etiam optimis principibus: sunt alij principes, nobiles, necessarij quorum importunitatem etiãsi nolint, perferre coguntur. Accurrit etiam persæpe morio molem pulueris excitãs: opportunè aduenisse illum fateri oportet, ac ridere simul, quamuis molestè id ferat. Ita mos est, sic consueuerunt, et qui lege nulla teneri quamuis optima poterant, leges graues (consuetudines scilicet absurdas) sponte sibi ipsis imposuerunt. Sed ut hoc efugiant calamitatis genus, maiorem subeunt, & per angarias iter peragunt, tam periculoso & damnoso exemplo, ut hoc genus ita agendi inter supplicia acerba etiam numerari poßit, incommodè sedent, periculosè cursitant, plusquam oporteat prominent ab ephippijs, crura contracta molestè ferunt, ne cœno impediantur: & corpus ipsum, quod peius omnibus est, ita concutiunt, ut uentricula & uiscera omnia labefactent: unde morbi, tristisq; senectus, ipsaq; mors multo celerius aduenit. eoq; magis, quod nec à cibo, ut par est abstinent, nec ut deberent uinciuntur. Tandem ad secessus locũ peruenitur. nec tunc quicquã habent melius priuatis hominibus. Sed omnia turbulẽta, & an-

& antequam singula disponantur, & ipsi incommoda multa patiuntur. Et quanquam minora illa sint, maiora tamen sibi uidentur, quoniam consuetudine et diuturno luxu adeò languent corpora principum: ut dolores, et incommoda omnibus alijs hominibus plus sentiant, uoluptates autem minus. Indicio est, nec in secessibus illos conquiescere, quòd rarò ibi diutius maneant, & certè magnis cum difficultatibus tot homines in locis solitarijs uiuere possunt, & extra urbes: & qui in urbibus sunt, principis præsentiam requirunt. Quòd si hyeme iter faciendum sit, luto onerantur ob multitudiném, & seligere illis uiam tàm facilè, haud licet ut priuato. Iam in bello quanti labores? quot curæ? metus etiam? sed suspitiones longè frequentiores, pericula priuatis non minora? quandoquidem unus ipse ut belli caput, ad necesse ab hostibus expetitur? In pace uerò inter alienos minimè tutus, inter suos quantis agitatur et fluctibus & æstubus? sine personarum conditionem inspicias, inter fures, scurras, adulatores, constitutus est. A furibus bona diripiuntur, à scurris mores corrumpuntur, & ut quisq; melior est ex aula abigitur, ab adulatoribus ueritas summum inter mortales bonum ablegatur. Vnde miseri principes propter has laruas in Cimerijs, ignorantiæ tenebris perpetuò uiuunt. O miseram principum sortem, qui nunquam norunt, quali in statu res suæ positæ sint. Adeò uerò aures principum emollitæ sunt, ut ad ueritatis nomen tanquã ad

Nili

Nili Cataractas obsurdescant. Ab his non solum omnibus bonis amicis spoliantur, sed etiam beneficiorũ gratia. nam ubi in quenquam beneficium contulerint, uel hi in quos contulerint, ab his antea emere, uel saltẽ ubi acceperint non principi, sed illis acceptum referre coguntur. Se enim authores fuisse persuadendi, & alter pro altero mutuũ scabentes, ut multi id testãtur. Quippe cõiurati omnes ad fallendũ principem, ad furandũ, ad persuadendum his qui beneficium acceperũt uel accepturi sunt, nil agere principem nisi ex socij præscripto, omnes qui beneficiũ acceperint in ipsum principẽ reddũt ingratos. Quòd si unũ eximere uelit princeps, uix potest ob omniũ aliorum preces quæ à minis parũ absunt: eoq; tandẽ pulso uelut parua quantitas uini ab aqua fluminis absorpta, statim in aquã transit: ita qui denuo subrogatur in illorũ mores concedit, nõ priore melior, sed minus ad fallendum exercitatus ac promptus. Itaq; quod summũ existimas & esse contendis bonum in principe, diuitiæ, non principis sunt sed dispensatoris, procuratoris, cubicularij, coqui, lenonis, scurræ, adulatorũ, milleq; aliarum pestiũ, à secretis, à libellis, ab epistolis, thesaurariorũ, prægustatorũ, magistrorũq; aulæ. Sed nulla maior authoritas quã lenonis, post quæstoris, inde eius qui est à secretis, sed & cubicularij ex horũ sunt gnẽ, post medicis. Hi oẽs in unũ cõueniũt ne quid illis percat, ut quãtũ poßint rapiãt, ne quid rescifcat princeps: in alijs discordes pugnãt, et inimicitias

exercent

exercent inter se capitales ob inuidiam. Scurrarum uerò peculiaris quædam calamitas, qui ad omnia minus honesta hortantur principem, ut sibi similibus faueāt, & ut opes profundant in pessimos quosq; atq; inutiles homines, mimos, ludiones, saltatores: in eos autem quibus debent uel propter singularem artis operam, aut diuturnam seruitutē, aut merces illis sub fide creditas: aut quia ob suam salutem manifesto periculo se exposuerint, nec obolum quidem impendant. Nihil horum genere peius. Sunt autem quidam natura minus mali, sed magis procaces, quidam studio qui pessimi sunt. E quorum numero fuit is qui Florentiæ principem occidere conatus est. Horum ergo apud principes maxima est authoritas. Quæris cur? & cur tam inutilibus animalibus prosit tantum donare pecuniarum? Non ineptè forsan primum, nam scurræ in penetralia principum aliorum ingrediuntur, cum proceribus uersantur, tum etiam cum populo, imò plebe: unde principis nomen fit illustre, fama grandescit, gloria illius omnib. nota fit, simul timetur atq; amatur. Scripta & libri nomini suo nuncupati, non adeo mouent hominum animos, ut hi uiri: cum nō ad multitudinem nec alios principes tam cito perueniant, hi enim lectione librorum haud uacant. Quòd etsi tam citò & scripta ad hos omnes ut scurrarum uoces peruenirent, minus tamen illorum animos mouerent, quam uiuæ uoces horum balatronum. Etsi scripta ad posteros demigrent, parum curant quæ

runt quæ post mortem illis euētura sint: deinde ab illis decepti rursus sperant ab obitu, uel sine scriptorum auxilio omnibus, quemadmodum etiam dum uiuunt, notos futuros. adeò uerò illos tum hi tum cæteri adulatores è sensu proprio exturbant, ut similes dijs esse se sibi persuadeant. Et ut Satyricus ait, laudant:

Sermonem indocti, faciem deformis amici.

Ita dij illi miseri, morbis, inopia, seditionibusq; ex inopinato opprimūtur: at hi statim cum præda diffugiūt, & ad alios luxuriosos se conferunt, nihil præter infamiā stultis illis relinquētes, tum etiam odia bonorum. Nam à suis decepti multipliciter errant: primum differentes bene agenda tanquam perpetuò uicturi, cum tamen, ut dixi, etiam in his qui ad extremam perueniunt senectutem dici poßit, mors ortui cohærere: quāto magis si quid antea præter spē accidat? Deinde quod tempus cuius maxima inopia urgentur, quantulūcunque exiguum sit, non solum dilabi patiuntur, sed etiā quod moretur & tardet quærunturʔ Vide quod stultitiæ genus? & quali errore teneanturʔ Existimare se maximā copiam eius rei habere, cuius maxima penuria laborent? Tertium quod ab his impulsi, bonos uiros & frugi ablegant, alios iniurijs afficiunt, ut sic commodis simul suis priuentur, & ex amicis hostes sibi pariant infamiamq;. Demū quòd in inutiles res atq; homines pecuniam & opes profundentes, suismet manibus confoßi dici mereantur. Sed quòd hæc tam perperam pro-

fundat ut sibi uidetur, quemadmodũ dixi, non absurdè faciunt. In plerisq; enim principibus hæc donatio esca est, nõ liberalitas. falsa enim ratione musici, satellites, mercatores, artifices, aliiq; qui industria sua uiuere solēt, sic argumētantur atq; concludunt: si in ineptos nulliusq; utilitatis homines tanta profundit, quid mihi facturus est? cui iure tenetur, nec nõ & ex beneficio præstito plurimum debet. O stulte! nihil, cur? uerte syllogismum, uidebis trifariam concludi oppositũ. Si dat immerentibus, igitur merentibus non dabit. Contrariorum enim cõtrariæ sunt rationes, et contrarii euentus. Et rursus si dat immerentibus, prodigus: si prodigus, non liberalis, tantundem enim à liberalitate distat prodigalitas, quantum auaritia. Si ergo liberalis non est, quibus debet non dabit, hoc enim si faciat esset liberalis: at non est, non faciet igitur. Tertio si dat quibus non debet, quod det quibus debet non habebit: At nemo dat quod non habet, non dabit igitur. Vide quam pulchrè te tuo syllogismo confeci, tuisq; assumptis propositionibus. Apud quos ergo aliquid possunt, ne plurimum dicam hoc hominum genus multis modis, hi principes necessario miseri sunt: primum quòd in his spem confidentiamq; reponunt, quæ securitati ac bonæ existimationi nihil prorsus cõducunt: scilicet in horum nebulonum & rabularum nugis, opinioneq; uulgi ac principum, nobiliumq; ex his concepta. quod quam absurdum sit imò damnosum, quisque po-

que potest intelligere, cum ex hoc deprehendantur minus prudentes. Deinde quòd mali, postquam hac occasione multi decipiuntur, liberales eos esse existimantes, atque ob id parte bonorum spoliantur. Demum quod eos amplectantur, à quibus & amicis, & uiris probis & sapientibus, & existimatione priuati sunt. In alium præterea errorem horum persuasione non solum principes, sed etiam potentiores omnes incidunt: quòd suis tam iniustè, quam etiam iustè fauent, partim hoc ipso quod dixi, scilicet persuasione adulatorum, partim precibus importunis egentium: tum etiam quoniam has operas loco præmiorum dant, & ut ab amicis ut benefici suspiciantur, ab alijs ut potentes & acres fautores timeantur. Eò uerò processit hoc malum, ut pro ingratis habeantur, si officium aduersus æquum & iustum non præstiterint. Ita inter duo mala potentes constituti sunt: ut si non faueant ingrati, si faueant iniusti habeantur, & Dei leges frangant. Quid cum illi postmodum petunt aut quibus debet? aut qui consanguinitate coniuncti sunt: quiq; aut magna, aut periculosa, aut iniusta, aut damnosa, aut mali exemplo rogant. Quibus denegare turpe uidetur, cōcedere deterius etiam est. neq; tellus petit æqua, quoniā seipsum & sua officia pluris iusto quisq; æstimare solet. In his difficultatib. uersatur tota principis uita. Sed forsan saltē melius in officijs, quòd plures habeant familiares, excipiuntur? nihil minus,

quanto plures enim tanto peius, uno in alterum onus reijciente. Sic ut miseri illi prandium cœnamq́;, non sō lũ ob id, sed etiam ob parandarum rerum multitudinem plus cogantur expectare, quam quisq; priuatus. Eò enim peruenit res, ut nonnunquam horam excedat hæc expectatio. Nec audet queri, ne illorum exemplo plures audacius peccent, quia inultus quæritur, nec pellere, ne totam confundat aulam. Si modo queratur Architriclinus, respondet coqui culpā fuisse, coquus queritur de emptore, negat emptor potuisse antea, imò nec tunc nisi ab uno Terentianiq́; senis per urbem errores commemorat. Sed quid miserius, quam cum adulatores illi in apertas inimicitias prorumpunt, pro quibus adeò angitur princeps? aut quid ridiculosius cum illos inter se conciliare nititur? Non absimili exemplo eius mariti, qui plorantem uxorem, mœchi mortẽ, existimans propriũ aliquod illam deplorare incommodũ, solabatur, atq; cum illa plorabat etiam, nónne hæc uel ipsi Heraclito risum mouebunt? Errant rursus in hoc principes, cum iudicia inertium de uiris præstantibus audiunt. Quis unquam imperitus sapienti, quis ignanus præstanti uiro amicus esse potuit? Hoc unum scito axioma, laruatum, sapientem uero sapienti, fucatam mulierem pulchræ, Vlissem nullum Aiaci unquam amicum futurum. Itaq; si quid habes o laruate amice, profer, licet & expedit res ipsas narrare, principem facti admonere, iudicium alij qui non inuideat illius dignita

ti, qui

ti, qui purum habeat amicum, qui pluris faciat uirtu-
tes quam proprium commodum, relinque. Quid est ut
ab inimico, imò quod peius est ab inuido sententiam de
illo cui inuidet, requiratis? Probantur homines orbis
iudicio & populorum, non coinquinatis aulicorũ sen-
tentijs. Sed ægro principi plura auxilia? præstantiores
medici? Hui nulla in parte infeliciores principes, quam
in causa uitæ. Primum quales quæruntur medici? auli-
ci, aulæq; moribus congruentes. Si aulæ consilijs atq;
astutijs sanarentur homines, non Hippocratis & Ga-
leni inuẽtis, certè optimè cum principibus actum esset.
Pleriq; callent quicquid in rem non facit, atq; omnia,
(ut quidam de medico quodam dicebat) præter literas
& medicinam. Sed hæc relinquamus tanquam odiosa.
Sint medici principum quãtumcũq; egregij, non tamẽ
impetrabis quin etiam sub ipsis non pessimè in morbis
se habeant Principes. Primum quidem quòd non audẽt
auxilia strenua admonere, nec qualia oportet: quoniã
sinistris successibus non solum infamia, sed etiam peri-
culum coniungitur. Ipsi etiam medici ceremonijs inten-
ti, & ut officio non deesse uideantur, uigilantes: adeò
stupidi & obliuiosi euadunt, ut sæpe per tres integros
dies, etiam in febribus urinarum obliuiscantur. Ita præ-
parandæ carnis memores, & oxypori conficiendi, uel
aquæ plusculò suauioris, maximorum ac necessariorũ
nõ recordantur. Miraris? Quid nónne Franciscus Sfor-
tia quoties ægrotauit, toties nimia sedulitate et assidua

opera medicos ad mortē familiares compulit. Nouißime mus extremo morbo uix seruatus est, quia princeps perijt. Neges adhuc te credere. Quid est quod principes ex leuißimis quibuscunque morbis tā serò sanantur? ex mediocribus & magnis nullus euadit? Sed negas & hoc. Discas experimento, quem regem Gallorum, aut Hispaniæ, uel Angliæ, uel Scotiæ, uel Turcarum principem aut mediolani, Ferrariæ, uel Neapolis trecentis ab hinc annis ad septuagesimum annum peruenisse inuenies? cum priuatis annorum hic numerus familiaris sit: plures ad octuagesimum, quidam etiam attingunt nonagesimum. Vnde hoc? nónne culpa medicorum? nónne illi ut nos homines sunt? pluribusq; selectis auxilijs ac medicamentis abundant? Sed non culpa medicorum sanè, sed ut dixi, potius miseræ conditionis principum. Non licet etiam illis gaudere beneficio superuocati medici uelut priuatis: primum ob suspicionem odij, inuidiæ, hæredum etiam nōnunquā: nec ipsi audent se committere medico, nec medicus, ne in suspicionom deueniat, solus quicquam agere audet. Vbi uerò cum familiaribus coierit, si quid commemoret quod non probent, irridetur apud necessarios principis, & post etiam apud principem ipsum, cum bene res cesserit. Si ea attulerit in medium quæ improbare non liceat, dißimulantur, procrastinantur, ut non tanquam illius, sed ipsorū auxilia in usum adhibeantur. Et præstat sanè: quanto enim diutius ægrotat princeps, eo

diutius illi principi imperant. Habētq; qui rogēt quomodo ualet princeps? melius ne se habet? atq; interim suspiciuntur. Propterea rectè mihi Philippus Rex respondisse medico, qui os iuguli fractum curabat, pecunias ultra modum petenti, uidetur: dicens, par est ut accipias quantum uelis, clauem enim in manibus habes. Cùm enim omnes dum ægrotant in medicorum manibus torqueātur, ægro de salute timēte: par est ut principes magis omnibus alijs torqueātur, qui plurib. ex causis ut dictū est, plus timere coguntur, & quos medici in īnfinitū curādo protrahūt. Quid de incōmodis postmodum dicā, tot aßistentiū, cubiculariorū, medicorū, tonsorū, pharmacopolarū, affiniū, amicorū, ministrorū, principū, à quib. præfocātur? Nā apud principes et hæc adest infælicitas, quod singula singulis ministeria mandātur: nō ut in priuatis unus idē homo plura præstat. In hac turba quam tutum sit principi ægro uersari, tu ipse considera: nam facile ægros, iam qui insidiantur ueneno tentare audent, morbi ui repentinum ueneni insultum excusante. Ergo cum plurimus indigeant, plurimos ferre coguntur. Adeò quorundam importuna inuerecundia, ut nec necessarijs se exonerantis naturæ munijs, circa illorū potentiā frui liceat. Sed quod postmodū inter hæc omnia miserius est, ubiq; iungi, ubique exempla & fotus illos infælices sustinere. Quòd si aliquantulum in deterius res declinet, tot susurros uidere, mœstā cubiculariorum faciē, amicorum

aspectũ mutatum, multa etiam præter solitum misceri animaduertit, ut millies timore ac mœrore pereat. Hæc igitur sunt commoda principum generaliter descripta: quorum causa Arrius Antoninus, Antonini Pij auus maternus, uir sanctus, qui bis consul fuerat, Neruæ conditionem miserabatur, quod ætate iã confectus, onus illud imperandi adeò molestum subijsset. Et Nicolaus Picininus, cum eum cõsolarentur amici, tanquam conualiturum à morbo: nolite inquit amici hoc dicere. nam libẽter pereo, tam grauem domesticorum meorum molestiam euasurus. Sed iam ad peculiaria illorũ solatia deuenio. In primis adest uxor, qua nil principi onerosius, quòd nescire poßit unquã an sit pudica, impudica quod sit scire contingit. Quis enim principis uxorem, etiamsi millies eam in manifesto adulterio deprehendat, audeat accusare illam, et mœchũ pro inimicis perpetuis habiturus? Et maximè si iã filios susceperit? nam si non eam occiderit princeps, qui accusauit, perijt: si occidat, à filijs mortem expectare oportet. ob id paucæ mulieres antequam prolem susceperint, mœchari audent, si coniugem habeant uirum, aut præpotentem. Susceptis filijs tutò quasi peccant ob has difficultates. Quid si accusator non persuadeat marito? nõne iam est in mortis faucibus? nonne toti domui suæ exitum comparauit certum? Quod igitur optimum est in coniugio fides, in uxoris probitate, eam minus habere potest princeps quam ullus alius. atque etiam ob eam

causam

causam minus certus de propria prole. Peccandi etiam stimuli ac licentia maior in uxoribus principum, tanta liberts illarum, tot aulicis ac audacibus iuuenibus, formosis, cōptis, artibus deniq; malis instructis. Sit modo etiã pudicißima (quãquã etsi liceret dicere) in hac parte nulli principibus sunt infeliciores, nullis grauiores uxores sunt, & pro multis supplicando: ad eas enim solent confugere uxores illorũ, qui iniustum aliquid petere student, quod neq; qui petit, nec quæ pro illo supplicat uxor, nec à qua petitur, pensi quicquã habent, nec quanti referat iniustum aliquid patrare, norũt. Quamobrem in perpetua rixa ac pugna cum uxore sit oportet princeps, & quod peßimum est dulci miscere absinthia, aut illius cedere importunitati cogitur, & bonũ publicum peruertere, iustitiã uiolare, proprij honoris atq; uirtutis obliuisci. Horũ noua exempla omitto, quã uis nihil notius, nihil frequentius. Illud solum dicere ausim, illorum, qui principum uxores accusarunt de hoc crimine, quomodocunq; res cesserit, neminem esse seruatum. Antiquorum memineris Messalinæ Claudij, & Iuliæ Augusti filiæ, & uxoris Antonini philosophi imperatoris de qua ille: si eam dimittimus, dimittamus & imperium: illud significans par esse periculum & infamiam, mœcham uxorem retinere et ulcisci. Sed melior forsan in filijs conditio? nulli patri acriores hostes, à nullis magis timendum. Qui sunt optimi, eos patris tamen obitum sperare, quis sapiens pater nõ suspicetur?

Dira est regnandi libido. Sed fac ut ipsi boni sint, quis illorũ apertè etiam non corrumpitur ab adulatoribus, cui non conantur persuadere, mortẽ patris magno sibi esse emolumento? Deinde si unus est solus? eius uitæ maximè timetur: si plures, necesse est ut eorũ aliqui patrẽ ipsum oderint, et fratib. alijs insidiẽtur. Ob id Ottomaniorum domus unũ tantum respicit ex filijs, cui regnũ relinquat. De reliquis ita statuit, quod longe experimẽto uidet obseruatũ, ut ille unus oẽs alios cum eorũ etiã filijs perimat. Ita domus hæc tamdiu in uno filio, tãquã Indiæ fabulosa Phœnix seruatur. Quænam rogo felicitas potest esse horum patrũ, qui norint unũ ex filijs, cæteros omnes cũ tota stirpe occisurũ? Nuper Solimanus princeps illorum, nónne Mustapha filiũ cũ nepote ex eo annorũ XII sustulit. Quæ maior infelicitas homini contingere potest, quã ad id cogi quod etiam leones & tigres horrent. Sed qui mitiores esse uoluerunt, deterius etiã reb. suis prospexerunt: uelut Cõstantinus, qui cum tres filios reliquisset hæredes, inuicem postmodum pugnantib. filijs cũ hæredibus, penè regnũ perijt. Narrãtur duo aut tres, qui filios dilexerint principes, Ariobarzanes Cappadociæ, et Seleucus, alij Demetriũ habent Assyriæ, qui cum inter res admirandas numerentur, non est aliud argumentũ quærendũ ut delectaremur, quam rara sit patrum in filios, multoq; rarior filiorum in patres, principes charitas, amor & fides. Quidam Gallorum reges cum filijs regnũ diuisum reliquissent,

quißēt, causam dederūt, ut ob intestina bella Gallia affligeretur, stirpsq; eorum regum penitus interierit.

Cū fratribus nō est ut disputem, Ferrariæ principis huius anus duos fratres excæcare coacta est, ut crudeliora omittam exempla. Sint optimi quantumuis fratres, hoc unum est, principem nō posse illis fidere, non tam illorum uitio, quā ut dixi, improborū adulatorū, qui uellent ignem accendi, ut & ipsi calefierent. Sūt & amasiæ & uxores, à quibus expugnatur iuuenilis animus, nonnunquā etiā senilis, cōtingunt simultates casusq;, in quib. facilè est propter parē regnādi spem, ad aperta odia & bellum deuenire. Nostris diebus Persarum Regis frater, cū pro rege fortiter ac satis feliciter depugnasset, mulieris sublatæ sibi à rege iniuria cōmotus, defecit ad Turcarū principem illi inimicißimum, & quantum ad eum attinuit, regnum euertit. Notissima est historia Marci Vicecomitis, qui fratrē & ex fratre filium regno spoliauit nō sibi, sed tam cæsari acquisito. eosq; in carcerem tristißimam coēgit: atq; ab ijsdē cū iā euasissent, sub amicitiæ specie præcipitatus est. Inde etiā Galeatij alterius, ac Bernabois ex eadē familia patrui et nepotis dißidia, qualē tragœdiam excitarūt? ex qua regnū deuenit in Stortiadum familiā. Rursus ex hac familia nō alia causa, quā breui in Gallorū, inde Hispanorū man9 insubrū regnū translatū est. Hæc est fraterna principū amicitia, canina, uulpina fides, lupina societas. Quid si etiā optimè cū fratre cōuenias? ille aūt

aliquid

aliquid agat iniuste? sinésne inultum, ut iniquus non solum princeps uidearis, sed omne iniuriæ ulciscendæ periculum in te conuertes. Homines enim aliquando æquiore animo principum, quam suorũ iniurias ferunt. Sed si punias, crudelis uocaberis, qui in fratres tuos sæuias. Et quæsisse occasionem opprimendi fratrem ob inuidiam, non iusti amore id egisse dicent. Propter hoc omnes affirmant inutiles esse fratres principibus: & quod priuatis est dulcißimum, illis esse triste & onerosum.

Confugimus inde ad amicos, ad amasias, plures his nobiliores, firmiores. Sed falleris, nihil in amore quouis iucundum, nisi sentire se amari: at quomodo sentire potes te amari, si illi omnes inter duos potentißimos affectus sunt positi? metum ob potentiam tuam, & spem diuitiarum tuarum? At finge ergo quòd quam diligis, ea amet aliquem suæ sortis hominem, atq; sibi similem conditione. hoc enim naturale est, & raro non euenit. Qui enim existimat se amari ab infimæ sortis homine aut puella, idẽ agit ac si se ab uxore principis, aut principe amari credat. Nónne Aristoteles nos sæpius monuit, nobis cum dijs aut principibus nullam intercedere amicitiam? etsi enim nos illos amemus, illi tamen nos minimè. Finge ergo principem, qui norit amasiã suam non ipsum, sed alium quempiam suæ conditionis, aut aliquanto inferiorem (quod sæpè accidit, quoniam hi efficacius illi blandiuntur) amare, quam uoluptatẽ ex

illius

illius concubitu percipiet? quare homines non cupiũt cum formosis, cum nuper è uita migrauerint, concumbere? quia dices anima abest: at & in his abest animus, qui dignior est anima. Illud etiam cogita, quod qui ex his callidi sunt, sciunt se non amari à te, multis indicijs agnoscunt: omnes Philosophi id docent, frequens experimentum demonstrat: cur ergo te amabunt? si sciunt se non amari à te? Quòd si non amant te? quam uoluptatem ueram capere potes ex his, qui præterquam quod te non amant, tibi illudunt. Si seni cuipiam uestibus ac gemmis bene ornato puellæ abblandiantur in conuiuio? nunquid ille ni insaniat gaudebit harum ficto amore? cum non obscurum sit illi se ab his irrideri: audiatq; susurrantem hanc uel illam in aures, aut sociarum, aut iuuenum quos uerè amant, uellem ut mihi illam gemmam daret, uellem ego torquem aureũ illum habere, & ipse esset in lupanari: quid illi cum torque & quam decet illum, magis me deceret mi animula, nónne? Hæc si audiat, non satis sanus sit si eas amet, si talibus abblandiatur mutuo? dulcis res est amari, sed amarior irrideri. Talem se intelligat princeps esse apud amicos & amasias, si sapiat. Sed sit ut ab aliquo probo ametur princeps, redametur ab aliqua: in tam multis enim fermè necesse est aliquem uirum probum esse, aliquam puellam mitem & sapientem, moribusq; integris præditam, adhuc princeps maiore in æstu uersabitur: nam si omnes amare uelit, tot nebulonibus unius

amici

amici causa, tot improbis mulieribus, ob unã solã, quæ hoc amore digna est, fauere cogetur. At dixi durius esse ac tristius irrideri ac decipi, quã sit amari iucundũ: si omnes negligat, nulla ergo horũ amicorũ & amasiarum uoluptate fruetur, quando ex æquo ab omnib. illis se existimet non amari. Si seligat, hoc in periculo uersabitur, ne in utroq; aberret, eos easq; reijciens à quibus amatur, & à quib. decipitur et irridetur, pro amantib. habendo. Sed & illud cogitet princeps, an dignus sit amari? facile intelliget quòd nõ: nã quæ amari faciunt, sũt pulchritudo, robur, lusus, cheli pulsare, saltare, perpetua seruitus, nihil denegare, quod principi difficillimũ est, ni & potentiã, & amicos, & existimationẽ euertere ob hoc unũ uelit: facillimũ priuato, hac una excusatione nõ possum, ut sis in ueneris rebus potens & assiduus, & asino lucianico similis: hæc si habeat princeps, uerè se amari persuaderi poterit, sin secus, credat ab amasia derideri non amari, sed sua tantum. Quam rem optimè animaduertentes ac intelligẽtes tyranni, ex æquo in omnes sæuierunt, quasi iustè id agerent, omnes enim sibi insidiare cognoscebat. Quod ut esse uerũ scias: nónne Phalaris & Dionysius, quos pessimos omnium fuisse tyrannos refert Aristoteles, pepercerunt amicis illis inter se, quorum unus pro altero uadem se constituerat, in crimine conuicto lesæ maiestatis, & insidiarum aduersus tyrannum: alter ad pœnã suscipiendã reuersus est statuta die, tyrannusq;

rogauit

auit, ut illum eodẽ amicitiæ iure tertiũ exciperent? si diceret, si amicũ aliquẽ mihi esse intelligerem, nõ irẽ. Adeò ut hoc & iustiorem efficiat causam tyrannũ, & illos quã uulgus existimat, & scriptores referũt, prudẽtiores esse ostẽdat, meliusq; forsan reb. suis, quã nostri principes falsis amicis fidẽtes, prospexisse.

Sed in cõuiuijs saltem feliciores sunt principes? omnia habẽt quæ optãt, ferarũ carnes, pisces è toto mari conquisitos, embamata admirãda, exotica farcimina, aues raras, altiles gallinas & cancros, ostrea, præcoces fructus, ientacula dulcia, et omnia iucũdis odorib. cõcinnata, caseũ placentinum, pretiosa uina? Habẽt, agã simpliciter tecũ, non cõmemorabo quanto periculo, quali metu, qua suspitione ista edãtur: & quod durissimũ est in principũ sorte, uersari cũ his quos peius angue oderis alijs principib. uocari & uocare ad cœnã (nã si nõ feceris et parũ prudẽs haberis, qui odiũ tegere, dissimulareq; iniurias nescias: & ex inimico hostẽ facies, et ex simultatib. in atrox bellũ erũpes, idq; tua causa factũ dicẽt) absit omnis si fieri põt metus, oẽ periculũ facessat, recedãt suspitiões, omnia sint libera iucũdaq;: hoc unũ adesse nõ põt, gustus pridiana cœna corruptus, inertia & ocio sopitus, abundantia fastiditus, unde tot cõquisitæ cupediæ non sufficiunt. Quis negare potest tot obsoniorũ perpetuũ usum, tãtã delicatorũ ciborũ copiã, nũquã cessantẽ crapulã et ebrietatẽ, nullũ desyderio ciborum locũ relinquere posse? Rectè inquã ut pleraq; alia

dicebat

dicebat Socrates, cum deambulationem solito concitatiorem produxisset in cœnæ horam, se obsonare cœnã. Nulla mihi crede sunt ἐνοφέκζοντα quæ naturali desyderio comparari poßint. Deinde cui usui tanta? si nõ edas solus & abstineas? præstiterit non adesse: omnes in suspitionem uocas, alijs omnibus sis suspectus: uel saltem tu solus sapiens uideri uis, interim tua Tantalea cœna est, Si edas, nónne medici omnes clamant te irritamenta omnium malorum edere? podagræ, calculi, grauedinis, nauseæ, tetri odoris oris, diarchæo, quod minimum est illorum, febrium, difficultatis spirandi, hydròpis, uiscerumq; duritiei? Quanto ergo melius & suauius edere & tutius simplicem cibum? quam tot minore cum uoluptate? cum iactura certa ualetudinis, cũ ingenti periculo. Quod etsi non eueniat, eo timore tamen caruisse plus longè refert, quam in sybariticis cœnis perpetuò uolutari. Sed quid prodest lautitia illa cũ tanta immunditie? pueri ab aluo exonerata omnia tractant illotis manibus, alius tußit, sternutat alius. Musici excellentes adsunt? hoc aliquid esset, si principes callerent musicam, nulla crede mihi nisi uulgaris uoluptas musicæ nisi artis peritis. At principibus musicã scire Alexandri magni exemplo uetitum est. Quid ergo uoluptatis illis saltem exquisitæ afferre potest? Quid illi confert undequaq; exquisitus excellentium tibicinarum numerus, nisi forsan ad ambitionem & exemplũ illud memorandum Clauisij Sabini recurras. In quo

etiam

etiam facto periculum illud non leue est, ne dum principes quod nesciunt, se scire uideri uolunt: hæc probãt, illa damnant, à peritis artis irridentur, quod tam sæpe euenit ut mireris. At non palam id audent? fateor, sed quanto deterius est animis artem callentium irrideri, quam uultu? ob id inter egregias Alexandri laudes numerantur, quòd cũ apud Appellẽ illi multa perperã de arte disputanti Appelles dixisset, tace ne pueris his qui colores miscent risum moueas? Rex tacuerit, maluerítq; parũ errando statim palam rubore perfundi, quã diutius peccando: licet non uultu, animis peritorum artis clam irrideri. Rex uel hoc solo prudentiæ argumento, atq; iudicij tanta fortuna dignus. At nunc inertes hi in talia dicentem, quid facturi essent?

Iam nihil reliquum est in quo beatam uitam traducere illis liceat, præter aleæ ludum. Quid habes? in hoc etiam cæteris sunt miseriores. nam ludi uoluptas est lucrari, hac in parte cum à familiaribus, cum à pauperioribus lucrentur minor uoluptas est. Quin etiam spes lucri decidit. Cæterum ludus ipse ad fælicitatem an pertineat dubium est. plurimæ in eo sunt perturbationes animi, metus, spes, dolor, unica uoluptas uincendi. At fælicitas uoluptas animi ex ratione cognoscente possessionem iucundi? Sed nõ est possessio iucundi, dolorem metũq; pati. quod etiam si esset æstimare debemus, an ob id iucundum iucundius aliquid omiserimus. nam & qui luctantur iucundo aliquo potiuntur,

tiuntur: uerum dum molestiæ id mixtum est, & locum occupat ulterius potioris, ad fælicitatem uia nō est, nec fælicius hominis opus. Sic ergo intelligere oportet possessionem iucundi, ut nihil iucundius pro eo amittatur. Quocirca quatuor felicitatis ordines cōstituere decet: absolutam illā qua Deo iungimur, contēplationem cū uirtute, filijs atq; alijs auxilijs coniunctā. Aliam cōmunem diximus, securam uoluptatē animi, & nūsquā deficientem, ob rationē cognoscentē possessionem iucūdi, atq; in hac nihil oportet omisisse iucundius, ut nō sit ludus pars huius uoluptatis: quoniam synceriora alia iucunda licet inuenire, & quæ non tantum temporis eripiant pro tam exigua uoluptate. Tertium felicitatis genus est, quod ex bonis atque indifferentibus oritur: uelut honoribus, diuitijs, uoluptatibus, atque in huiusmodi genere ludus etiam comprehenditur. Sunt autem quidam imò pleriq;, qui uoluptatē non existimāt uoluptatem, nisi tristitiæ modicum et doloris, ac ut ita dicā, tentiginis fuerit immixtum. atq; id exemplo ueneris, cibi, potusq; probant: non enim delectamur his nisi antea appetiuerimus, & quanto acerbior est appetentia, eo dulcior uoluptas. Quartum genus felicitatis est falsum, cum cupiditates improbas explēdo, nobis fælices esse uidemur. Hactenus & nimis forsan de principum incommodis exterioribus, nam interiora piget dinumerare, tristitiæ, metus, suspitiones, iræ, aliaq;, quæ honestatis causa prætereo.

Verum

Verum dices,audiui incommoda,dicam ego in quibus præcellant. Cum Deus trinus ſit qui origo eſt poteſtate ſignificatur, ſapientia ſecundo loco, amor ſiue iucunditas tertium poßidet. Principes plurimum poſſunt,ideoq; Deo & origini ſimiles ſunt. Quanquam hoc probabile ſit,lõgiusq; petitũ,reſpondebo tamẽ:poteſtate illos eſſe felices, impares tamen eſſe põderi.ob id homines qui id ſuſtineãt eſſe infelices. Quamobrẽ ſapientia hominib.magis conuenit & iucunditati proximior,quoniam iuxta philoſophos amor ab intellectu proficiſcitur:quãquã noſtra lex affirmet ex utroq; pariter procedere:neq;.n. quæ ſimpliciter digniora ſunt, ſed quæ nobis magis congruunt,meliora ſunt. Sapientia regit nos & non grauat:regnũ nõ regit ſed ut regatur indiget,& nos grauat, ideo ſapientia magis quam potentia indigemus.Dicis,cur ergo principes priuatũ ſtatum non deſyderant, priuati deſyderãt principatũ? Emolitos habent animos iam et corpora,ideò non iam ſufferrẽt. Podagroſus nõ deſyderat ambulare nec equitare,uix tamen quicquã iucundius, ſed ferre nõ poteſt. Quin etiã ſi tutũ eſſet?uellent, quod Phalaris in quadã epiſtola teſtatur. Quidã etiã depoſuerunt ut Sylla,ſed infelix,eius ſucceſſus deterruit C. Cæſarem Octauianũ Auguſtũ,qui uiſus eſt diu hoc optaſſe,nec fictè:nã poſt modũ ubi deliberauit retinere,nullum deponẽdi ueſtigiũ præ ſe tulit. Depoſuit & Diocletianus,ſed & ipſe poſteros ab hoc exemplo deterruit, cum ab eo qui

succeßit, indicta causa mori coactus sit. Amarathes etiam aliją; multi, quamuis tam periculose, imperio tamen se abdicarunt. Adeò res grauis est regnum, & homini miserum. Dicis, *cur ergo huic miseriæ suam utilitatem non adijcit? titulus enim tractationis hoc exposcit. Scribitur hoc opus his qui se miseros esse queruntur, non his qui sunt: principes & si miserrimi sint, fateri tamen pudet se eos esse miseros, ideò quorsum erit ad illos dirigere sermonem? Sed tamen dirigam, monebo, utilitatem docebo, ex principatu quomodo assequātur, quāuis exiguo ut scio fructu, nō persuadebo quod periculosum est, abdicare se principatui aut omittere custodias. Sed ut ableget nebulones, fortibus uiris et sapientibus faueat, studijs operam det, conuiuia rara celebret, nec ipse intersit: in adulatores, sycophantas, deceptores, omnesą; qui simul conspirant, grauiter animaduertat, iustitiam colat, cæterasą; uirtutes. Vis autē uidere, quòd* Principes *nostræ ætatis non sunt principes sed simulachra principum?* Et *quam facile esset, si unus esset princeps etiam unius exiguæ partis prouinciæ, euaderet in maximum regem? uideas in singulis regnis id contigisse quantumuis exiguis: quodą; idem qui regnum ampliarunt, ijdem magna geßerunt, & moribus optimis fuere, omnesą; propria curarunt: ut cum reliqui odio sint molles, stupidi & à suis assentatoribus proditi qui & ipsi sunt inertißimi, nullo fortunæ auxilio ad hoc egent nisi uitæ diuturnitate.* Itaą; *ut sint prudentes,*

dẽtes, ut graui, ut diuturnæ uitæ, indigẽt his tribus: alia sibi tria primũ cõparabũt militẽ exercitatũ, strenuosq; duces, & arma ac pecunias, fidosq; amicos. His sex ergo freti auxilijs cõtra illos, qui omnia hæc conuersa habent, uel unũ tantũ ex his, scilicet militẽ exercitatũ retinẽt, quã parũ negocij erit ad erpugnãdũ eos? obijcies tria, arces inexpugnabiles, potestatẽ, & polos, quæ fateor aliquid posse, retardabuntq; aliquãdiu magnitudinẽ incrementorũ: nihilominus ubi uirtuti autoritas ex strenuis factis accesserit, inimicorũ uires atq; impedimenta uelut nix corã sole dissoluũtur. Vt regis Ferdinãdi Neapolis, & Ludouici Sfortiæ Mediolanensiũ regũ à Carolo & Ludouico Gallorum regibus regno pulsorum. Ergo exemplo id colligas, nemini obfuisse parua initia ad maximam gloriam. Vide Agesilaum Lacedæmoniorum, Philippũ Macedonum, Carolum Magnũ, Gallorum, Galeazium tertium Mediolanensium, Ferdinandum Philippi proauum, Hispaniæ regem. Ceterum ut ad rem propositam redeam, calamitosam principum uitam quatuor maximè declarant, summa uoluptas eorum, ocium, aulici, et mors, ut reliqua omittam. Summa uoluptas est in his ultio, aliorũq; miseria, etiã si boni sint: quòd si beati essent gauderent aliorum bonis: sed beatos cum non poßint se existimare ex proprijs bonis, malis alienis iudicant felices. Sic simul gaudent & miserantur. Ocium etiam declarat quam exiguæ sint & inanes suæ uoluptates. Augustus puerorũ

ſocietate nucibus cum illis ludẽs gaudebat: eligebat aũt Afros, ne credas cum nepotibus luſiſſe aut formæ gratia. Domitianus muſcas uenabatur: Alexãder Mãmeæ Corturnicũ pugna delectabatur. Quod ſi principũ felicitas tanta eſt aut etiã paulo minor quã æſtimatur, alias uoluptates habuiſſent. Sed ſi uelis magis aſſiduas & cõmunes, nullas præter ludũ inuenies & ſpintrias. Alea luſerunt Auguſtus, Caligula, Claudius, Nero etiã: Spintrijs Tiberius, Caligula, Nero, Vitellius, Heliogabalus. Vides modo maximas principũ uoluptates. Pernoctabant, & more Aegyptiorũ ac Hiſpanorũ die dormiebant, noctu uigilabãt: quæ uita aſſuetis noxia, inſuetis intollerabilis, omnib. abſurda, peruerſo ordine naturæ eſt. Aulicorũ uitã oẽs deplorant, illi planè & ex cõfeſſo miſeri ſũt: at ſi beatus eſſet princeps, illi nõ poſſẽt eſſe miſeri. Rectè enim Theologi dicunt, dominũ herebi & damnatorũ maximis pœnis cruciari: et rurſus cõſentientib. etiã omnib. philoſophis, omnes quæ cũ Deo ſunt cœleſtes animas beatas eſſe, quòd Deus ipſe ſit beatus. Neq; enim uel unũ hominẽ libenter in aula uerſari uideas, niſi lucri cupiditate. At apud ſapientes etiam omnes ipſi beati ſunt, & tranquillã uitã agunt. Mortẽ ex deſperatione cũ nullum genus hominũ frequentius pereat, apparet uitam illorum etiam dum ualẽt proximam eſſe deſperationi. Quæris exẽpla? plura uidi, ſed non nominare honeſtius eſt, cum tamen pauci ſine hac infelicitate noſtris temporibus principes pereant.

Habes

Habes ergo uitam principũ, non solũ mendicorũ uita, sed ipsa miseria miseriorẽ. unde rectè dicebat Mecænas qui in sublimi positus est, ibi est ubi semper tonat. i. inter maximas perturbationes & pericula ingentia ac facta horrẽda. Quorsum ergo illuc properare cũ tot laboribus, molestijs, curis, tãta uitæ iactura ac infamia tam frequentibus casibus ubi cum fueris, deteriore quam prius conditione futurus sis? præsertim quod uita nostra hæc umbratilis sit, & nos ipsi si rectè rem pensitaremus umbræ simus: iam & manes cadaueribus immersæ per uias properantes, immemores unde uenerimus quoúe tendamus, pauloq́; post simus peruẽturi. Quamobrem contenti esse deberemus exiguis & sorte nostra, atq; in ea felicitatẽ, ut dixi, reponere: præsertim cum ad felicitatem absolutã assequendã opus sit sapientia diuina ac naturali iã: si ergo etiã hanc humanã sequi uoluerimus, difficile fuerit oẽs adipisci, ipsaq́; fælicitatis possessio serò adueniet nobis. Itaq; postquã fælices sunt, soli qui quod uolunt possunt, & qui quod possunt uolũt, postquam posse quod uolumus soli Deo cõcessũ est, quod possumus uelle par erit, minimisq́; cõtẽtũ esse. Verũ dices, si parua despicere imò etiã mediocria atq; cõtẽnere oportet eũ qui felix esse cupiat, quo modo fælix erit cũ in minimis repositã uelimus esse fælicitatẽ? ea aũt in quib. fælicitas reposita est, optãda necessario sunt, quia ad optatũ finẽ perducũt? Captio hæc est, optanda sunt secura, nõ magna aut parua, & quæ

nis modo: dicturus autem sum infra de his. Mihi autem qui non hoc proposueram, scilicet ut pararem opes, sed solum ne mēdicare cogerer, sufficit aliam inesse rationem nō solum in hac causa, sed omnibus etiam alijs: ea fuit ut non simplici restitutione aut emendatione erratorum, aut compensatione damni contētus essem, sed semper aliquid plus exigerem quam esset amissum, aut erratum. Ita non sufficit mihi ut inertes seruos facerem mediocres sed impigres: Ex heluonibus moderatos sed frugi: Ex iracundis non modo mites sed etiā patientes efficere conabar. Ita in contrarium semper affectum uitia transmutare nitebar. Sic ex rudibus solertes, ex socordibus diligentes reddere solebam. Si decem coronati casu aliquo mihi perijssent, non cessabam donec uiginti extra ordinem recuperassem. Ita factum est ut plerunq; damna mihi lucro essent: ut contra nonnūquam mihi, quod multis sæpe contigit, ex lucris damna ob negligentiam sequerentur. Si temporis aliquid sine utilitate uelut in ludo defluxisset; curabam ut edendo, deambulando, alijsq; secretioribus operibus plus operis conficerem, quam prætermissum esset. Maximā autem temporis rationem semper habui. Cum etiam in morbis & membrorum affectibus malis non sola sanitate contentus fui, nisi multo securior essem in posterū his qui eo metu liberi erant. Pugnaui aduersus omnia incommoda pro uiribus: nec in alijs damnis imperitiæ inimicorum, omissi officij simplici unquam restitutio-

tione cõtentus fui, quod in ea iacturæ aliquid relinqui existimarem. Verùm quia ludi mētionem fecimus, quæstionem propositam absoluere decet: an ludus ad felicitatē pertineat? uidetur enim utilis ad illam, quandoquidem felicitas, ut dixi, sit uoluptas animæ ex perceptione rationis cognoscentis possessionem rei iucundæ. Ludus res iucunda est, et adeò grata, ut multi principes in eo summam uoluptatem esse credant. Sunt autem duorum generum publici atq; priuati. Priuatorum genera tria sortis, corporis, & ingenij seu industriæ. Corporis autem species tres, roboris, agilitatis, dexteritatis. Præter hoc sunt non proprij: ut certamina perdicum, gallorum, canum: Et Regis electio & ostracinda qui fit discurrentibus pueris. Et Mynda cũ conniuent & quærunt quiescentes. Et ollarius cum deposito capite uellitur aut uerberatur, cogiturq; diuinare: qui ludus frequentatur apud nos æstate, uocaturq; Pelucus. Et amatorij cum puellis dilectis blandientes ducimus horas: quale illud Propertij:

O noctem meminisse mihi iucunda uoluntas
O quoties uotis illa uocanda meis?
Cum te complexa morientem Galle puella
Vidimus in longam ducere uerba moram.
Quamuis labentis premeret mihi somnus ocellos
Et medijs cœlo luna ruberet equis
Non tamen à uestro potui secedere lusu
Tantis in alternis uocib. ardor erat. Et rursus:

Subiecto

Subiecto leuiter positam tentare lacerto
Osculaq; admota sumere & arma manu
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem
Expertæ metuens iurgia sæuitiæ.
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis
Argus ut ignotis cornibus Inachidos
Et modo soluebam nostra de fronte corollas
Ponebamq; tuis Cynthia temporibus,
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiua cauis poma dabam manibus
Et illud etiam:
O me felicem: o nox mihi candida & o tu
Lectule delicijs facte beate meis.
Quam multa opposita narrantur uerba lucerna
Quantaq; sublato lumine rixa fuit.
Nam modo nudatis mecum est luctata capillis
Interdum tunica duxit operta moram
Illa meos somno laxos patefecit ocellos
Ore suo, & dixit siccine lente iaces?
Quam uario amplexu mutamus brachia, quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis.
Non iuuat in cœco uenerem corrumpere motu:
Si nescis oculi sunt in amore duces.
Et paulo post:
Quòd si pertendens animo uestita cubaris
Scissa ueste meas experiere manus.
Quin etiam si me ulterius prouexerit ira,
Ostendes

tione cōtentus fui, quod in ea iacturæ aliquid relinqui existimarem. Verùm quia ludi mētionem fecimus, quæstionem propositam absoluere decet: an ludus ad felicitatē pertineat? uidetur enim utilis ad illam, quandoquidem felicitas, ut dixi, sit uoluptas animæ ex perceptione rationis cognoscentis possessionem rei iucundæ. Ludus res iucunda est, et adeò grata, ut multi principes in eo summam uoluptatem esse credant. Sunt autem duorum generum publici atq; priuati. Priuatorum genera tria sortis, corporis, & ingenij seu industriæ. Corporis autem species tres, roboris, agilitatis, dexteritatis. Præter hoc sunt non proprij: ut certamina perdicum, gallorum, canum: Et Regis electio & ostracinda qui fit discurrentibus pueris. Et Mynda cū conniuent & quærunt quiescentes. Et ollarius cum deposito capite uellitur aut uerberatur, cogiturq; diuinare: qui ludus frequentatur apud nos æstate, uocaturq; Pelucus. Et amatorij cum puellis dilectis blandientes ducimus horas: quale illud Propertij:

O noctem meminisse mihi iucunda uoluntas
  O quoties uotis illa uocanda meis?
Cum te complexa morientem Galle puella
  Vidimus in longam ducere uerba moram.
Quamuis labentis premeret mihi somnus ocellos
  Et medijs cœlo luna ruberet equis
Non tamen à uestro potui secedere lusu
  Tantis in alternis uocib. ardor erat. Et rursus:

Subiecto

Subiecto leuiter positam tentare lacerto
Osculaq; admota sumere & arma manu
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem
Expertæ metuens iurgia sæuitiæ
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis
Argus ut ignotis cornibus Inachidos
Et modo soluebam nostra de fronte corollas
Ponebamq; tuis Cynthia temporibus,
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiua cauis poma dabam manibus
Et illud etiam:
O me felicem: o nox mihi candida & o tu
Lectule delicijs facte beate meis.
Quam multa opposita narrantur uerba lucerna,
Quantaq; sublato lumine rixa fuit.
Nam modo nudatis mecum est luctata capillis
Interdum tunica duxit operta moram
Illa meos somno laxos patefecit ocellos
Ore suo, & dixit siccine lente iaces?
Quam uario amplexu mutamus brachia, quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis.
Non iuuat in cæco uenerem corrumpere motu:
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Et paulo post:
Quòd si pertendens animo uestita cubaris
Scissa ueste meas experiere manus.
Quinetiam si me ulterius prouexerit ira,

Ostendes matri brachia læsa tuæ.
Necdum inclinat prohibent te ludere mammæ,
Viderit hæc si quam iam peperisse pudet.

Et illud Tibulli:

Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.

Simile illud Ouidij:

Diripui tunicam nec multum rara nocebat
Pugnabat tunica se tamen illa tegi.
Quæ cum ita pugnaret tanquam quæ uincere nollet
Victa est non ægrè proditione sua
Vt stetit ante oculos posito uelamine nostros
In toto nusquam corpore menda fuit
Quos humeros, quales uidi tetigiq; lacertos!
Forma papillarum quam fuit apta premi!
Quam castigato planus sub pectore uenter!
Quantum & quale latus, quam iuuenile femur!

Et rursus alibi:

Illa quidem nostro subiecit eburnia collo
Brachia Sitonia candidiora niue.
Osculaq; inseruit cupidè luctantia linguis
Lasciuum femori supposuitq; femur.
Et mihi blanditias dixit, dominumq; uocauit
Et quæ præterea publica uerba iuuant.

Ad hoc pertinet honestius illud Virgilij:

Malo me Galatea petit lasciua puella:
Et fugit ad salices: & se cupit ante uideri.

Talibus

Talibus iocis refloret uita humana: publici autem ludi diuiduntur in spectacula, pompas & pugnam. Spectacula sunt animalium atq; ferarum: pugna aut nouarum rerum ostentatio, comediæ, tragœdiæ: pompa, cum ex tabulis, gemmis, aureis, argenteis, myrrhinisq; uasis, floribus, musica exhilaratur populus, ut apud nos in oblationibus. Et apud Atheniẽses in Eleusynis sacris in qua cum duceretur Harmodius & Aristogiton occiderunt Hyparchum Pysistrati filium. Apud Romanos erant triumphales omnium certè pulcherrimæ, & ut par erat in urbe orbis domina sumptuosissimæ. Sed de his in libris de Rerum uarietate scripsimus. Erant præter has priuatorum pompæ in publico ductæ: ut in nuptijs & præcipuè funerales, de quibus Alexander ab Alexandro his uerbis ad unguẽ: Præficas cõducere solebant, quæ luctui præessent, & quæ cantu et funebri carmine lamentarẽtur: uitamq; et præclara gesta summasq; uirtutes non sine miseratione laudarent: nonnunquam mimos, qui personas fingerent, factaq; ac dicta representarent, adhibebant. Quas quidem Næniás Græcis in luctu sæpe decantari inuenimus. Qui Apio coronari, defuncti laudes recensere, carmine quod Ialemon uocant, & res memoratu dignas, claro præconio celebrare assueuerant. Senatoribus uerò & patricibus atq; summis ducibus tuba: minoribus et plebeijs exequiali tibia canebant tibicines. Quam tibiam non in funeribus modo, sed in sacris, in ludis, in conuiuijs adhi-

uijs adhibebant. Imperatoribus etiã pluribus tubis mœstum clangentibus, quòd à Caribus & Phœnicibus deductum autumant, qui in funebri pompa breuibus tibijs lugubre canentibus uti consueuere. Deferendi uerò feretrum propinquioribus uirilis sexus dabatur munus. Itaq; filij parentes, & fratres sorores funere elatas deferebant, nonnunquam serui libertate donati, nonnunquam senatorij, uiri prætorij & consulares, quiq́; amplißimis honoribus functi erant, Imperatorum & consularium feretrum detulere. Quare Pauli Aemilij qui de Macedonia triumphauit legati Macedonum. Et Syllæ Dictatoris feretrum senatores, & sacræ uirgines extulerunt. Et Metello filij tres consulares, duo triumphales, Censorius unus, & alter prætor lectum subiere. Dumq́; effertur insignia honorum quos gesserunt, ut fasces, secures, lictores, armaq́; ac dona militaria coronasq́; omnis generis quas in uita meruisset, uexilla atq; urbium dona, et legionum spoliaq́; hostium ac munera quæ quis daturus erat, expressosq́; cera uultus, & decora maiorum, totiusq́; familiæ longo ordine simulachra & gentile stemma ab ultima origine præferebant, quanto cum poterant apparatu. Quare C. Cæsar in amitæ funere Marij statuas pro decore familiæ detulisse fertur. Et Tiberius in Drusi funere originem Iuliæ gentis, Aeneam, omnesq; Albanorum reges, Romulum & Appium Clausum cæterasq; Appiorum effigies longo ordine produxit. Ferunt quoque Iuniam

quæ

quæ Caßio nupta fuit, uiginti clarißimarum familiarum imagines, uelut indicium splendoris & uetustatis familiæ in funere habuisse. Inter quos Manlios & Quintios Caßiumq; & Brutum. Nonnunquam, ut ampliore efferre funere plures defuncto strauere lectos, qui instrati in pompa funeris anteibant: Sicut de Marcello cui sexcentos, & Sylla cui sex mille prælatos legimus. Tum si qui ab eo serui libertate donati fuerant, illi præcipuè qui fide insignes à domino cogniti forent, herilem interitum miserantes pleni lachrymarum elatum corpus pileati præcedebant, aut lana alba capitibus uelatis: qui quanto plures erant, tanto plus nominis laudisq; dedere, quòd familiam totam decedens dominus, tantis muneribus cumulasset, ac libertatis premio affecisset. Contigit & quandoque, ut qui rasis capitibus triumphantis currum fuerant prosequuti, eiusdem defuncti pileatos in funeris pompa corpus præceßisse. ut Quintium Terentium Culleonem, quem Africanus seruitio exemerat. Post sequebatur amicorum atque affinium turba lugentium habitu, capillo demisso, ueste pulla aut cœrulea, ut Cato significat. Cum enim adolescentis funus facerent, cœruleum induere solebant. Apud exteros uerò phæus color sumebatur in luctu. Nāq; Antiochus audito fratris obitu, purpura deposita, phæum induit, qui inter album et nigrū colorem fuisse traditur, atq; idcir

" eo is est quem nos cinereum obscurum appellamus. Nõ
" nunquam senatu uniuerso & magistratibus cum ue-
" xillis, interdum equitum turmis si quando regum aut
" imperatorum funus efferrent comitantibus. Funeris
" enim hæc lex erat, ut præcedente pompa funebri uiui
" sequantur, tanquam haud multo post morituri. Inter-
" dum lectulo pleriq; flores & corollas iacere: nonnulli
" unguenta & odores, alij dona cumulare, idq; noctu &
" obscura luce, ideo faces ardentes adhibebant. Nam die
" funus uetusto more non licuit: quod Eemetrius Rex ca
" uit edicto, ut ante lucem uel post crepusculum efferant
" corpora: interdiu non liceret. Sæpe tamen imperatoris
" aut ducis qui in acie occubuisset funus milites, quantũ
" poterant militaribus studijs celebrarunt. Ea pompa
" fuit: ut armatæ instructæq; legiones in turmas & cen-
" turias diuisæ: cum uexillis militaribus inuersis aut abie
" ctis militiæ insignibus defunctum comitentur: phale-
" rasq; equis detrahant, ensium mucrones & lancearum
" cuspides humi deiectas ferãt, & rogum lustrẽt. Id quod
" etiam apud nos Græcos seruari legimus. Rogo igitur
" extructo & pyra cupresso circumdata, propter grauẽ
" cremati corporis nidorem, ne tetro odore abigerentur
" qui proximi rogo essent, desuperq; deffuncto corpore
" locato, illius oculos antequam cremarentur patefacere
" et cœlo ostendere mos erat, alijs etiam uanis uti super
" stitionibus. Præfica interim aßistens lamentabili car
" mine populum circunstantem ad complorationem &

lachrymas

lachrymas prouocabat. Vnde largus fletus exoriebatur. Inde ad miserationem carmina canebãtur, & uersus ad tibiam cum laudibus & lachrymis, pietatem & humanitatem, et interitum defuncti miserantes. Pyram uerò ipsam pro honoribus ac dignitate illius extruebant, maioremq; tanto, quãto magistratus & imperia maiora administrauerat: lege autem duodecim tabularum cautum erat, ne ex lignis politis extrueretur, donec per funerum ministros, qui Pollinctores dicti sunt, corpus igne supposito cremabatur. Solebant igitur arida ligna papyrumq; ut facilius accenderetur adijcere: nonnunquam odoris gratia, & pompæ augendæ crocum & uinum affatim apponebant. Germanis struem rogi, nec ueste, nec odoribus cumulare licebat, sed sua cuiq; arma & equus rogo adijciebatur. Corpora uerò clarißimorum uirorum, non nisi ex lectißimis lignis certi generis, sine ullo solẽni apparatu cõcremari permittebantur. Dumq; igne accenso corpus ardebat, pro dignitate, proq; opibus, quibus quisq; pollebat, amici, affines atq; coniuncti quæ chara habebãt, præcipuiq; cultus cum gemitu et quæstu miserabili in luctus ac grauißimi doloris signum inijciebant ignibus. Sic multi triumphales uestes, enses, baltheos, signa militaria: mulieres uerò ne studijs uincerentur, ornamenta sua, armillas, zonas, mundum muliebrem, uittas uirginalis comæ, retortos cincinos, torques, bullas: præterea ac prætextas liberorum, unguẽta etiam atq; odores omnium

» generum quos lancibus ferebant, rogo fraganti immit
» tebant. Quare multos ob odorum copiam ad pyram
» exanimatos constat. In funere quoque Syllæ statuam
» iustæ magnitudinis ex odoribus cōfectam, absumptam
» comperimus. Quæq; etiam defuncto charißima, et cor
» di in uita fuisse arbitrabantur, quarumq́; rerum mi-
rum & efficax studium fuerat: ut scuta, gladios ar-
maq́; alia, nec non equos, canes, luscinias, auesq́; de-
functo charas iugulabant ad rogum, eiq́; imponebant.
Nonnunquam contigit ut amici semetipsos occiderēt,
ut cum defuncto cremarentur. Vnde multi in domino-
rum rogis, doloris impatientia sibiipsis manus intule
rūt, aut ignib. se iniecerūt. Quod etiā exemplū (quan-
quam dictu admirabile) aliquos canes secutos esse rete
runt. Velut de Hieronis & Lysimachi regū canib. me-
moriæ proditum est. Græcorū quoq; et Aethiopū mos
præcipuus erat ad rogū dissecare comas, corporiq; &
ignib. imponere, atq; cū his equos, boues, pecora, ca-
nes, uinū quoq; et oleū fundere. Vtq; rege sublato fami
liares, & qui cū eo cōiunctißimè uixerunt uim uitæ si-
» bi afferent, unaq́; cōcremarentur. Indorū etiā peruul-
» gata historia est, uxorū charißimā unà cū marito igni
» bus absumi. Thracib. & Getis idē mos, sed ornata sum
» ptuosius ad tumulū mactabatur, ut in eodē cōderetur.
» Gallis uerò olim serui & clientes uiui in eadem pyra
» absumebantur. Scythæ Gerri cum Regis cadauere aro-
» matib. cōdito, præcipuā concubinarū, prægustatorē

coquum,

coquum, agasonẽ ministrũ, unà tumulabant. Quinquaginta etiã ex ministris equosq; præfocabant. Græci Imperatore aut Duce mortuo, funus apparatu regio, & solenni pompa efferebant, boues & oues mactabant, milites sponte, captiui iussi inter se ad necem digladiabantur circa rogum: equi uiriq; tondebantur, propugnacula è mutis diruebant, templa lapidabantur, aræ subuertebantur, lares abijciebantur, partus exponebantur, quæ res ad impietatem pertinebãt, deorumq; contemptum, ignem extinguebant, abstinebant à cibo: in funeris pompa Sacerdotes, magistratus, pueri ac iuuenes cum coronis ac tropheis & militaribus armis sequebantur. Ita etiam funebre iudicium apud Romanos seu ferale indicebatur, in quo iura foraq; silebant. Ferales quoq; cœnæ apud Græcos instituebantur, in quibus crateres uino, lacte, sanguine pleni, nec non mella et crocus ad rogum deferebantur. Galatæ morem hũc habuerunt, ut amici & affines, defuncti & familiares epistolas in rogũ inijcerent, tanquam legendas apud inferos à mortuo. Mitiore sanè atq; humaniore insaniẽdi exemplo. Funebrẽ uerò laudationẽ optimates et natu maiores, proximiq; ac in honore cõstituti recitare consueuerunt: in qua facta illius tum dicta totiusq; uitæ cursum, maiorumq; gesta recitare mos fuit. Primus Valerius publicola Bruto mortuo id muneris acurata oratione prosecutus est, inde institutum ut clarorum uirorum in funeribus solennis

" esset laudatio. Vnde etiam Appij decem uiri plebs, lau
" dationem sequentibus temporibus in funere æquis au-
" ribus audiuit. Et Scipionem in funere ut hominem diui
" num Maximus commendauit. Apud Aegyptios quoq;
" defuncto rege, antequam iusta darentur, per supremũ
" sacerdotẽ omnis uitæ series illius facta, dicta, bella, mo
" res ex suggesto recitabantur: omnibus pensatis à popu
" lo iudicabatur an indignus esset sepultura? atq; sic in se
" pultum cadauer abijciebatur: an uerò esset ornandus
" laudibus, & cum pompa & unguentis sepeliendus?
" Reliquos cuiusq; ordinis sine ulla fortunarum & po-
" tentiæ mentione à sola iustitia, pietate, religionisq; cul
" tu, aut commendabant aut uituperabãt. Inde orta opi-
" nio illa de inferis, & pœnis eorum ac iudicibus, ut ex
" Diodoro Siculo habetur. Apud Indos autem per mul-
" ta secula mos uiguit, ut cum quisq; moriebatur pro do
" mus foribus, magistratus cui hoc munus delatum erat
" ante fores uitam moresq; describeret, ut eorum uirtu-
" tes ac uitia omnibus palam fierent. Inter miracula for-
" titudinis atque constantiæ, ut ad nostra redeam, fertur
" Fabium Maximum infracta oratione ac magno spiri-
" tu filij laudem in funere apud populum recitasse. Pro-
" ditum est primum apud Græcos fuisse Periclẽ, qui car
" mine ac laudibus eos qui pro patria in Peloponẽsi bel-
" lo occubuerint, celebrauerit: alij Solonũ funebris ora-
" tionis inuentorem faciunt. Et quamuis à principio
" uirorum tantum gesta laudari consueuissent, quia ta-
men

men Camilli tempore à mulieribus collatum aurum ,, fuit, ut se populus Romanus à Gallis redimeret, ideò ,, cautum fuit in posterum, ut in funere etiam mulieres ,, laudarentur. Nono autem die reliquias defunctorum ,, et cremati cineres, mater, soror, propinqui in nigra ue ,, ste & effusis comis, aut pontifices ac sacerdotes: nonũ- ,, quam patres ipsi honoribus perfuncti, tunicati ac di- ,, scincti, lotis manibus, nudis pedibus, ossa à cineribus se ,, parata lacte & uino lauabant, deosq; manes inuoca- ,, bant: Græci uino & unguento inspergere soliti, cumq́; ,, odoribus effusi in lachrymas, in urna componere & li ,, neo uentilare solebant. Solenne etiam fuit apud Indos ,, & Aegyptios, regum funebres tunicas, quibus cineres ,, cremati à reliqua fauilla distinguebãtur, ex licio quod ,, igni non absumitur conficere, easq; ad rogum defun- ,, ctum corpus induere. Quippe in Carysto lapis nasce- ,, batur, qui uelut lana intextus nullo igne exurebatur. ,, Tunc postquam defuncto conclamato, & nomine de- ,, plorato satis lachrymarum luctusq; fuerat, ipsiq; qui ,, hæc curabant ter aqua aspersi & lustrati erant, omni ,, munere absoluto, supremum Salue & uale, tanquam ,, eos nunquam uisuri ultra clamabant: & à præfica fera ,, libus officijs iustisq; persolutis, post lamenta & plan- ,, ctus ILICET dicebatur, qua uoce missum populũ facie ,, bat. Inde funeris comites quasi supremo functi officio, ,, ad proprios lares reuertebãtur: aquaq́; aspersi ignem ,, supergrediebantur, hoc se piaculo expiari credentes, ,,

» quod etiam expiationis genus suffitionem dixere: cu-
» ius rei causa ferias sæpe indixerunt, Denicales uocatas.
» Græci uerò aqua lustrabantur pura, eademq; expur-
» gabantur, in qua prius torrem ex altari extinxissent.
» Scythæ post funus amicos excipientes, epulum præ-
» bebant his qui cadauer fuerant comitati. Peracto fu-
» nere Romani, ubi à luctu quieuit animus, uisceratio-
» nem & funebres ludos plerumq; gladiatorios, Græci
» Gymnica certamina & equestria, in defuncti me-
» moriam: nonnunquam nauium cursus ac naumachiam
» populo exhibere solebant. Quidam etiam anniuersa-
» ria, ut etiã nostra ætate sacra cum lugubri temporũ or
» natu et flebili modulatione. In ipsa uisceratione institu
» tũ erat, ut omnia carius uenirent: quare ad Pollinctum
» emere dici solet. Ferturq; in his epulis ex Numæ edi-
» cto, non licuisse pisces emere qui squammosi nõ essent.
» Et quamuis ea in cœna omnia affatim suppeterent,
» lætari tamen non decebat. Fuit hoc institutum, ut per
» cibi ac potus lenimen, tum etiam ludos (unde titulus in
» Iure de sumptibus funerum & ludo aleæ) desyderium
» defuncti leuaretur. Præter hanc erat etiam exequia-
» lis cœna, quæ senibus & ætate grandioribus dabatur,
» ex qua discedentes alter alteri uale dicebat: hancq; Si-
» licernium appellabant. Athenis per funeri præfectos
» epulum apud defuncti maximè necessarium dari con-
» sueuit. Argiuorum uerò institutum, ut defuncti affines,
» statim ab excessu Appollini sacrificent, & trigesimo
post

post die Mercurio: Apollinis autem sacerdoti hordeũ „
dent, ignemq; extinguant & rursus accendãt, carnesq; „
uictimarum percoquant, quibus postea uescuntur. Eos „
quidẽ ludos apparatu magnifico continuis quidẽ die- „
bus nouem, in hisq; gladiatorũ paria, qui uenalem san „
guinem habeant, Romani exhibuere, ad quos matro- „
nas intromitti nefas habitum. Idq; adeò usu ac moribus „
interdictũ fuit, ut P. Sẽpronius uxori, quòd ludis fune- „
brib. interfuisset, repudiũ dederit. Domi quoq; & in lo
co celebri defuncti imagines in memoriã posteritatis,
plerumq; cereas, aut marmoreas, uel æneas: columnas
etiam cum trophæis & titulis, ac magnificentißimis de
cretis, publico consilio erigere, & res gestas monumen
tis insculpere, leuãdi desyderij causa, antiquis mos fuit.
Quas etiam iniuria cæsis ciuibus, sempiterno æuo du-
raturas, publico decreto erexerunt, ut gratiam bene-
meritis ferrent. Apud Lacedæmonios his qui in re mi-
litari facinora fortia gesserant, statuas & colum-
nas pariter cum elogijs post obitum dedere. Rege ue-
rò defuncto ipsius simulachrum, ita ut uiuus appare-
ret in toro & purpura & auro instrato effinxere. At
morem statuarum non solum ob uirtutem militarem
sed etiam sapientiam ac potentiam tota Græcia imita- „
ta est, sed nulli magis his studuerunt quam Romani. „

Plura sanè quam oportuit de funebri pompa ac „
ludis ex Alexandro decerpimus: ad propositum redire „
par fuerit. In uniuersum ludorũ genera decẽ sunt: pu- „

» *blica quæ, ut dixi, in spectacula, pompas et pugnas gla*
» *diatorum diuiduntur. Sortis corporis quod in tria diui*
» *ditur, Roboris, Agilitatis et Dexteritatis: Ingenij, certa*
» *minum animalium: Societatum, Ostracinda Myinda,*
» *Ollarius & Amatorius. Funebres enim pompæ ludiq́;*
» *partim publici sunt, ut ludus gladiatorius, Rogus, pom*
» *pa feralis: partim priuati, ut epulæ & alea. Porrò de lu*
» *dis ingenij ac sortis abunde aliàs scripsimus: quod hic*
» *quæritur, est, an ad beatam felicemq́; uitam conferant?*
» *uelunt & uenatio, quæ mixta est ex corporeo ludo ac*
» *certamine ferarũ, uidetur autem non congruere, quòd*
» *studia interuertat, nec sapiẽtes his usos fuisse legamus.*
» *At maxima pars procerum nihil suauius expetit. Pri-*
» *mum igitur ludis in atrocibus calamitatibus locus est,*
» *nam & oblectare solent, & leuant si quid aliud curas,*
» *maximè uenatio & latrunculi. In his etiam tempus nõ*
» *absumi dici potest, cum ob doloris animi uehementiã is*
» *studijs utilioribus applicari non posit: leuatq́; pericu-*
» *lum morbi & insaniæ. Cæteris non conuenit qui in di-*
» *sciplinis sunt exercitati, nisi honesti generis sint: ut*
» *Musici, Amatorij & corporei, ætati & conditioni con*
» *gruentes. Societatum & ingenij rarò admitti possunt,*
» *licet tamen. A musicis autem, id est, non studiosis bona*
» *rum artium, quicunque sine iactura & dolore sunt, ut*
» *sortis moderati in quibus de parua pecunia certatur.*
» *Nunc cum in tanta calamitate uerser, ubi de capite ma*
» *ioris natu filij summo discrimine agitur, uictus à dolo-*

re non

re non sum, quoniam ludo nonnunquam latrunculorũ interposito, aliquantisper conquiesco. Quanquam in disciplinarum cognitione maiorem esse delectationem quam in ludis, argumentum sit philosophos ludis non oblectatos. Quamobrem sapientum quam Regum maior longè felicitas est. Sed rursus ad pauperum commoda reuertamur. E quibus maximũ fermè est illud, quòd pauper à multis muneribus & periculis immunis est. Primum quidem in exactionibus tributorum minimè uexari solet. Et quanquã uideatur in hoc diuitis conditio melior, falleris: aut enim licet habeat fundos et domos, pecunijs caret: aut etiamsi habet, habet & onera domestica: & si etiam non habeat grauius uidetur iniustè quicquam soluere, quam non habere quod soluat, quoniam in illo & iniuria et dolor dum priuatur commodo, continentur. Sicut etiam est grauius excœcari quam cæcum esse. Res enim humanæ omnes motu mirum in modum augẽtur: mutatio enim causa est sensus. Si quis habeat centum cororatos aureos in reditibus, satis sibi locuples esse uidetur: si sexcentos redeat, aut ad quadringentos dolet & tristatur. Quicquid enim est aut effunditur, aut consumitur aut reconditur. Si effunditur: deest ubi imminuatur. Difficilius est prodigalitatem retundere quam liberalitatem: uitia enim cum circa extrema consistant, potentiora sunt & magis firma uirtutibus quæ circa medium. Si cõsumitur. manifestũ est defuturũ necessarijs quod decedit. Si recõditur:

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Quot & quanta sunt etiam diuiti ex consuetudine onera extra ordinem imposita? Petunt amici, clientes, uicini, pauperes, sacerdotes, ita ut diues nostris temporibus sit administrator, non dominus opum suarum. Quid de filijs, uxore, domesticis, affinibus dicam? Quid de furtis? Argos sit oportet, nec sufficiat ad eas custodiendas. Prandia exhibere amicis, principibus conuiuia oportet. Denique si dona non poßint auferre, mutuo petunt adulatores. Si deneges, totidem habebis inimicos, de te male dicunt: si des non habebis, aut uix habebis, aut factum deterius: reliquos etiam ad hoc officium inuitabis. Quibus si des iam nundinis domus tua similis erit: si non des, etiam ad iurgia peruenies. Queruntur enim his, quibus dedisti postpositos esse. Si retineas & abscondas, aliquanto deterius tecum agitur ac si non habeas. Nunquam deest importunus adulator, impudens amicus, tædiosus familiaris, ambitiosi proceres, uicinus, cliens, sycophanta. Nimis beati essent si qui diuitias habent eas poßiderent. Ita est de illis, ut de horis ac uiridarijs, minor est dominorum uoluptas atq; possessio. Adde quòd etiam magis oblectantur qui raró his fruuntur, quam qui aßiduè. Sed iam ut dixi, etiam in periculis longè tutior est diuite pauper: ab occultis enim insidijs ac ueneno securus est. hæc enim potentioribus parata uidentur, sed de ui ipsa etiam non dubito, quandoquidem

diuites diuitib. inimici fiũt ac potentioribus. His quoq; de honore cõtentio est & de magnis rebus, unde tales maiorib. frequẽtioribusq; in periculis uersantur. Principes certos destinãt ex proceribus quos periculis obijciant, non cerdonem aut fabrum.

Iam uerò ut uideas quanta sit paupertatis utilitas, nullus diues feliciter uiuit, nisi dum pauperi similis efficitur: scilicet si cum paucis domesticis, si frugaliter, si philosophiæ operam det, si diuitias poßideat tanquam non habeat, atque eo animo: quod igitur similitudine sua beatum efficit, beatum est. Quomodo enim inter turbas fælix esse potes? ubi rumores, iræ, uerba, murmura, omnia incondita? atque hæc quo ad animam. Quod ad corpus attinet, peditus, ructus, tetri halitus, nihil iucũdum in homine præsertim uiro, præter cutem. An dormire uelis solus an cũ multis? at humana felicitas quieti & somno simillima est, imò etiã per id tempus maximè habetur. Scripserũt de solitudine, atq; illius laudes non insulsè plures, nihil enim tã dulce quã solum esse, proximum huic cum paucis, minus cũ multis. Si felicitas est uoluptas animi ex ratione percipiente poßeßionem iucundi? quomodo in turbulentis et inter strepitus felicitatem percipiemus? aut illius compotes esse poßumus? Principes et Imperatores legimus, quoties felicitatẽ et uoluptatẽ cõsequi uoluerunt, in recessus se cõtulisse. Augustũ primo, inde apertius Tiberiũ, Domitianũq;. Quinetiã quãta uis licẽtia cõcessa,

dulciores

dulciores ſunt ueneris uoluptates, oſcula, amplexus, luſus quotieſcūq; teſtis deeſt. Videtur enim primum principum noſtræ naturæ unitas: proximum duo, inde tres atq; in his finitur tranquillitas. Quam ſuaue eſt cum uno communicare conſilia ſua? atq; pandere ſecreta, quæ obijci nequeunt. nam cõuinci unico teſte nemo poteſt. Itaq; ſolitudo, paucitasq; clientum & familiariũ, quam qui diues eſt aſſequi non poteſt, res eſt perquam ſuauis, imo ſuauiſsima: melius ſeruit unus quam duo, et duo quam tres, mihi crede ſæpius experto. Quot famuli tot domini, imò potius tot hoſtes ac inimici: maior quies in paucis, & minus tædium atq; impenſa. Abeſt domeſtica rixa malorum maximum. Frugalitas quoq; ualetudini & uoluptati tam commoda, paupertatis comes eſt, diuitibus exoptata & quæſita. Semper autem id animaduertere decet, iucundiora eſſe quæ cõtrarij ſpeciem retinent.

Velut falſa ueris ſimilia, uera quæ falſis aſsimulantur. Pueri puellarum effigies, puellæ puerorum imaginem habentes, frugalitas in diuite, apparatus in paupere, humanitas in potente, conſtantia in humili: clarus ſapientis ſermo, prudens idiotæ. Horum omnium una cauſa eſt admiratio, admiramur enim quæ magis naturæ contraria eſſe uidentur, & rara & difficilia. Admiratio animum mouet, motus autem animum exhilarat, ſi rerum ſit iucundarum. Eſt autem iucundum, cognoſcere, ſentire atq; intelligere. Falſa quæ ueris ſimillima

ſunt

ſunt adeò appoſitè deſcribuntur: quoniam non fortuitò contigerunt, ſed conficta ſunt, ut ueris ueriora uideantur: multaq́; continẽt quæ pulchra et ornata adeò ſunt, ut plus delectent. Vera quæ falſis ſimilia ſunt, admiratione & miraculo grata fiunt. Ita quòd præcipuũ eſt in contrario, in alio continetur. Quid præcipuum eſt in uerò? fides: quid in falſo? rei magnitudo: utrũq; igitur in utroq; continetur. Falſum quod ueri imaginem refert, fidem recipit ob id quòd uero aſsimulatur, & magnitudinem ex ſua natura poſsidet. Verum quod falſo ſimile eſt, magnitudinem recipit ab imagine, fidẽ à natura propria. Ita puer fœmineis moribus, agilitatem, ingenium, robur, præſtantiã à natura propria habet: pudorem, patientiam, manſuetudinem ab eo cui ſimilis eſt. Puella etiam puero moribus ſimilis, pulchritudinem, patientiam, manſuetudinem, pudorem, decorẽ & ueneris uſum, quem præſtare poteſt ex natura fœminea habet: promptitudinem, ingenium, memoriam, iudicium, agilitatem, nitorem morum ſeu ſynceritatẽ, ex maſculina idea, ut ita dicam, recipit. Ita etiam in actionibus quæ ſciuntur, ſi tanquam non ſciantur tractentur, o quam multum proderit? nam & gratus uideberis & bonus, & omni deniq; uirtute præditus, inimicum aduerſarium inuades. Multi ut ſcire uideantur, multo plura effuciunt agũtq; quam conueniat, et quædam etiam leuiter malè: ſicq; incautos opprimunt. Alij taciturnitate, quod ſecuriſsimum eſt, cuncta tegunt.

Eſt

Est autem præceptum sanè utile, dißimulare quæ geris. Sæpè etiam quæ non nouisti, tanquam noscas tractare utile est, ac ad fallendum inimicos tuos.

Sed ut ad rem redeam, frugalitas optima est, quoniā cum paucis indigeamus, si paulo comptior mensa sit, lauta poterit uideri, nec sanitati tamen oberit. Non *esurire, non sitire, & uentrem saturare minimo ære licet: ideo paupertas quæ lege naturæ constat, magnarum opum uicem gerit.* Quamobrem *rectè* Epicurus *dicebat:* Diuitiarum *aquisitio non est miseriæ finis, sed mutatio. nam & sub his non minus quam sub paupertate laborat animus ac æstuat, licet alio modo.* Pauper *indiget, diues opprimitur: pauper ut acquirat solicitus est, diues ut seruet:* Pauperi *omnia desunt, diuiti immensa habendi cura est, pluribusq; quæ poßidet offenditur:* Pauper *optat habere, diues timet amittere: pauperi quo utatur deest, diuitē usus multarum rerū ac non neceßariarū fastidio afficit:* Pauper *uim, diues longè magis timet insidias.* Pauper *dolet quòd non poßideat interim, diues quòd breui sit relicturus:* Pauper *angitur quòd quos amat, his non habet quod relinquat: diues quod relinquere cogatur his quos non amat:* Pauperi *tempus deest ob labores, diuiti ob luxum, inertiam & socios.* Ergo *mundus uictus, non lautus nec luxuriosus opportunus est: atq; ita figulinis tàm iucundè ac accuratè ut argenteis uiuendum est, atque argenteis tàm familiariter ac figulinis. Ita de omni ornatu ac suppel-*

lectile

*ectile dicendum est atque uestitu. Si sericeas uestes induere non licet, geras lineas laneasúe, sed pulchras, mundas, corpori appositas ac conuenientes. Ob id metam parandarum diuitiarum Epicurus & cæteri sapientes statuerunt usus necessitatem. Quorsum laboras ut sericeis induaris, si laneæ sufficiunt? quænam superflua cura laborq́; ? Quorsum ut argenteis utaris si figulina sufficiunt? Quid depicta domus iuuat, si clarior est alba? an non candor ille diutius seruat suam integram pulchritudinem quauis pictura? Vis uidere meliorem multo esse conditionem pauperis quam diuitis, utriusque risum inspice. Pauperis lætus & effusus, diuitis semper languidus. Forsan dices, at præstat luxuriose, delicatè splendideq́; uiuere? atque alios qui bonis fortunæ abundant imitari? Si ducaris inuidia, semper habebis cui inuideas: ergo nunquam assequeris finem? itaque quantumuis diteris, semper dolebis: dolor autem felicitati seu animi sit, seu corporis è regione aduersatur: nam felicitatem uoluptatem esse diximus animi ex ratione cognoscente possessionem iucundi. Inuidiæ ergo uitium est, quod solum rectè ex aduerso felicitatis positum est: adeò ut omnes uitijs laborantes, felices esse ac dici poßint, duntaxat solis exceptis inuidis. Auarus, superbus, iracundus, iners, atq; gulosus, libidinosusq́; felices esse possunt, proprijs enim uitijs sæpè delectantur, inuidus nunquã. Est inuidia purus dolor. cũ uerò duplex sit inuidia, ea sola proprie

proprié nomen hoc meretur, quæ de alienis bonis dolet: nam quæ optat bona, dolorem affert, sed longè minorem. Quæ uerò gaudet de alienis malis, non affert infelicitatem ullam, quamuis sit uitium. Sed quia gaudere de malis alienis, & tristari de bonis seinuicem consequuntur: sequitur ut tales qui alieno malo gaudent, cũ etiam de bono doleant, necessario sint infœlices: Triplex igitur ratione inuidiæ genus. Horum igitur qui inuident, cum triplex sit genus, quod optat bona uitio non ascribitur, felicitatem tamen impedit: quod alijs mala optat felicitatem non impedit, uitium tamen graue est, quòd de alienis bonis dolet, felicitatem impedit, & uitium graue est. Qui ergo ut alijs æquẽtur, diuitias quærunt, hi miseri sunt, atq; longè infeliciores his qui ob paupertatem: nam hi finem suum assequuntur, aut assequi posse sperant: at illi non sperare rectè possunt ad finem peruenturos, multo minus illum assequentur, quamobrem in perpetua molestia sunt: magnũ igitur commodum gaudere partis, atq; uti illis ita ut uelis quæ habere poßis, non ut poßis quæ uelis habere: proximum huic est ut quæras quæ habere poßis, licet nondum habeas. nam sine honesto spes, laborq́; tuus clauduntur: ut uerò habeas quæ quæris, diuitiasq́; nanciscaris, uel ut partis commode utaris, aut patienter & æquo animo paupertatem ferre discas, non cuiusuis est ut multi existimant hominis, sed artis opus: non minus quam Geometræ aut astrologi. Vnde etiam ad specialia atq;

lia atq; præcepta ueniendum. Scireq́; ac contemplari singula diligenter oportet. Itaq; ab initio, ut de primo dicam, mentem adhibere oportet, atq; etiam cum mente operā: utq; in singulis minimus error in principio, maximus fit in fine, ita etiam in hoc casu, atq; magis quam in alijs, siquidem diuitiæ ex diuitijs fiunt, & res ex re, non ita omnino in cæteris: nam ex fundis & domibus alijsq́; rebus reditus colliguntur: ex pecunia fœnus, ex mercibus lucrum. Cum ergo ab initio decem collegeris aureos coronatos, sæpe euenit ut uiginti annorum spatio ad decem mille perueniant, replicato sæpius lucro. quanto enim minor est pecunia, lucrum maius fit pro ratione: nam homines in paruarum rerum emptione conniuent, & sæpius repetere licet. Magnarum uero pecuniarum licet non sint lucra adeò magna nec frequentia, nihilominus per se lucra sunt magna. Adeò ut solum ex permutatione monetæ (ita dicere licet) non exiguā utilitatem consequamur. Ergo ab initio maximè diligentissimeq́; studendū, ut aliquid colligas, Memor illius dicti: Ex nihilo nihil fit, ut ergo aliquid colligas, duobus illis Epicteti præceptis utaris: scilicet: ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Ob id dicebat Nicolaus uignarca, qui ex pauperrimo factus est ditissimus, cum à Cæsare Vicecomite interrogaretur, quonā pacto id egisset? respondit patientia et abstinentia. nullū enim laborem quem mihi utilem existimarem prætermisi, nullam uoluptatem cœpi. Addo quod temporibus difficil-

limis, & in calamitatibus publicis hæc contigerunt, nulla autem tempora opportuniora sunt his, qui ditari uolunt. Vnde Marcum Crassum ex ruinis incendijsq; publicis, tum seditionibus ditatum in immensum, historiæ tradunt. Vitanda ergo maximè quæ depauperant hominem dulciter: ea autem sunt quinque, ludus, Alchymica, Architectura, lites criminales & luxus. Ludus duobus modis hominem depauperat, dum pecuniæ amittuntur, & dum negliguntur negocia & artes. Verum non semper qui ludunt amittunt, sed qui uel imperiti sunt, uel infortunati, uel qui cum deceptoribus ludunt: luxus uerò manifestè depauperat hominem, siue quis circa libidines, seu circa comessationes profundat. Alchymica uerò noua spe semper animos replens, loculos euacuat: nec ulla sine fructu certior aut maior iactura, quanquam ludus quandoque celerius cuncta absumat.

Numerũ eorum, qui horum modorum altero repente mendici facti sint, non facile collegerim. Accusationes uerò atque defensiones, & ob contentionem & & ob necessitatem exhauriunt suauiter patrimonia; sed cum in alijs abstinere liceat, atque ob id Epicteti præcepto salubri uti, in accussationibus etiam utile erit, in defensionibus non ita. sed profundere cogimur ob accusatoris peruicaciam. Atque hæc de abstinentia generali. Specialiter autem singulis

gulis diebus multa occurrunt, quæ hominem ad emendum & consumendum pecunias inuitant: quæ quanquam paruæ iacturæ singula sint, si tamen colligantur, cumulum satis magnum in anno coaceruant: quòd si plures sint anni, etiam magnum è pluribus cumulis paruis cumulum conficiunt. Et *in primis ut dixi præcipuè annis, præsertim in mercatoribus, diuitias aut paupertatem afferunt.* Quam *obrem maximè studere oportet, ut ab initio parcus sis, & nihil perperam, quantumuiis minimum effundas; sed uale dicto cupiditatibus ac iocis pecunias collige. tot igitur de abstinentia dicta sint.*

De *patientia uerò in laboribus, in industria, in inuentione, tribus enim his patientia absoluitur: atque ea quæ ad labores pertinet minus fructuosa est ad quæstum, quæ ad inuentionem optima, maximeque lucrosa, quæ ad industriam media est inter has.* Et *quamuis ex contrario in contrarium difficillimus sit transitus in omnibus, præterquam ex ignominia in gloriam & honores, quòd si affectus in solo animo positi sint. nam non ita ex orbitate in sobolem, ex morbo in sanitatem, ex impudicitia uxoris in pudicitiam facilis est transitus: attamen paientiæ auxilio atque industriæ medio contingit hoc frequentius in paupertate, quam in cæteris malis, scilicet ut in contrarium fiat*

 transitus.

transitus. Vehemens enim appetitus ex paupertate oritur, ex quo oblata occasione perseuerante ob appetitum labore, opes egregiæ parantur: at si ex orbitate soboles oriatur, nam tam industriæ aut alterius uirtutis nostræ munus est quam fortunæ. Ex morbo autem aliquando contigit curatos diligentius, ad meliorem statum peruenisse: multas enim mulieres steriles ex curatione superuenientis morbi, fœcundas effectas uidimus. Hoc idem etiam in uiris, quamuis non tam sæpe. Et ex febribus curatis alios factos fuisse melioris habitus. Sed ut ad rem redeam, ex patiētia atq; industria, uel inuentione persæpe magis ditantur pauperes quā mediocres: nam in pauperibus uehementior ille affectus comparandarum diuitiarum, & timor expertæ iam inopiæ auget patientiam ad labores, ad industriā, ad quærendam nouam inuentionem, atq; amplificandam illam. Ergo in hoc manifestè uides ad opes non parum conferre paupertatem. De laboribus ergo res perspicua est: at de industria non adeò. Intelligo igitur industriam augeri debere, ita ut artificum opera diligentius absoluātur. Diligētius dico, politius, subtilius, ornatius, maiore cum gratia, atq; proportione ad unguem seruata, nec solum in forma, sed etiam in materia eadem cura adhibeatur, è Chalybe purgato non impuro ferro. Sed & chalybs eligatur qualis apud nos sagittalis, melior autem Damascenus aut Perisicus: coquatur sæpius, tundatur, succis imbuatur. hæc omnia ad in-

dustriam pertinent, Si quid autem minus uulgare sit ex his, ac præcipua aliqua utilitas ex ea industria oriatur, ad inuentionem pertinere dicemus.

Sunt & alij modi parandarum diuitiarum: Hereditas Principum atq; potentiorum, gratia magistratus mercatura & casus, ut Thesauri inuentio. Sed et in his abstinentia & patientia in obsequijs, in officijs præstãdis, industria quoq; ac labore opus est non exiguo. Cũ uerò ex his non omnibus omnia conueniant, uidendũ est quibus hæc uel illa congruant. Hoc igitur scire ex pedit ex hominis conditione, arte, statu, loco, tempore, causáq; paupertatis. Si enim res naufragio pereat, ad mercatores confugiemus: sin bello, ad duces, & socios, milites: si pauper natus sis, ad principum familiaritatem, ad industriam & artem: si sumptibus immodicis & luxu, alios quæras qui luxuriosè uiuant. Quædam sunt artes quæ breui discuntur, et sine sumptu ullo, quæ tamẽ utiles sunt, sed omnes infames: uelut lenonia, pro senetarum, uatum, ludicra, causidicorum eorum qui solicitant, non legibus defendunt lites, præstigiarum, unguentariorum, & fucorum, parasitarum, tubicinũ, conuiuia ordinantium, medica, atq; huiusmodi plures aliæ. Quibusdam ipsum infortunium opes attulit: uelut Virgilio bonorum proscriptio, Horatio etiam captum fuisse. Vterq; enim longè magis quam antea ditatus, etiam amicitias Augusti & procerum promeruit: gloriamq; non mediocrem, non solum sua ætate,

sed ad hanc usque diem perennem sibi comparauit. Quis ergo est qui sic aut capi, aut proscribi nolit? conueniebant hæc illis sæculis: nunc prandio poëta conducitur, & aureo carius opera illius emitur. Si reuiuiscat Homerus, id dicere uulgatum licebit.

Si nihil attuleris ibis Homere foras.

Irrridentur Astrologi, contemnunt Geometræ, esuriũt Musici, mẽdicãt Grãmatici, quis ergo sanus poësi his temporibus operam dabit? Fracastoreo obfuit non parum fuisse poetam, mihi ad opes mathematicæ. In precio precium nunc est: Medicina & leges uiolenter potius quam ob hominum eruditionem, magnifacientiam, æquam uoluntatem, aut rectum iudicium adhuc propriam quasi authoritatem retinent.

Quare seu uelis tu literis operam dare, seu filios instruere, sicubi arborem in poësi & mathematicis imitare, Cerasi in Medicina ac iuris prudentia. Sciant prius homines te absolutum esse medicum, uel iurisconsultum, antequam mediteris discere aliarum quampiam artium: uelut Rhetoricam, Geometriam, Poësim, Græcas literas, aut tale quid huiusmodi. Nec detestor hos mores, ignorantia enim meliorum poesis olim in precio fuit. Primus namque apud Romanos Cicero philosophiam docuit: uerum breui turbata res Reipublicæ seditionibus atque interrupta, locum incremento non reliquit. Sed ut Homeri tempore atque

Hesiodi

Hesiodi apud Græcos: ita Virgilij et Flacci apud Romanos immixta pauca philosophiæ præcepta, multis carminib. effecerant, ut ijdem essent sapientes & philosophi ac poëtæ: ita conuenit, ut ob id etiam poëtæ in pretio haberentur. Videndum est autem quid commodi paupertas Virgilio attulerit ac Flacco: Num libros forsan aut doctores, uel uitæ commoda, aut locorum ac gentium cognitionem? Sanè ridiculum. Quid ergo, patientiam laborum, industriam, potentiorum cultum, promptitudinem, obsequium, fortitudinem quandam, ut semetipsos experientiæ subijcerent, & quædam etiam supra uires auderent. Vnde in epistolis ipse Flaccus:

Et laris & fundi paupertas impulit audax
    Vt uersus facerem.

Itaque ex huiusmodi contigit, ut potentiorum amicitiæ insinuarentur, & ex hac famam & gloriam insignésque diuitias compararent. Nolim dicere, alioqui si pauperes non extitissent, si nõ propria amisissent, pauperes futuros: sed illud dicere ausim, serius aliquanto ad hæc omnia peruenturos, nec etiam opera illorum tam elaborata conscripturos, ut non solum opum, sed & gloriæ & famæ minus illis in posterum relinqueretur.

Verum ut dixi, non ex æquo omnibus hæc alea succedit, imò nec expedit, quandoquidem si naturæ lege uixerit, nũquam poßit esse pauper, si opinione, nunquã

diues: opinio enim cum falsa sit, nullum finem suis desyderijs statuit; at natura finẽ rebus omnibus imposuit. Vnde tibi pulcherrima Senecæ sententia: cum uolueris dignoscere an quod desyderas naturale sit ac iustum? an ex opinione & absurdum? consydera an quod desyderas metã habeat an non? si habet, naturale est, si non, ex opinione falsa desyderium illud oritur. Infinitum enim illud nostrum desyderium in nobis non est, ob naturam nostrã quæ huiusmodi sit: quid enim absurdius, sed ob defectum atq; stultitiam & imperfectionem: uelut etiam in materia illa prima quam hylen uocamus, neq; enim formis unquam satiatur, ita nec nostra opinio, quoniam perfecta non est. Vt igitur quòd infinita optemus ob imperfectionem nobis euenit: ita quicunq; infinita optant, nec finem desyderio imponunt, se stultos & insanos esse declarant. Desyderium igitur pecuniarum & opum immensarum stultitiæ signum est. O quam rectè Horatius inquit:

Latius regnes aui dum domando
Spiritum, quam si libyam remotis
Gadibus iungas, & uterq; Pœnus
Seruiat uni.

Et quamuis aliquando cõtingat, ut maximis opibus ad nos seruandos indigeamus, quod tamen raro euenit: ut in captis à Turcis, et in edendis splendidis operibus, ut solæ diuitiæ nobis æternam gloriam comparent, ut in labyrintho Minois & Persæ Hetruscorum regis, in

Pyramidibus

Pyramydibus regum Aegyptiorum, in Mausoli sepulchro: Tum etiam in benefaciendo amicis, ac bonis & eruditis, quod præstantißimum est magnarum diuitiarum commodum: nihilominus hominem torqueri animo, & corpore fatigari aßiduè non decet, ob tam incertum, rarum ac leue commodũ, atq; ob id certo iam maximoq; incommodo affici. Præsertim cum tantum, imò plus obsint opes in educatione, ut inferius exponemus, quam iuuent in fortuitis, aduersis casibus. Quanquam non negauerim, mallum esse imò peßimum pauperem delitiosè & in luxu uiuere et educari. Quin potius optimum est diuitem in laboribus & continentia summa, ac parcitate & educari & uiuere. Ideò optimè dictũ est, illum magis frui diuitijs, qui eas minus curat. Et horum etiam præstantior est educatio frugalis quã uita, nam teneriores anni magis in uitia delabuntur: Et ut ille dicebat:

Crescite & in titulos surgitè rite meos.

Sic cum annis uirtutes aut uitia crescunt ac confirmantur, adeò ut pauperi etiam hoc inter cætera commodum in filiorum educatione accedat. Et si diues educare rectè filios uelit, educet ut pauper: atq; ideò apud magistros grammaticæ non in domo, atq; id à primis annis, ne iniuriam puer sibi fieri existimet. Quamobrem non à comparandis diuitijs, ut mos est plebeiorũ hominum, sed à studijs sapientiæ Seneca prudenter inchoandam hanc breuem uitam iubet. Si enim inquit,

illi qui obsidentur, ne seruiant solum, aut ob gloriæ studium famem tolerant; quanto magis ob philosophiæ amorem talia perpeti decet, minus molesta fame: cum philosophiæ possessione non solum libertas uera, sed etiam securitas & animi ab omnibus uitijs, purgatio ac puritas comparetur. Vnde etiam Deo dignus esse non potest, nisi qui illas contemnit, eisque tanquam re fugaci ac minimè stabili utitur. Quod & lex nostra comprobat. qui enim Diuina præcepta seruare cupit, non solum diuitias sed amicos, filios & omnia commoda negligere cogitur. Quod si quis, ut dixi, diuitias ad seruandos filios necessarias esse contendat? siquidem boni sint, illis ad seruandum minimè opus erit, si mali, non expedit: sed neque etiam cũ illis seruari poterunt. Quid enim profuere diuitiæ Claudio, Vespasiano, Antonino philosopho, aut Seuero Pertinaci, Getæ patri ad filios seruandos? Dicat uir probus, si modo cordi sint illi filij, quod Christus, scilicet: Nónne potens est Deus suscitare ex lapidibus istis filios Abrahæ? At quidam mali sunt filij in iuuenta, qui postmodum processu ætatis in bonos uertuntur? è quorum numero fuisse Augustum legimus, & me quoque talem fuisse agnosco: sed nullis pecunijs opus mihi fuit ut me seruarem, seruauit me ab innumeris periculis atq; præsentibus longè melius diuina prouidentia, quam mille talenta seruassent. Iusti progenies non deficiet in æternum. Si iustus esse nolis,

non est

non est quod de stirpis perpetuitate discrutieris. Praeterea superest, quod ante diximus de generali interitu seu iuxta legẽ nostram, seu iuxta Academicos: tum uerò quae etiam super his diximus, etiam si aeterna sit hominum genere. Et quòd si animi sint superstites, parum prodest haec continuatio, gaudebis enim cum maioribus tuis: si non, quid prodest ut in tuo sepulchro multi è stirpe tua condantur? hoc enim homines solum desyderant, ut cum maioribus suis in sepulchris iaceant, non cum descendentibus. Denique nulli affines desunt, quibus sunt filij: tu uerò in communi attauo aut tritauo cum illis coniũgeris. Si is uiueret, omnium illius descendentium filios tanquam tuos existimaret: mors illius efficere non debet, ut sententiã ac iudicium mutes. Nihilominus diligenter, si ita uidebitur cura ut habeas, aut non discrucieris, si non habeas, quin potius ut omnino non discrutieris. Quare opes sic nulli usui erunt. Verum obijcies, ubi de filijs cura habẽda sit, plurimum prosunt opes si cum sapientia coniungãtur. Erudiri enim apud magistros, & illis in contubernium tradi, quamuis ibi paupere cum cultu degant, uitamq; simplicem agant, non est pauperis tamen hoc opus sed diuitis. Vnde etiam illud:

Haud facile emergunt, quorum uirtutibus obstat,
Res angusta domi.

Quomodo enim doctores qui erudiant? paedagogos qui à mala societate, quae nunc frequens est malũ auertant

tant? ab iniũria quoq; tueantur? qui à periculis arceãt? continentiam iniungant? unde libri ad institutionem reliquaq; necessaria huic negocio? Pauperibus pereũt filij in infantia ob necessariorum defectum, in pueritia ob casus, in iuuentute ob rixas. Vnde diuiti duo filij solent maiorem descendentium multitudinem afferre, quam pauperi duodecim. Moriuntur pauperum filij, disperguntur, alij cœlibes ob paupertatem uiuũt: alijs ubi nati fuerint, ob tot mendicitatis incommoda breui moriuntur. Quin etiam pauper quanto numerosiore prole, eo infelicior existimatur & appellatur, diues autem felicior ac fortunatior. Filijquoque diuitum certiores, nam uxor nobilior & melioribus instructa moribus, plures custodes, nulla peccandi necessitas: pauperi malè morigera uxor, solitudo, fames, nuditas, multaq; alia ad fallendum coniugem inuitant: præsertim ubi adulteri non puniuntur. Verum, ut dixi, hac in parte (etiamsi felicitatem in sobole præcipuè constituas) nulla ratione uel quadrãte infelicior diuite pauper est. Vt uerò singula breuiter percurram (nam ubi de filijs agetur, locus erit omnia sigillatim prosequendi) primũ id constituere decet, quòd qui feliciter uiuere cupiunt, omnia iustè si possunt peragant: sin minus, saltem prudenter: si nec hoc, fortiter. Quæ enim iustè aguntur, legibus non subiacent. iustum enim est quod secundum leges fit. Leges dico non solum imperatorum quæ solũ iustæ ueræ sunt, sed etiam municipales, quæ plerũq;

tyrannicæ:

Tyrannicæ: iniustum uerò quòd contra illas. In his ergo parum prudentia indiges ob securitatem. Quòd si non idem sit iustum uerè, & secundum leges municipales: aut magno uersaberis in periculo, aut præpotentem esse, aut ualde prudētem, aut locum deserere oportet: nam multa accidere solēt aut saltem possunt, in quibus quò te uertas non habeas. Si igitur non omnino iustè agere poßis aut liceat, prudentia non parua opus est. Quòd si prudentia te non seruauerit, fortiter aut agēdū aut repugnādū, aut ferēdū quodcūq; euenerit. Dico fortiter agendum, ut si adulterum clam necaueris, aut primum aliò te conferas. Si non licuerit, te aduersus lictores tueberis ne capiaris: pugnabis, decipies, in apertam fugam te conijcies, captus ut è carceribus euadas, nihil intentatum relinques. Si non liceat, factum denegabis, tueberis te rationibus, prudenter respōdebis: demum etiam aculeum ignes omniaq;, potius fortiter feres, quam ut fatendo moriaris. Vbi ergo aliquo modo succubueris ac conuictus fueris, nihil reliquum est nisi ut fortiter feras neceßitatem.

His ergo constitutis, ad singula obiecta ueniamus: Doctorem te esse oportet filiorum tuorum, non alium quærere necesse est, neq; enim illorum amantior quisquam esse potest, nec circa eorum curam diligentior aut attentior: nemo fidelius illos instruet, nemo mitius in illos animaduertet, nullus minus in aliorum instructione occupabitur, nullus uitia corū naturalia magis intelliget.

intelliget, aut melius obuiam ibit. Quòd si eos instruere oportcat in literis (hæc enim de moribus dicta sunt) tu uerò ignarus earum sis, non deerit amicus tibi, qui uel ipse hoc possit, uel ut alij uelint efficiat. Sunt ludi literarij communes & musicæ, multi etiam bene institutos pueros precari docent, tùm sponte, tùm spe, tùm persuasi ab amico: nonnuquam etiam pecunijs ab eo acceptis, adeo ut è ciuibus quantumuis mēdicis nullum uideam, cuius filij ob paupertatem magistro artes liberales docente indigeant. Itaq; factum est ut plures pauperes in optimos musicos euadant quā diuites. Et Erasmus nostra ætate linguis eruditissimus, non alijs magistris quam è publico stipendium merentibus usus est. Libri nūc beneficio Germanicæ inuentionis, typographicæ scilicet artis paruo ueneūt, mutuò habere licet, uti uetustis & obsoletis codicibus, in quibus præter nitorem nihil desyderatur, cum sint castigatiores. In infantia securius agunt, nam optimus cibus est panis coctus in iure non pingui. Diuites, carnes, oua, uinum nō infantium sed morborum alimenta subministrant. Apud Rhætos & in uillis depastos pulte, somno & quieti tradunt, ut nihil melius, seu ad corporis robur, seu ad ingenij acumen, seu bonum habitum, aut mores mansuetos, aut patientiam, ad labores, ualetudinemq; prosperam. Laudabantur Aegyptij, ut Diodorus Siculus refert, qui filios suos caulibus palustribus & graminum radicibus nutriebant, ita minimo alebantur: Ae-

tatis

tatis successu piscibus; demum etiam pecoribus uescebantur. Sic plures alere licet, & simpliciore cibo, ad mores, ad sanitatem, ad fœcunditatem. Mori persuasum habemus ex necessariorum inopia eos, quibus delitiæ & lauti cibi tum potus non suppetunt. Pueritia pauperum cum in custodia aßidua parentum sint, securior est à casibus quam diuitum. Fato nemo obuiam ibit: quo laxiores habenæ, eo periculosior euentus. Vbi adoleuerint artibus instructi, neceßitate operi alligati, paupertate modestiores, rarius periclitantur ob rixas & contentiones. Fœcundiores sunt diuitibus pauperes, & ô quot sunt pauperum filij qui diuitum esse existimantur? incubant alienis lectis pauperes frequentius quam pauperum diuites: ob id nec certiores filij diuitum, nec securiores quam pauperum. Paupera mulier facilius qualis sit dignoscitur, cum plures habeat peccandi occasiones. ubi peccauerit, facilius est de illa pœnas sumere. Hoc plus prodest ad morum probitatem, quã generosa stirps, frequẽtiaq; custodũ. Sed quis custodiet ipsos custodes? Fœcũdiores sunt pauperes diuitibus ob tres causas: laborem qui absumit aqueum humidum, quo generatio impeditur: somnum qui profundior illis aduenit ob labores & uictus simplicitatem. Nulli etiã gnauo pauperi ob paupertatẽ et defectum necessariorum filij pereunt, sed solum ignauis & improbis. Quamobrem & iisdem filiorum numerus magnus grauis est, & quasi dedecori. At præstantibus

ſtantibus uiris etiam ſi medici ſint nequaquàm. O quoties me pauperioribus ob numeroſam ſobolem inuidiſ omnes originem ducimus à diuitibus & pauperibus, ſed à pauperibus longè pluribus quam diuitibus.

Quæ igitur, ut dixi, obſeruanda ſunt, ſcilicet iuſtitia & fortitudo atq; prudentia, in pauperibus plus afferunt utilitatis, quam ſi in his peccet diues. In criminibus confeßis nulla eſt uenia. Euaſit nuper ob conſtantiam in tormentis famulus filij mei, qui pretio uenenũ dederat dominæ ſine cauſa, perijt filius meus qui nec iuſſerat dari. Aliqui iudicia ob diuitias euadunt corruptis miniſtris, teſtibus iudicibus, longè plures tamẽ ex pertinacia negandi crimen. Habent ſingula quæ indifferentia appellamus ſua bona, ſua commoda, ſuas ſecuritatis anſas, ſuasq; defenſionis rationes. In his tamen quæ mutari poſſunt, nec tanta iuſtitia, prudentia ac fortitudine opus eſt. Iuuant hæ uirtutes in omnibus, ſed in his quæ mutari nequeunt, quæq; magna ſunt, ſunt etiã neceſſariæ: uelut apud nos in coniugijs, in criminum confeßione, in emptionibus ac uenditionibus fundorum, in Principum ſeruitute, in ſuſcipiendis magiſtratibus, aut profitendi munere: at ſi equum emas, nec bonus ſit aut non placeat, uendere licebit non magna iactura. Si iter importunum ſuſceperis redire licebit. Si tibi unam conduxeris quæ non arrideat, uale dicere potes: ubi de hominis ſalute agitur, memento magnam rem eſſe admodum, & inreuocabilem errorem ſi occideris.

deris. nam multi in iuuenta mali, optimi ætatis processu euadunt. Quamobrem iudices ad misericordiam deflectere in his, qui iuuenes admodum non antea deliquerunt, semper debent: at multi inani ambitione, & sortis humanæ, & propriæ conscientiæ immemores ducti, non illud Euangelicum obseruant: Quisquis uestrũ sine peccato est, primus in eam lapidem iaciat, sed sæuiunt. Itaq; & hoc pauperi commodum, ut nec iniustus nec sæuus dici mereatur. Plura enim sunt in quibus nõ poßis bene cõsulere, nec quicquã sit melius quã negocij non esse participem, horum ergo malorum expers est pauper. Sed tamen pleriq; optant hæc iudicia exercere, ut timeantur atq; amentur, existimantes etiã hoc illis gloriosum esse. Sed si quis reputet difficultates incorrupti iudicis, cum in diuina clementia, illinc humana ambitio, hic lex, illic æquitas, hic gratia, illic iusti amor, hic lucrum, illic innocentia, hic potentium respectus, illic scelus ingens, hic ueritas facti, illic pertinatia negãtis: Ille fassus est etiam quæ non fecit, hic in tormentis obduruit deteriore incrimine: quonam pacto incorruptum te præstabis? Sed tamen ob id hanc aleam subimus, quod maiora existimamus quæ habemus, quã quæ expectamus: tandemq; eò deuenitur, ut rata etiam apud Deos, quæ nonnunquã à regibus rescinduntur, iudicia credamus. Horum igitur omnium malorum expertem esse pauperem, sibi pro lucro, non pro calamitate esse ponat. At ueræ ac solidæ laudis & gloriæ nõ

minus particeps est pauper ipsis regibus, quamuis non adeò manifesta sit pauperum ut regum dum uiuunt fama: quoniam regum laus & gloria potentia fulcitur, pauperum non. Plures uideas è pauperibus quam potentioribus, quorum fama celebretur. Numera philosophos omnes quorum ne unum quidem diuitem natū esse crediderim, Grammaticos, Rhetores, Poëtas, Medicos, præter unum Galenū: Mathematicos, præter unū Ptolemeum, quem diuitem fuisse existimo: Iurisconsultos etiam plerosq;, pictores, statuarios, sculptores, artium inuentores, uiros sanctitate insignes, omnes pauperes. Soli Reges & exercituum duces, sed & horum aliquot præcipuiq; pauperes fuere: Camillus, Fabius, Cincinnatus, Miltiades, Cymon: Et qui respub. rexerunt diuitibus adnumerantur, ut Nicias & Alcibiades: Sed & inter hos pauperes etiam aliqui gloriam magnam consecuti sunt, Lycurgus, Solon, Aristoteles, Phocion, Publicola, Catones utriq;, quamuis iunior mediocri censu fuerit. Ita difficile fuit ac quasi monstrosum in tam diuite repub. eos, qui magistratum Romæ gerebant pauperes fuisse. Vt ergo gloria lausq; communia sunt diuitibus ac pauperibus: ita etiam non est pauperum cōditio diuitum ulla ex parte hac in causa inferior. Si enim ad multitudinem spectet, longè plures paupertas obtinuit: si ad antiquitatem, nec in hoc paupertas cedit opibus: Orpheus, Hesiodus, Homerus, Irus Agamemnoni comparatus. Si ad causam, efficacior in

nior in pauperibus scilicet uirtus & eruditio: Si ad magnitudinem, pauperum multo excellentior. nam regum solum nomina recensentur, quorundam etiam gesta leguntur: at eruditorum libri in manibus habentur, & eorum mentes dum hos reuoluimus nobiscum sunt atq; uersantur. Quamobrem non est ut diuitias optes ob gloriam, cum potius impedimentum quàm auxilium ad eam afferant: ipsæ uerò nisi cum immensæ fuerint, per se ingloriæ sint.

Cæterum ut ad reliqua diuitiarum commoda redeamus, quæ sunt, cibi, uina, uestes, ligna, suppellex, domus, famuli, ancillæ, equi, amici, medici, medicamenta, ornamenta, uiridaria, concubinæ, aliaq; infinita, cum ad decorem, tum ad uoluptatem, quibus omnibus miserum paupertatem carere perspicuum est. Sed & diues plures ac magis fidos amicos habent, id autem maximè ob duas causas: primam quidem quòd amicitiam inimus ob spem consequendæ utilitatis, in aduersis si quid contingat: at à paupere non possumus sperare auxilium, quemadmodum à diuite. Altera est, quòd timemus, ne nobis pauper petendo grauis sit: nam si & nos simus pauperes, plus uerecundiæ nobis merito negantibus inijciet, quam sibi importunè petendo comparauerit. Sin autem mediocri simus censu, aut dando depauperabit nos, aut negando renuntiabit amicitiæ nostræ. Sin uerò ditiores simus, ob dißimilem conditionem

negat Aristoteles, amicitiam facile posse conflari. Omnibus igitur in uitæ commodis paupertas uidetur opibus inferior. Similiter & in honoribus, gratia principum, magistratibus, & quæ ex his omnibus comparatur, quanquã mortales omnes appetunt, quæ etiã felicitati proxima est uoluptate, nec non etiam quæ ex his conflatur antedictis scilicet Potentia, & quæ ex potentia statim defluit libertate omnium dulcissima, tum etiã quæ optima est rerum humanarum, & immortalibus bonis simillima securitate. Vt contrà pauper etiamsi quid habeat præstans, quòd potentia destituatur: ut uxorem formosam & prudentem, filium egregiæ indolis, gemmam raram, picturam pulchram, antiqui operis exemplũ aliquod, nec tutò nec securè, atq; ideò nec cum uoluptate illa possidere potest. cum liber haud sit. Nec putes uana esse hæc: uiget mos apud Turcas nunc ut quicquid sit pulchri apud Christianos, rapiant, & abutantur uirginibus, pueris, alijsq; minoris pretij rebus. Et olim apud Taurinos cõsuetudo fuit, ut qui principes essent nuptas primum deflorarẽt: ut dicere possimus, quòd alias etiam ex Satyrico adduximus:

——libertas pauperis hæc est
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat
Vt possit paucis cum dentibus inde reuerti.

Verùm falleris, si prudẽtia adsit, nihil pauperi deest ad bene beateq; uiuendum. Sed oportet primum eum qui feliciter uiuere uelit cauere, ne sub tyrannis uiuat.

nam cum ſub tyrannis uiuitur, infelicem hominem eſſe neceſſe eſt, neceſſe eſt enim iniuriam inferre aut pati. Si infers? malus es, atq; ideò, ut iam oſtendimus, infœlix: ſi patieris, etiam infælix. nihil enim inter mortales caſus iniuria durius eſt. Ergo quomodocunq; ſub tyranno uixeris, infæliciter uiues. Illud præterea etiam grauius, quòd tyranni ſunt omnes tyrannorum miniſtri, tum morum ſimilitudine, tum ob emptionem magiſtratuum. Quamobrem nihil durius, quam ſub tyrannis uiuere. Optimè igitur agit qui patriam ſibi eligere nouit, ſub rege aut republica (ſed hoc minus fallax) nō ſub tyranno, ſalubrem, & in qua eruditio arsúe tua & mores in pretio ſint. Quod igitur optimum ſit homini iam diximus, ſcire patriam & locum in quo habitet eligere. Secundum eſt, eligere uxorem: tertium artem & exercitationem, quartum amicos. Qui hæc norit aut felix aut etiam beatus erit. beatum dico omnibus felicitatis numeris abſolutum. Si igitur locum delegeris liberū, omnia tuta erunt: aliter ſe inferre collegijs uel ſocietatibus oportet, aut principi familiaritate iungi. Sed & hæc omnia non omnino tuta. In ſocietatibus ac collegijs ſuſpecta eſt inuidia, adeò ut unde fauorem expectes, timenda ſit iniuria. Principum amicitia à ſeruitute parum abeſt. Itaq; ad libertatē, ad iuſtitiā, rurſus recurrendum eſt. Quòd ſi non idem ſit locus ſalubris, et in quo ars tua in exiſtimatione ſit, uel ubi reges dominētur, primū puta eſſe reipublicæ ſtatū: quòd aduerſus

tyrannidem ab initio minora ſint præſidia, in proceſſu temporis maiora & ſæuiora immineant. Poſt ſalubritatis cura habenda. Quid enim proficies ubi ſemper ægrotaueris? Vltimum igitur eſt ut obſerues lucri occaſionem. At prauis tyrannica potentia aliquando arriſit ob morum ſimilitudinem. Sed iam fac ut ſub repub. bene inſtituta uiuas, qualis Venetorum, quid tibi metuendum eſt? Cæterum patientia, induſtria & corpus, ad labores & incommoda firmius, priuilegia ſunt paupertatis, non quod diuites non ſint induſtrij & patientes ac firmi: nam duces exercituum nulli pauperi in hoc cedunt, imò & reges bello aſſueti, ſed quoniam pauperes uſu & neceßitate in his meliores euadunt. Ex induſtria patientiaq; prudentia ac fortitudo oriuntur. Ex induſtria prudentia, ex patientia magis fortitudo. Inde ex paupertate tandem militia quæ omnibus his conſtat medijs, ſcilicet induſtria et patientia, ac ad media conſequentibus prudentia & fortitudine: quod Virgilium ſenſiſſe, Seruius, exponens uerſus illos, declarat:

Sum patria ex Ithaca, comes infælicis Vlyßi,
Nomine Achemenides, Troiam genitore Adamaſto
Paupere (manſiſſetq; utinam fortuna) profectus.

His etiam cauſis & firma ualetudo & eruditio comparãtur. Sola enim neceßitas hortari poteſt ad aßiduũ uſum ſtudiorum & exercitationum: ſine quibus bona ualetudo et eruditio non cõparantur neq; manẽt. opes

enim luxũ pariunt, luxus tam animũ quã corpus ener uat. Si qui diuites eruditi emerserũt, cura atq; diligẽtia parentũ factũ est. Itaq; honestius necis genus Siculi tyrãni inuenere, luxuriosã adolescẽtiũ educationẽ: neq; is pater nõ uidetur ad desperationẽ compulisse filium, qui illi in omnib. obsecutus est. Sed præstiterat dũ puer esset, durius tractare, seuerius castigare, ita tamen, ne ille uideat alios melius mitiusq́; tractari. Vnde ad hoc παιδαγωγίσματα utilißima: tã inutilis est sibi alijsq́; & patriæ adolescens malè institutus, quã qui mortuus iam sit: quamobrem curare oportet ut sint optimè instituti adolescentes. Paupertate igitur opus est seu ad patriæ, seu ad coniunctorum utilitatem, pro instituendis pueris atq; adolescentibus. Sic doctrina sapientiaq́; familiaria sunt paupertati. Malorum uerò, ut labor paupertati, ita non minus dura solicitudo diuitijs congenita uidetur: Diuitiæ sine labore sunt, paupertas ἀμεριμνίᾳ fruitur & ἀμεριμνεῖ quod est uacare solicitudine. Neq; enim minor est labor diuitias à fortunæ manu acceptas seruare, tueri, colligere, dispensare, quã de nouo pauperi parare. Et cum pauper acquisierit, longè facilius, eas tractat, quam cui sorte obuenerũt, facilius etiam quam acquisierit. Nemo uerè diuitijs uti rectè nouit, aut illarum commoda perfectè percipere, nisi qui eas parauerit.

Porrò diuitiarũ duo gñã sunt, hæreditariũ et partũ, parãtur duob. modis, iustè iniusteq;: quæ iustè parãtur inter bona

ter bona Christiano et uiro probo digna numerantur. Sunt autem talia quæ malo alterius non parãtur: uelut & uirtus, gloria, libertas, incolumitas, sapientia, tranquillitas, amici, uxor, filij. Ex diuitijs ergo quœ donis, mercatura ac laboribus aquiruntur seu industria, laudabiles sunt, & inter bona repositæ. Quæ uerò iactura aliorum, non sunt optimo uiro dignæ: uelut nec ultio, nec uictoria aut fraus. Quòd uerò pluris sit modus parandi diuitias ipsis diuitijs, declarat iudicium ducum illorum, qui in direptione urbium nihil sibi seruarunt, ut Epaminũdas, Scipio, alijq; multi. Earum autem quæ hæreditate habẽtur usus obtinuit, ut aquisitio honesta esse uideatur, etiam si forsan non sit. Nunc in dubium hæc quæstio reuocãda non est. Postquã ipsi fœneratores, publicani, primum locũ in republica obtinent. Sed non est nostrum propositũ hic de his agere, nec quẽq; lacessere uolumus, nec quid honestum sit aut turpe, iustum aut iniustum decernere, sed omnis sermo ad utilitatem directus est. Ex modis igitur honestis, quibus homo è paupere diues efficitur, est militaris ars atq; prudentia. Nam etsi quando fortuna uotis non secundet, ubi res male cedat, uita & paruæ opes in discrimen adducuntur: ubi afflauerit, bona non solum militum, sed subditorum pro premio sunt uictoribus. Ita nauigatio & alea, quæ sagittæ Philoctetis appellantur. ijsdem enim artibus quibus perijmus, ijsdem sanamur ac resurgimus. Io: Ambrosius Bizozora è meis pueris familia

ribus

ribus unus cum in uirum euasisset, è summa pauperta-te diues, è diuitijs miser nauigatione factus est. Quæ enim celerem habent motum & incrementum magnũ, reparandis opibus sunt accommodata. uelut, ut dixi, ars militaris, nauigatio, alea. at diuitibus fugienda tantundem. fœnus uerò infame omnibus ex æquo conducit. Publicani etiam, & qui ad magna opera facienda conducunt, sub his continentur qui facile è diuitijs in pauperiem, & è contra permutantur.

At gratia principum Abarthonius ex hortulano Sidoniæ rex factus est ab Alexandro magno. Et Seleucus, cum illi esset à pedibus asiæ minoris & Syriæ. Iustinus Imperator è subulco bubulcus, inde lignario fabro operã locauit. Maximinus è lixa & Calone Cæsar factus est. Alij plures è scribis, inter quos Mauritius. Nostra ætate tot tantaq; uisa sunt, ut Sforciæ Iacobi Attenduli casus admiratione dignus nõ sit. Fuit inter cæteros humilis fortunæ, Iacobus Medices solo uirtutis splendore, nulli in militari arte secundus, peritia, fortuna, autoritate, potentia, opibus. Est Castrucij Castracanis nota omnibus historia. Sed in sacerdotijs etiam maior, & frequentior fortunæ mutatio. Qui panem quærebat hostiatim, factus est cardinalis, & nunc magno miraculo celebratur. Sic Io: Bellua et Guglielmus Brissonetus è sordido statu & ipsi cardinales euasere. Pontifex qui nunc est, frater fuit Iacobi Medices: & certè citra omnem adulationem pontificum, pontifex præ-

stantia & integritate dici potest. Quid mirum, cum fortuna neminem indignum reddere poßit, quod ini què sustulit liberaliter reddidisse? Et in alijs dedisse ea, quibus hi ne teruncio quidem aut meliores, aut digniores euaserint? Nihil est opibus mobilius, nihil incertius. cum omnia amiseris plura reddi, & cum fœnore unde nunquam speraueras, contingit. Si honor, si incolumitas, si filij pereant, nunquam uulnus hoc sine cicatrice obducitur. Si alij renascantur. filij non ijdem sunt, non tam tempestiuè, sero fructum ab illis expectare cogeris. Nulla merx uilior opibus, nihil sine spe minus nobis illis perit. Nullum exemplum apud historicos frequentius aut admirabilius, quam eorum qui uel ex humili statu diuitias magnas compararunt, aut amissas recuperarunt. Fortißimo igitur animo paupertatem ferre debemus, atque illi obuiam ire, nec infortunium aliquod minoris facere, sed si liceat commutare. Quo animo ego filij salutem redemeram, ni fata obstitissent? Sed iam uitæ meæ cursum exemplo quodam paupertatis multiplici atque illustri recitare decreui. Ea tamen ratione, ut quæ alias diffusè narraui, breuiter pertranseam, quæ alibi breuiter, hic diffusius. Indulgeant mihi hac in parte lectores, cum in acerbo hoc casu filij hæc tanquam leuamen quoddam doloris scribam. neque enim aliud quicquam faciendo, quam cum hæc scribo dolore adeò ingenti leuari possum. Historiam uerò exordior

dior miserabilem, & quæ uel ipsis Sylosonti atque Neroni lachrimas excutere posit.

Natus sum anno Salutis millesimo quingentesimo primo quasi inchoante nouo seculo, die uigesimo tertio septembris quo Romani Inditionem inchoant, Papiæ, ut prius quam nascerer exilium experirer, medicamentum abortiuum, mater dum in utero essem, ut abortiret alieno mandato bibit, seruatus sum in tot calamitates. Fratres mei sororesq; tanquam nolent aduẽtum expectare, peste absumpti sunt, Thomas, Ambrosius, Catilina: triduo mater laborauit in partu, capite prominente, cum ipsam iam tam diuturnos ferre dolores non posset, per uim extractus, ut meo supplicio matrem liberarem à morte: Mortuus extractus, nigris cum capillis prælongisq;, augurium fortunæ meæ mecum in hunc mundum tuli: uini balneo, quo cæteri extingui solent, reuocatus sum ad uitam: paulopost uictricio diecula peste absumpto miserante patre, à pestilenti domo ereptus sum opera Isidori, Pestæ patritij Ticinensis, sed non à peste, statim enim ea correptus in facie crucis signo, cũ nec Petrus essẽ, nec Andreas, aut Iudas, uel Simon, Christi tamen crucẽ ferens, ac in posterum laturus euasi. Inde lac prægnantis hausi, per uarias nutrices lactatus ac iactatus, hydrope, febribus alijsq; morbis conflictatus sum, donec sub fine octaui anni ex dysenteria ac febre usque ad mortis limina perueni, pulsaui

ostium

ostium, ſed non aperuere qui intrò erant. Antea uerò uariolas etiam crucis ſub imagine rurſus prodigio claro, malo nullo pertuli: unã namq; in fronte, in mente alteram, tertiam in naſi apice, ſingulas in genis, ut eſſent quinq;, uelut ex carbũculi peſtiferi, eiſdemq; in locis. Ex hoc in paternam, ut tunc rebar, ſeruitutem duram transij ad annũ uſq; decimũ nonũ, tegula in capite anno nono uulneratus ſum, ante morbum etiam illum grauem in fronte malleolo è ſcala decidens, ut adhuc cicatrix credo dehiſcente oſſe appareat, poſt quinquaginta annos. Interim me pater docuit loquendo, latinam linguam, Arithmeticæ, Geometriæ & Aſtrologiæ rudimenta. Sed & ſomno matutino indulgere permiſit, nam & ipſe ad tertiam diei horam decumbebat. Sed illud graue admodum mihi uidebatur, quòd quæcunq; haberet mutuo daret alijs, quorum pars quòd nõ eſſet ſoluendo perijt, pars quod principibus data eſſet, maximis periculis & maioribus, etiam laboribus, ſine uſura uix potuit recuperari. Hæc neſcio an dictante dæmone illo, quem triginta octo annis obtinuit atq; poſſedit, ſed integrè ad annum uſq; MCXI atq; ita uiginti quinq;. Rectè igitur quod ad educationem attinet, ut poſtmodum ſucceſſus declarauit, pater filium deduxit cum acrioris eſſem ingenij. huiuſmodi enim pueris non ſecus ac mulis frenum mandere utile eſt. Cæterum cõuerſatio ſua haud aſpernanda, facetus, iucundus, miraculorum & fabularum recitator, multa de dæmonibus narrabat,

rabat, quæ quam uera essent nescio, certè ea historia et admirabilis & pulchrè conficta, mirum in modum me oblectabat. Quod damnari in ipso potuit id erat, quod aliquot aluit pueros in spem hæreditatis si obijssem: quod nil aliud erat quam me manifesto periculo & insidijs patrum illorũ exponere proposito premio. Torquebant se mutuo ob hæc mater & pater, adeò ut separare habitationem decreuissent, qua animi molestia perculsa mater, per interualla etiam hysterico, ut existimo, oppressa affectu cecidit in ceruicem integrá, collisitq; occiput pauimento, quòd è lateribus constabat, uixq; post horas duas nonnunquam tres redijt, & superuixit semper magno miraculo, tũ maximè quòd spumam ex ore ingẽtem ultima uice emiserat. Interim simulato religionis ingressu, in phraticam quam uocãt mendicantiũ Franciscanorum totam tragœdiam commutaui, in gymnasium enim me contuli, anno uigesimo primo inchoante. Ex quo desyderio absentis filij lenitus pater, & illi mater reconciliata est. Antea uerò musicam didiceram, suppeditante pecunia matre clam ipso patre, & dialecticam ab ipso etiam patre in qua adeò profeci, ut antequam in accademiam me transferrem, priuatim aliquos docerem adolescentes. Ergo in Academiam honestò cum uiatico me transmisit, nec mihi uel uerbo negocium unquam exhibuit, clemẽs in me admodum, benignus et pius. Verum toto quo superuixit tempore: superuixit autem quatuor fermè annis

mæstus

mœstus semper uixit, ut declarauerit quantum me amaret. Quin etiam cum quodam fato, dum ægrotaret in patriam reuersus essem, quòd pestis sæuiret, quamuis supremam horam aduentasse præscentisceret, rogauit, imperauit, compulitq; me omninò inuitum, ut periculo quã celerius possem, me subtraherem. Lachrymæ cooriuntur mihi, cum illius in me beneuolentiam mente reuoluo. Sed satisfaciam pater quo ad potero meritis tuis, pietatiq; tuæ. Et donec chartæ hæ legentur, nomen tuũ ac uirtus celebrabitur. Fuit enim incorruptus ad omnia munera, uereq; sanctus. Ego tamẽ implicitus multis litibus remansi, nihil penè explicatum habens præter domunculam. Stultè uerò & id egi, quod Rector gymnasij Patauini effectus sum, tùm cum inops essem, & in patria bella maximè uigerent, et tributa intollerabilia. Matris tamen sollicitudine effectum est, ut pondus impensarũ, quamuis ægrè sustinuerim. Dices, quid te ad hoc compulit? ira certè & insania, quod, ut dixi, impotens essem ad uenerẽ, adeo torquebar ut uita mihi odio esset, tentabamq; omnia fatis ita uolentibus, quasi remediũ tanto malo inuenturus. Et certè euenit, ut hac causa inuenerim. Ergo cum redirẽ eo anno in patriam, fuit aũt M.D.XXI. pecuniarum exigẽdarũ causa, nil abfuit quin in Benaco lacu tempestate submergerer. Antea quoq; pestem, dum annum agerem uigesimum expertus sum. Memini tamẽ (ita mihi semper malis bona & bonis mala fuere coniuncta) cũ primum conualescerem ab eo morbo (bubonẽ enim è iecoris re

gione

gione super ultimam uerarũ costarum passus sum) petijsse à patre an dæmonẽ uerè haberet? Qui, ut dixi, iã me amabat palàm, fassusq; est habere, sed non uinctum tunc: soluisse enim cum morbo illo graui premeretur, tumq; desiuisse uera prædicere. Vt ergo ad rem redeã, cum in patriã è Patauio redijssem, omnia inuersa inueni, collegium repellebat, medici societatã meam renuebant, lites cũ agnatis, cum potentibus. Itaq; iterũ ad explendum munus quo fungebar reuersus, amicitiam cõtraxi cũ Francisco Bonafide medico probo, qui me ad Saccense oppidũ deduxit, ibi duxi uxorẽ adolescentulam, quam per somnum uideram, & cum qua solutus sum eo uinculo, anno 1538. redij in patriã cũ uxore sine dote ducta ob uotũ. Eá post modũ mihi peperit Io. Baptistã primogenitum, Clarã & Aldũ. Cum ergo inter extremas inopiæ difficultates uersarer: Ex Gallarate oppido Mediolanũ, desperatis quasi reb. redij, alebam me uxorẽ, matrem, amicã, nutricem, filiolũ, seruum seu famulũ, ancillam et mulã: nunquam tamen felicior si sperare futura potuissem, nã & collegiũ ingressus, & filij superstites & lites sedatæ, & ego diuturnã præter expectationẽ uitã nactus, felicißimus ex tot incõmodis inter mortales euaserã. Quid ergo egerim dicam, ut sciat qui pauper est et familia oneratus, se à paupertate explicare. Cum autem sint pauperum genera quatuor, primũ cum iam premit paupertas quod grauißimum est: secundum cum instat iam, nondum tamẽ premit, ut artẽ habeas quæ te alat, sed filij iã crescunt, & tu existimatione

matione decidis: Tertium cum in periculo omnia uersantur, uel quia credideris debitori potenti, aut qui sol uendo non est, aut naui ac uentis omnia: Quartum cũ casu aliquo præter expectationem omnia pereunt: ut furto, incendio, homicidio, quo ad fiscum omnia deuol uuntur. Priorum modorum discrimen haud obscurum est inter se quo differunt: at quartum à primo sic distin guitur. nam qui natiua paupertate premitur, nullius miseratione dignus uidetur, non potentes amicos adeptus est, non est quòd se iactet, quod nouis negocijs inserat, fidem pro uade exponat, tractationem præferat: quæ omnia illi sunt, cui casu aliquo res omnis perijt. In tertio etiam & quarto paupertatis ramo decet sapientem omnem tantum ab alea, à fortunæ arbitrio, seu in fundo seu in peculio excipere, ut uictum sibi saltem tenuiter seruet. Sic enim frugi rusticum, apum curatorẽ imitabitur: qui non uniuersum mel ex uase excipit, sed tantum apibus relinquit, quantum in sequentem hyemem (autumno enim auferre solẽt) sufficere poßit, Sed quomodocunq; opes iam desint, ut nobis qui non tam in primo genere quã secundo uersabamur, duob. his ac cincti telis occurremus succeßione superfluarũ impẽsarũ, ne quicquã omnino inutiliter pereat et lucri fomitibus. Sũt autem, ut dixi, lucri fomites, inuẽtio noua, in arte existimatio, blanditiæ, amicitiaq; potentiorum, aut illorum qui cum pluribus uersantur, & quid commune cum tua arte habent: uelut si Iurisconsultus sis, defensorum

defensarum causarum, tabellariorum, magistratuum: si medicus, chirurgorum, tõsorum, obstetricum, pharmacopolarum, circulatorũ, sycophantarum: si mercator pannorum, uestiarij, sutores, zonarij, limbolarij, textores, fullones, infectores, prosenetæ ac similes: tum uadimonia & mutuum, atq; alia huiusmodi. Nec segniter ut opprimat te prius infortunium, nam cadentem retinere facile est, qui iam ceciderit eleuare longè difficilius. Itaq; duobus contrarijs motibus in his casibus hominem reluctari oportet pauperiei, causam retardando, auxiliaq; prompta cõtra illam cõquirendo, in neutro hærere, sed uelut in uocibus tam quæ diu ac in longius producuntur, quam quæ ocyßimè mutantur suum tenorem seruare oportet: ita in auxilijs aduocandis & in resistendo his, quæ te absumũt quamuis lentè procedere in ipsis, in illis summa celeritate opus sit, eadem constantia ac firmitate in nullo territus, in nullóue titubans uteris. Oportet autem in singulis primum maximam deligendi obseruationem habere. Ergo primũ explicemus. Res magni pretij, ut gemmas & uestes sericeas tenuiores præcipuè, et quæ licet pretij magni non sint, breui tamen atteruntur usu, ut lineæ, molles telæ atq; delitiæ. Sit scopula, uestis nouæ loco, & pro scopario seruo tuipse te nitidiorem feceris. Diligenter autẽ caue ne multos habeas familiares. nam quæ non uiuũt ut gemmæ & uestes, non nisi dum emuntur opes minuunt quotidie, etiam si illis non utaris, et eà diligentis-

ſimè ſerues, ſingulis diebus teipſum abſumunt. Ex his quædam non ſolum dum uiuunt, ſed etiam moriēdo rē perdunt: uelut equi, ſimiæ, pſitaci, auesq; canoræ ac loquaces, ingentis pretij. Itaq; nil horum niſi ex uſu neceſſarium, tenuisq; ſumptus & impenſæ, ac cum maxima cura atq; cuſtodia: atq; ita ut antequam pereant cōmutes aut ruſticis uendas, nihil enim adeò inutile ut precio careat, maximè ſi ſub fide uēdatur, ac mora ſolutioni interponatur. Iuuat præterea non parum familiares habere multiplici uſui accommodatos, nō ſolum quòd pauciores ſufficiāt, ſed quod dum perpetuò occupantur minime graues ſunt, & tu prōptiorib. uteris, adeò ut ab uno plura officia cōſequeris, ob ſedulitatē, quam à quatuor, dū deſides unus in aliū mandata domini reijcit. Simili ſtudio à cōuiuijs, ab epulis exhibendis ſuſcipiendisq; hoſtibus cauebis, atq; ideò domum anguſtam conducere expedit, minorem impenſam conducendo facies, melius tua uaſa ac ornamenta domus colliges, aduenis ſpem hoſpitij præcides. Et ut in ueſtibus munditiem loco ſplendoris ſubijcere te docui: ita loco tabularum & ſtatuarum archetyporumq; nitorem, paulosq; cyathos toreumataq; in pluteis exhibebis. Sit uilis ſuppellex, ſed munda, exigua & pauca, ſed accommodata & ornata: Remq; non ſolum domeſticā ſed etiam ruſticam curabis. Memor eſto Catoniani illius præcepti, oportere patremfamiliâs eſſe multo magis uendacem quam emacem, ideo potius deſint neceſſaria

cessaria quã supersint. Quæ enim supersunt atterũtur, amittuntur, mutuo dare oportet, ita sine fructu pereũt. Illud rursus Catonis præceptũ utile: Duas, inquit, aut tres habeat familias à quib. utẽda mutuo accipiat et quibus det, ita paucis satisfacies. Ectypas, uascula librosq; preciosiores existima diuitib. solis cõuenire. Nisi è literaria disciplina quæstũ feceris, duos aut tres libros sufficiat habere pergamena uelatos: unus facta, gesta uitãq; religiosorũ hominũ contineat, alius carmine lepido demulceat animum, tertius uitam ciuilem doceat, alios sumere commodato licebit, dum & illi tuos à te petent. Qui ad ciuilem institutionem sunt, uelut Platonis aut Plotini, si altior tibi sit mens aut Aristotelis, uel Plutarchi aut Luciani, quãquã hic aliquãto sordidior. Cauere oportet ne in aliquẽ incidas qui te dedoceat: Multi enim tales nõ solũ de præceptis, sed etiã in sacra pagina circũferuntur. Melius est ut decẽ præcepta salubria solum contineat, quam mille salubria quidem sed uel duo aut tria perniciosa. Quamobrem non nisi prudentißimorum uirorum in his duabus facultatibus, scilicet, ubi de religione ac motibus agitur, libros legere oportet, quanto minus in domo habere. Sed & cũ iudicio talia documenta degustare debemus. Ob id Senecã ego libẽter ac Lucianũ ex hoc numero ni ininuidiosè fecisse uiderer expungerẽ. Quãto magis multos alios materna lingua scriptos in quib. sanctis ueterum præceptis sua uenena, aut ineptias plurimi mi-

ſcuerunt. Altius enim & ab initio deducenda ſunt omnia, ſi ſalubrem doctrinam cōtexere uelis. Cum ergo illi quinam ſit aut quotuplex finis humanarum rerū neſciāt, nec diuidere ſciāt ad minima quæ neceſſaria ſunt ad bene beateq; uiuendum, plurima conſarcināt utilia, inutilia, recta, non recta, pia impiaq; ſimul, non neceſſaria prorſus ualde neceſſarijs miſcentes, nec ſciunt diſtinguere inter ea quæ honeſta ſunt & quæ turpia. At in alijs diſciplinis non idem eſt periculum, ſed qualeſcunq; libros legiſſe iuuat. Verum hæ duæ, ut dixi cum omnium difficillimæ ſint, in nullis tamen plures libros eſſe comperias, quoniam exiſtimant hæc quæ ob difficultatem maximam ab illis non percipiuntur, eſſe fortuita, & nulla arte contineri: quæ autem mediocriter ſunt difficilia, in his difficultate deprehenſa ab eis abſtinent. Ergo ut ad propoſitum redeam, multis ab impenſis non neceſſarijs abſtinens, per totum annum cumulum quendam coaceruabis tanto utiliorem, quanto tempeſtiuius collectum. nam ex multis annis uſura ſorti iuncta (apello autem uſuram legibus permiſſam: uelut perpetuas locationes, mercaturam ſocialem, cultū agrorum quos conduxeris) aceruum non exiguū comparabis, nulla iniuria alicuius, uel fœnore uel flagitio. Simili ratione in diurno uictu multa contrahes & ad pauca reduces: quod præceptum non ſolum ad incremētum opum facit, ſed ad bonam ualetudinem, ad morum temperantiam, ad ſtudia literarum, ad tranquillitatem

tatem uitæ, ad institutionem liberorum. Vides quanta bona ex una hac admonitione oriantur? Animus in crapula agitatus, inter uina fluctuans, nec conquiescit, nec quicquam bonum sapit. Hinc ad ueneris illecebras rapitur, illic in iram prorumpit, semper ocio corrumpitur, desidiam amat, fugit labores, admonitionibus non acquiescit, odit studia ac disciplinas omnes, sui impotens, nec semetipsum nec corpus inualidum regit. Iuuenibus ergo triticeus panis leuis ac mundus, qualem nostri uocant Teutonicum, sal aqua ex cisterna uel salubri fonte collecta sufficere possunt in prandio. Sed si libet aliquid iniungere gratius, et pro ientaculo Persico more, Nasturtium aut Dracontium, aut surculi germinaq; fœniculi, radices syluestris scolymi, quib. ego maxime uti soleo: claua cardui suauis admodũ & quæ in delitijs haberi solet: & candidi strobili, uel encephali surculi, Siciliæ tamen potius quam Italiæ peculiares: & menta & apij ea species quam Alexandrinam uocant, quæ hyeme uiret cum cæteræ deficiunt herbæ. Et generaliter quæcunq; odore, sunt iucundo paululum acres, etiamsi amaræ sint: & sunt qui diligant absinthium, rutam, saluiam, melissam, quæ ut sunt salutares ita minus iucundæ gustu, quòd nutrimenti nihil fermè exhibeant: lactucam etiam non uitupero eiusq; radicẽ, uel etiam decocta inter quæ asparagos, crispatos, candidos caules, rem nouam Genuæ (delitiarum Italiæ matre) nuper inuentam florem caulinum uocant, admodũ

gustu iucundam atq; suauem. Quodq; mihi tam gratũ & renibus, iecori, uesicæ salutare medulla radicis grã dioris lapathi, tum surculi. Quinetiã maluæ in asparagorũ formã. Ex fructib. etiã fabas recẽtes, pisa & lẽtes sed cocta hæc: castaneas nuces, sed optimè auellanæ, meliores his amygdalæ, arancia, citria, uuæ passæ, pineæ pistaciaq; punicaq; mala. Sed hæc quinq; maximè cõducũt etiã senib. Verũ senibus cõsulo ut modo mel aut saccharum mollioribus addant, ut lactucis & caulibus ac maluæ surculis: amarioribus atq; acrioribus oleum affatim. Dictum est autem de his in libris de tuenda sanitate. Oliuas etiam pingues carne succoq; nõ omittemus. Vesperi lac uel caseum recentem, uel carnes senex edat: iuueni quoque unum horum, aut in crate assatus piscis cõuenit. Senex sine melle non comedat illũ, ut nec oua piscium in membrana sua inuoluta sine pluri oleo. Gingiber quoq; cõtritũ subtiliter, & piper haud cõtritũ senib. ex usu maximè sunt. Non omittam nostrum alleum, cæpas, porros, quæ & per se, & edulijs apparandis seni congruunt. cruda etiam & libentius quam cocta edere soleo Piperitis in eodem usu est, nec oris halitum uitiat. Vini fului modicum aquæ mixtum cõuenit seni, tũ etiam his qui adoleuerint si imbecilli uentriculo sint, ne Apostolo uideamur asperiores, qui illum discipulo suo suasit. Hæ cupediæ Turcarum & occidentaliũ regum lauta conuiuia superãt, quandoquidẽ cõcinantur fame atq; exercitatione. Ad

de quod

& quod in tã frugali uictu id cõmodi accedit, quòd cũ ad opiparas aliquas cœnas uocaris, aut aliquid tibi ex amicorum uel clientum liberalitate accesserit, tum suauitatẽ quãdam immortalẽ experiri uideris. Itaq; hæc uita beata lõge melior est quã diuitũ, quib. redundãtia nil illis parit præter exitiũ: quòd si in inopiã decidant, conditio eorũ redditur miserabilis. Verũ cũ his rationibus adhuc impensæ graui nõ sufficerem, nec liceret aut matrem aut materterã excludere citra pietatis offensa, nec aliorum quẽquam non læsa existimatione. Volo aũt nostrum hunc pauperẽ nec cynicũ esse & impudẽtem, nec Diagoreũ aut impiũ, sed optimũ atq; pariter etiã tantũdẽ prudentẽ. Hãc uiã excogitaui, uelut. n. qui per sentes ac dumos iter facturus est, cogitur aliquarũ spinarũ aculeos sentire, egregiè aũt actũ existimabit si citra magnũ incõmodũ ex tot difficultatib. euaserit: ita & his qui in maximis difficultatib. cõstituti sunt, satis esse sibi ducãt, magnos illos aduersæ fortunæ impetus eludere. Gallaratũ procul ab urbe uiginti quatuor millib. passuũ me cõtuli, nã in urbe nec collegiũ recipere uolebat, nec cũ aliquo ex illis artem exercere licebat, & sine illis difficillimum erat. Itaq; oppidum illud, ab arce ex qua oriundus sum Cardanum uocatur, milliario distat. Sunt qui putẽt esse nos familia Castillioneos, ita enim templi magni habet Prothema: Castillionei ex Castilliono & Castillionei ex Cardano qui nunc Cardani dicũtur. Attamẽ quia et quoddã genus Castil-

lioneorũ Cardani habitabat, ex quorum numero fuit Branda, cuius filium Guidum cum filijs nos agnouimus & iam annis quadringentis supra quiquaginta Milo Cardanus Pontificatum urbis nostræ, atq; cum pontificatu prouinciæ imperiũ adeptus esset, regnaritq; in ea annis penè octo, successeritq; Vberto Cribello Mediolani pontifici, qui postmodum in maximũ Pontificem euasit Vrbanum eius nominis tertiũ: tum uerò ne etiã Milo Cardanus non Castillioneus diceretur, inter tam densas uetustatis tenebras quid dicã non habeo, præsertim cum in eodẽ templi prothemate nulla alia familia Cardanorum inueniatur: Et tamen nobilẽ eam qualiscũq; sit, seu Castillioneorũ ramus, seu familia seorsum esse constat: & tum etiam cum prothema conditum est sacerdos ex eadem familia eodem loco esset, quo nunc Iacobus Cardanus patruelis nostri filius. Ergo eo consilio me illuc contuli, ut quatuor commodis fruerer, primum ut in saluberrimo aëre conualescerem prorsus ex tabe illa quam Mediolani conceperam: ut aliquid ibi lucrarer cum libera esset medendi facultas, ut ne me dicos alios à quibus iniuriam pati me existimabã, atq; existimatione spoliari, florentes autoritate ac lucro, uidendo contabescerem: demum ut frugaliorem uitam ducendo in longius sufficerem. nam ruri omnia uiliori uenduntur, quandoquidem ex rure soleant in urbem comportari, pleraq; gratuito habentur. His rationibus eò me contuleram, quæ non ex toto me fefellerũt, nãq;

plenè

plenè ſanitati reſtitutus ſum, auctusq; eo filiolo quem nuper mihi eripuit ſenatus. Verùm præter ſpem pauperior factus in patriam redij, auxilioq; Philippi Archinti qui poſtmodum pontifex urbis creatus eſt, uiri uirtute inſignis, conditionem tolerabilem, ſi non locupletem tum medendi, tum profitendi adeptus ſum. Diximus autem de his in libris de conſolatione tum alijs. Satis eſt interim me multa excogitaſſe ad augendam artem, noua, pulchra, artificioſa, ſcribendo etiam anſam lucri alterius arripui. Cui ſi ſoli intendiſſem, poterat lucrum ad octo millia ſextertium in quatuor uel quinq; poſtremis annis edendo accedere. Sed hoc toto tempore caui, ne ne quicquã flagitioſum, turpe, ſordidum, humileúue admitterem, aut in ualetudinis iacturã, aut iracundè. Paupertatem æquo animo ferebam, mendicitatem exuere ſufficiebat. Nemo duriorem fortunam diutius aut moderatius tulit, quæ per quadraginta & ſex annos iam ſine ceſſatione me afflixit (namq; tredecim illos quibus à patria abſui excipio) dum infantia morbis, in pueritia ſeruitute, reliquo toto uitæ tempore ſumma paupertate: demum tanquam inſigni aliqua coronide (neq; enim aliud erat expectandum tam inclyto certamine) iuuenis filij ſupplicio. Nec enim (tam diura fuit uitæ meæ conditio) paupertatem inter infelicitatis cauſas numero. Serio enim tibi dico exilium & paupertatem non eſſe mala prorſus, ſi quis gnarus ſit & prudens. Inter mala connumerabo, morbos, contemptum, iniuriam,

carceres, dolores, mœcham uxorẽ, nepotẽ filium, atq; huiusmodi. Paupertas & exiliũ, licet Cicero grauiter talia tulerit, non sunt mala, nisi uel alijs malis iungantur, uel quis sit ignauus aut imprudens, uel ex diuitijs in paupertatem deciderit. Cæterum septẽ illi anni quibus Papiæ iam profiteor, inter calamitosos à me numerantur, quòd hunc excepit casus ille atrocißimus. Vigintiquatuor enim annis extra patriã uixi. Quatuor primis dum essem infantulus, Moiraghi nutritus, quibus fui infelicißimus, quatenus ætatis ratio patitur. Sex annis alijs quibus Papiæ & Patauij studui, quos inter felices recenseo, cum sex illis quibus in Saccensi Oppido medicã artẽ exercui, quãuis pauperrimus: annũ quoq; illũ cõnumero quo in Scotiã profectus sum.

Sed ad rem redeo, nulla inuentionis in arte occasio unquam deesse potest, quandoquidem omnium artium præcepta numero sint penè infinita. Et ratio temporum, & locorum alia atque alia nouis usibus requirat. Pleraq; etiam postulet obsoleta reuocari in lucem: adeò ut nunquam defutura sit tibi ratio instituendi noua auxilia, atque hæc inuentio nunquam inutilis esse potest: quæ uerò extra artem minus habent existimationis apud homines, minus decora, lucrosa aut secura sunt: quamobrem consulo ut ab huiusmodi abstineas, postquam certa & honestiora non desunt. Versatur ergo ratio repugnandi paupertati circa quatuor, abstinentiam in uictu, alijsq; impensis: & circa lucra, quorum

rum existimatio & amicitia causæ sunt de quibus suo loco dicemus: tum ultimo circa temporis diligentem curam. Tempus est omnia, quoniam omnia in illo fiunt. Præstat igitur consyderare, an dare operam musicæ utile sit? uidetur autem quod sit. nam & Plato & Aristoteles in ea iubent debere pueros institui. Ratio etiam id suadet, nam cum non liceat perpetuò incumbere laboribus, interponere ocium necesse est. otiū aūt inane & uacuū beatā uitā efficere nō potest, quòd beata uita in operatione consistat: necesse est igitur in otio atq; per otiū uti aliquo exercitationis genere, tametsi neq; utili & multo minus necessario, saltē honesto tamen ac liberali, quale est musicæ studiū, atq; id etiam quòd musica et delectat ut iocus, & ad disciplinā, et ad uitæ institutionē utilis est. Præterea cū delectationē absq; detrimēto afferat, omnib. utilis erit ac præcipuè pueris. Atq; in eius laudē quædam in octauo de Republica scripsit, quæ cum admiratione digna sint, & ad præsentem tractationem pertineant, adijcere decreui. Inquit enim: At qui nos ab ea affici ex Olympicis cantibus perspici licet, qui sine controuersia mentes permouent, & instinctu quodam diuino afflāt. Mentis aūt permotio & instinctus diuinus, quædam est morū in animo affectio. Iam qui simulachrum & speciem musicæ audiunt, omnes unà afficiuntur animis, etiam sublatis numeris ipsis atque cantibus. Omnium autem rerū, exceptis ueris naturis, nulla uerius quā numerus

& cantus

» & cantus, iræ, clementiæ, fortitudinis, temperãtiæ, om-
» niumq; quæ his cõtraria sunt, aliorumq; ad mores per-
» tinentiũ, similitudines imaginesq; exprimit. Idq; res ip
» sa indicat, mouemur enim animis cũ hæc audimus. Ete-
» nim in quibusdã grauiore animo et contractiore, ut in
» eo qui mixtus est ex lydio: in alijs molliore & remissio
» re animo, ut in remissis: moderato et contento maximè
» in alio, quo in genere is solus est concentus qui Dorius
dicitur. Phrygius autem ad permouendam mentem ua
let. Verum quia obijciebatur quod musica sordidos ho
mines et segnes efficeret, delectum non solum in instru
mentis, sed etiam in numeris habendum censet: ita ut ti
bia primum & pectines ac barbiti, eptagona & trigo
na, & sambucæ, & quicunq; manuum officium desyde
» rant explodantur. Archytæ solum canorum ac hone-
» stum probat, uerum in cantuum uarietate tantum po-
» nit uirium, ut hæc etiam adiecerit. Sed in tradenda arte
» ijs utẽdum est, quæ moratæ sunt maximè, ut Dorius est
» concentus: cum autem alij manibus artis opus exequen
» tes audiuntur, ijs agendum, quæ ad permouendas men-
» tes ualent. Quæ enim permotio mentis in quosdam ani
» mos uehementer irrepit, ea inest in omnibus. Differũt
» autem paruitate & magnitudine, ut misericordia &
» metus, & animi mentisq; permotio: à quo motu non-
» nulli probi efficiuntur, quos etiam uidemus cum utun-
» tur cantibus animum ad sacrorum cultum expiãtibus,
» confirmari non aliter, quam si medicina usi essent &

purgatione.

purgatione. Quod idem necesse est usu uenire his, qui misericordia, qui metu, qui deniq; cæteris animi perturbationibus facile commouentur: alijs aut quantum ad quemq; hæc ipsa spectant, omnibusq; necesse est quãdam quasi purgationem contingere, eosq; leuari cum uoluptate. Itaq; his talibus harmonijs, cantibusq; eius generis spectãdi sunt hi certatores, qui theatralem musicam sequuntur. De Dorica autem inter omnes cõstat, eam rem stabilem, maximè uirilesq; motus & animos in primis continere. Dithyrambum referunt ad Phrygiam harmoniam pertinere. Est autem dithyrambus carmen non numero temporum, sed syllabarum dulcis soni, ut apud Pindarum. At uerò pueris Dorius ob id conuenit, ut senibus Phrigius, qui animos emollit & remittit, in suauitatem ac sonum reducens: ut lydius temperat, iuuenibus non ad prelium cõcitatis aptus. Ergo siquis spectet operosam hanc nostram canendi harmoniam, quæ pluribus simul inuicem canentibus fit, cum neq; per ocium fieri posit, tot indigẽs socijs, tamq; dissolutis moribus, certè inutilem eam cuicũq; statuemus. Vnde nostra ætate neminem fermè musicum inuenias, qui non omni redundat uitiorum genere. Itaq; huiusmodi musica maximo impedimento, non solum pauperi & negotioso uiro est, sed etiam omnibus generaliter. Quinetiam uirorum egregiorum nostræ ætatis neminem musicum agnouimus, Erasmum, Alciatum, Budæum, Iasonem, Vessaliũ, Gesnerum. At uero quod domum

mum euerterit meam, si dicam uera fatebor meo more. nam & pecuniæ nõ leuẽ iacturã feci, et quod maius est filiorũ mores corrupi. Difficile est cõgregare quatuor aut etiã quinq; qui prõptè canãt. Cũ sæpe id fieri curemus, quomodo per otiũ id fiet. Si in domo habuerimus, magnis sumptib. alẽdi erũt, & adolescentiũ aut puerorũ, filiorũ ingenia corrũpent. Sunt enim pleriq; ebrij, gulosi, procaces, incõstantes, impatientes, stolidi, inertes, omnisq; libidinis genere coinquinati. Optimi quique inter illos stulti sunt. Ergo explodenda musica domo, è filiorũ institutione? nequaquam. Sed cum musica tribus cõstet uoce, numero, & cognitione, quæ per sensum habetur, cognitio omnibus utilis erit: tum ut uires artis intelligas, tum ut si contingat audire canentes, non expers sis uoluptatis, demum ut ea poßis uti, quomodo aũt, posterius dicam. Ergo numerum etiam tenere ob poëticam utile est, atq; ob delectationẽ scientiãq; rei, ac usum eundem. De uoce uerò eatenus est exercenda, ut instrumentis sociari poßit, nõ ut plures simul canant. Instrumenta huiusmodi sunt, Chelis aut lyra, uel quod uocatur organũ, seu canaliculis & fistulis cõstet, seu etiam fidibus. hæc enim instrumenta satis perfecta sunt, et unũ solũ desyderãt hominẽ: atq; ideò licebit per otiũ solum se exercere ac uoluptatẽ capere. Ita genus hoc musicæ tribus illis cõmodis, quæ Aristoteles proposuit, satisfaciet, scilicet ad mores, & affectus, & actiones confirmandas aut mutandas. Eisdem etiam conue-

nient

-nient modi illi iuxta ætates, tum etiã mores puerorũ et adolescentiũ ac institutũ uitæ. Sed & plenã musicã diues perdiscere poterit, & societatẽ constituere ex delectis hominibus, quòd quanquã arduũ sit, peragi tamen potest. Sed neq; pauperibus, nec pueris aut adolescentibus, nec his qui in domo filios instituere uolunt utilis est musica socialas, uerum scientia ipsa potius quam usus, atq; perfectorũ instrumentorum. Nullius tamen usqueadeo ex eo genere quo buccæ inflantur usum, atque inter reliqua cornuum magis detestor. quòd neq; honestus sit nec decẽs, nec cerebro aut pulmoni aut uẽtriculo utilis & ramicosos reddat. Aristoteles uerò cũ etiã horũ instrumẽtorũ quæ nos laudauimus, usum nõ probet, publicã respexit utilitatẽ, nos cõmoda singulorũ. Et forsan quòd longiori tempore indiguit musica suæ ætatis, utpote quæ in triplici genere uersaretur, quam nostra quæ Diatonicum, Diatessaron solum cõplexa est: nec absolutum. Iam uerò occurrat forsan aliquis hæc mihi obijciens, quòd cum plures artes nouerim lucrosas, facile sit euadere incommoda paupertatis, atq; illam cõtemnere. Quinetiã magis uideor uitæ meæ cursum prosequutus, quã propositũ argumẽtũ, sed quid faber, quid fullo aget? aut nobilis pauper, nullius artis gnarus, aut omnino imperitus? hoc uolumus, hoc doce, quæ scribis omnibus fermè nota sunt. Quam multi sunt ex idiotis, qui minoribus opibus, sine tot præceptis, breuiori temporis spatio, & longè

longè facilius ad multo maiores opes transierũt? Quæ dicis trita, quæ ostentas exigua, quæ doces uulgaria sunt. Sed audi, fateor nihil esse in his admiratione dignum, nisi quòd iustè acquirere decreui: nec opes sed nomen quantulumcunq; mihi pro scopo fuere. At opes satius fuissent? sapientes nimis essemus ac fortunati, si ita quemadmodũ præterita cognoscimus, futuris prospiceremus. Homo sum, multis implicitus negocijs, à cura rerum propriarum usq; in præsentem diem, ut publicæ utilitati & gloriæ, fateor inquam, studerem semotus: Fata obstabãt, non existimans tantum esse in hominibus improbitatis, tantum in filio amentiæ, tam aduersos me habere deos: uictus sum, succubui, fateor. De me ipso exempla retuli, quod facile non sit hominem tamdiu pauperem inuenire, tantisq; cum sumptibus necessarijs, qui adeò paupertatem ipsam perpetuò pertulerit: cum pleriq; uel in uincula coniecti, uel solum uertere, uel turpiter mendicare, uel mutuum petere, uel filios non erudire, aut filias in domo detinere, non habẽtes quod pro dote darent: uel à studijs literarum uacare, uel necessarijs carere, aut per urbem lucri captandi causa matutino discurrere, uel pacisci cum pharmacopolis atq; tonsoribus pro ægris habendis, aut his quos habebam aliorum more seruiliter addici, aut xenodochia, aut sacras uirgines phratriasq; pauperes curare, aut quędam minus honesta facere, aut flagitiosè aliquid committere, aut ob inopiam et labores ægrotare, aut for-

aut ſordidum & pãnoſum per urbem uel ſine aſturcone curſitare, aut ſaltem à ſcribendi munere ceſſare, uel ſumptus familiæq; amplæ numerum imminuere coacti ſint. Quorum cũ nihil mihi prorſus contigerit, etiam magnis ac damnoſis filiorum erroribus, de quibus iam egi, cum tot aduerſis, cum tot æmulorum conſpirationibus, inter bella perpetua; cum ſumma annonæ caritate, ſine reditibus ullis tritici aut uini, certè non ut proprium, ſed ut rarum exemplum propoſui: nec credo tã diuturnæ calamitatis ſine ullo prorſus incommodo ullum aliud exemplum inuenturum. Vt ſola patiẽtia, uirtute, moderatione, induſtria, contra tot impedimenta non ſolum euaſiſſem, ſed iam felicitatis ramum (uerum heu frugilem atq; caducum) apprehendiſſem. Quando quidẽ multi longè me ditiores, et paucioribus cũ incõmodis ſuffulti, etiam affinibus atq; agnatis cognatiſq;, plura ex his quæ propoſui quin admitterent, effugere non potuerint. Vidi Iuriſconſultũ è primaris ob alienũ æs, contra leges duci in carceribus: quod medici aufugerunt in oppida urbi circumuicina: alius obſidebat tabernam pharmacorum, alius cum tonſoribus & obſtetricibus de lucri portione, aut ſaltem de mutua ægrorum tranſmutatione paciſcebatur. omnes per urbem ſatis tempeſtiuè diſcurrebant. Numera præterea honores, dignitates ſplendidas, occaſiones quas habui, ut nulla ex parte comparari in his quæ mihi oblata ſunt, quiſq; alius ex arte queat? in receptis à nemine ſuperer. Quam-

Ff

rer. Quam ob causam pertinax occasio inimica credo uirtuti afflixit, quo maiore me potuit incommodo, ut medio uinculo felicitatis tantæ abrupto dissolueret, adeò compactam tanta diligentia, prudentia & & sedulitate uirtuteq; coagmentationem: nam si me peremisset? quid egerat? nónne fælix mortuus fuissem? nónne in me uirtus contra illam gloriari poterat, suum alumnum uicisse fortunam? Quid si filiam sustulisset? nihil prorsus actum erat? non lucrum, non nomen familiæ imminutum? non spes propagationis sublata? Quid si filium natu minorem, quanquam ille ingeniosior? uno tamen in anno duos tales nepotes reparare poteram. De lucro, de existimatione, de uinculis, cum ciuitate, cum collegio nihil perijsset. Fac ut omnia amisissem bona? o res apud me consueta, nihil habere, nihil poßidere? gloriosiorem ne tanto spectaculo me efficeret, timuit? Sciebat quam spernerem omnia illius bona. Fac ut morbo aliquo perenni me implicuisset, timuit ne maiore adhuc admiratione apud homines tanquam Deus colerer? nam in filijs sospitibus, in nepotibus numerosis, qui succeßissent in linguæ meæ artibus, in libris conscriptis, in gloria iam ex illis parta, in sedulitate filiorum, ubi tantam lætitiam confisus ostendissem? quid aliud hoc fuisset, quã cum ueluti flammæ fabri parum surgenti aquæ modicum inspergunt, ut illam excitent, ac longè ualidiorem splendidioremq; exurgere cogant? Ergo hæc omnia nihil

nia nihil erant: manebant tamen amicitia principum, Senatus amor, procerum in me studia, & apud populum existimatio, nullæ inimicitiæ, nulla priuata aut publica iniuria, sed solū spes sobolis amplioris, binaq; millia coronatorū, quæ in illum pro educatione impendi amisissem. At nunc effracto, ut dixi, medio uinculo, præter spem sobolis & pecuniam, perijt amicitia principum: Senatus in me auersa uoluntas, procerum consuetudo et in me fides dilapsa, tum populi existimatio, inimicitiæ plures creatæ nunquā finē habituræ, et quales cū his, quos etiā si amici sint, ferre nō poßis. qua uerò ætate & à quo perferēdæ, iam senescēte medico atq; togato, studijs addicto, insueto huiusmodi certaminibus? Tum maximè quòd illud Nasonis pulchrè mihi cōueniat, ac dicere poßim.

Tres sumus imbelles numero sine uiribus. alter
Filius, ipse senex: paruulus atq; nepos.

Vides ergo cōuulsam domū funditus. Id præterea quasi à fortuna uidetur excogitatū; magnitudine doloris scilicet uix fieri posse, ne nō interirem aut insanirem: quandoquidē Baptista tonsor Mediolani solo metu, ne filius pœna capitali plecteretur, & insaniuit primū & inde perijt, cum etiā essent illi filij plusquā uellet, inter quos tres aut quatuor iuuenes. unde apparet sanctæ philosophiæ potētia. Sed iā ad propositū reuertamur.

Fingamusq; meipsum fuisse lignarium fabrum? non adeò certè ad lucra tam magna, ad honores uia

tam ampla patuisset? Sed nec mula seruo, totq; togis ac sericeis opus mihi fuisset? nec uxorem indotatam ex uoto coactus fuissem accipere? iam ergo hæc omnia excipias: & cogita tunc (quòd ut dixi nunc non fuit) omne studium, diligentiam, laboremq; ad opes parandas, nõ ad cõscribendum libros, aut gloriam acquirendam me directurum. Sed dices, à uoti persolutione abstinere potuisti? non. nam neq; Galenus quanquam non Deum uerum sed uana idola & Hæroas coleret, & animam nostram mortalem existimauerit, attamen uotum Aesculapio nũcupatum, tametsi celeberrimus medicus propter salutem adeptam persoluit. Insani enim atque impij prorsus hominis est, cum naturali auxilio & artis solertia euadere à calamitate non poßis, dijs non uota facere? maius uerò impietatis argumẽtum atque ingrati animi, cum uoueris & acceperis, dijs nõ persoluere, pro quo hominibus ex lege teneris. Quicquid enim mẽtis, quicquid consilij nobis inest, id per singula momenta nisi à Deo tibi impartiri intelligas, stultus es. quamobrem & finem haud iucundum expectare te decet. Multa enim in stulti uita incommoda euenire necesse est, & miserum finem subsequi. Rursus ergo ad lignarij fabri historiam redeamus, facq; ut inops fuissem ab initio, multa quidem noua in arte excogitassem, uniq; illi industriæ tum similium incubuissem, tabulas construxissem uarijs ex lignis, quasi depictas, mensas ductiles, arcas cum abditis loculis, tesselati operis scrinia, tin-

ćturas

cturas floridas lignorum, perpetuas stabilesq; inuenissem. Quid dicam de dolabra ad summam tabulis tenuitatem deductis? ad summam politiem? de structura musica? amussеata libenter dixerim cum Philandro. Quid de sculptura ornamentorum musicorum, instrumentorum? alibi de huiusmodi actum est: non piget tamen adiecisse, organi maioris templi Mediolanensis limbum tribus talentis aureis amplius magnis seu HS DCCC uenisse, cuius materiam ne tribus quidem aureis coronatis aut sestertio emas. Ita nemini deest parandi opes occasio, modo arripere eam nouerit. Torno lecti fabricantur, è nucis uel buxi ligno ingẽtis pretij. Nunquam deest quod agas, modo scias quid agas. At deest pecunia, mutuo accipe & redde bona fide sortem cum fœnore. Ita indies augebis & rem & fidem. Qui enim mutuũ dat lucrum facit, & amici officio fungitur, nec fœnus est cum certum non est lucrum, ideò multi hac occasione delectantur, eamq; libenter arripiunt.

Obijcies forsan si tam facile est cuique ditari etiam lignario fabro, cur non omnes ditantur? Quoniam non omnes aßiduè laboribus intendere uolunt, non omnes diligentiam adhibere, non omnes industria ingenioq; ualent, multi aliena opera spectare dedignantur. Sed & horum qui insignes habentur artifices, quidam quæ lucrantur abliguriunt, profundunt in conuiuia, in ambitiosos sumptus, in meretrices. Cum summa diligentia annitendum sit, ut lucella quæ ab initio pa-

rantur, quantumuis minima colligas. Vt enim tenellæ arbores per initia facile dißipantur, nec nemus adolescit: ita si non ab initio exigua illa lucra curaueris, longe serius quam hac causa fieri posse credas, ad diuitias peruenies. Dicebat *sapientißimus ille* Philosophus: Paruus error in principio, *maximus in fine. Similiter & in aliena tractanda pecunia maximam adhibere diligentiam oportet, ne uel nimium pollicendo lucri nec dando, fidem euertas, uel dando absumas quod industria comparasti: uel nihil aut ualde parum pollicendo, ille mutuum dare nolit.* Laborat *enim pauper in mutuum inueniendo &, ut dici solet:* Habenti *dabitur, & à non habente auferetur ab eo, ita plura exigunt à pauperibus quam diuitibus, cum tamen res hæc contrario modo habere se deberet. Similiter caueas ne iactabundus illum spe impleas, aut admoneas totius lucri, atque solius sumptus prætereundo, ut sic plus usuræ requirat, aut non dando exprimat: aut ne cum malo uiro & improbo tibi res sit, qui quam primum uideat te exsurgere & ob inuidiam & auaritiam, & ne illo non indigeas, postulet maximam lucri partem, imò ferè totum ipsum lucrum. Semper uero, ut dixi, per initia cura maxima habenda est lucri, quantumuis exigui, nam si lucreris sestertios* XXV *solum, inde liceat superlucrari sestertios* LXXV. *differentia quidem erit* HS. L: *at cum ex*

HS

HS XXV post decem annos perueneris ad censum XXM. HS, erunt ex LXXV, HS, LXM differentia HS XLM : aurei coronati penè mille. Quantum uerò intersit habere in censu aureos coronatos, MD aut D solum fabro lignario, ut cuius usura cum industria tertiam partem soleat superare totius sortis, facile intelligit. nam si D. habueris, propter sumptus quotidianos nunquam tota uita ditaberis: si MD. decem alijs in annis habebis V M aut VI M. quibus amplam familiam honestè alere poteris. Ergo non solum in dando mutuum cui des uideto (antiquum illud præceptum obseruare oportet) sed multo magis in accipiendo. At etiam quoniam mutuum accipere, reddere, emere, fabricare omnia iactura fiunt, mutuum dare cum periculo, uenditio sola lucrosa est: maxima diligentia in uendendo opus est, ne uitium aliquod committas. ut si contentiosus, obstinatus, iracundus, superbus, tristis, dolosusue sis, abiges enim emptores, non allicies. Eris ergo non effus..., [illegible] blandus, non periurus, sed in dicendo suasor [illegible]ius, comis, facetus, patiens. Vt memine[illegible] [illegible]iterim te pro rebus uerba uendere.

Sed iam hũc fabrum unâ nec amplius pagina ditauimus, modo generalium ut dixi, præceptorum meminerit, scilicet eorum qui uenales efficiunt merces. Sæpe etiam amandare aliquos in alias regiones, cum in

tua non fuerint in precio, uel emptores defuerint cum mercibus, uel mercatoribus generalem quandam uenditionem facere utile fuit. Licet & *commutare ubi pecuniæ aliquando desint: nam mercium plura genera celerius ac facilius distribuuntur quam unum solum. Offert ergo iterũ se patritius nullius artis peritus, pauper, qui uitam ducere uellet, imò si fieri poßet ditari etiam cupit. Quid agendum. multa sunt quæ mihi occurrunt in huiusmodi casibus, auxilia, agros, fabricationes, uectigalia conducere, parua impensa magnis reditibus. Trapezitarum numerare pecunias, aut xenodochiorum, in quibus præter stipendium ex pecuniarum permutatione, ex donis, ex numeratione ante tempus lucra nõ exigua colligere licet: licet etiam magnorum mercatorum tractare negocia, nobilium exigere reditus, à principibus gratuitas impetrare pensiones, dispẽsatoris aut eius qui est à secretis aut à libellis, officio munereq; fungi.* Nuncium *agere, cubicularium esse, præesse equis, familiæ, coquinæ, omnia hæc egregie alere possunt homines, etsi diligenter & industriosè administrentur, cum liberali domino etiam illos ditare.* Sũt *qui aucupio, qui canibus præsunt, qui ceremonijs.* Licet *etiam publicos minoris autoritatis magistratus habere atque exercere.* Præesse *annonæ, reparandis publicis uijs.* Præesse *lictoribus aut carceribus, causas tueri, hæc enim ars sex diebus discitur, licet alienis sumptibus atque iactura.* Iam *ergo uides ubi nullum exitum*

sperabas,

ſperabas, innumeros atque opportunos ſeſe quaſi ſponte offerre. Sed iam unius ſingularis exempli atque artificioſi meminiſſe uolo.

Altobellus de Bandarenis ex oppido Saccenſi, annos natus circiter triginta quinq; hirſutus toto corpore, paruus, teretibus membris, ſubnigro colore, cæterũ planè comis ac prudens erat. Is ex Thadea uxore ſuſtulit tres maſculos filios, quatuor fœminas quarum natu maiorem, ut dixi, ob uotum Deo nuncupatum in uxorem duxi. Illi trecenti aut ad ſummum quadringenti erant aurei coronati, nec amplius quicquam: quos amico cum dediſſet cauponam ille erexit. Ex hoc quæſtu uiuebat ſocer ille meus cum uxore ac filijs: nam in parte cauponæ habitabat, ne ſumptum faceret in conducenda domo: uiuebat & qui caupona exercebat, eodem ex quæſtu. Has pecunias ut reor in bello iuuenis acquiſierat. Nec mireris tam paruam pecuniam tãtis reditibus ſuffeciſſe, prudentiſsimus erat æconomus, pleraque ante tempus longe uiliore precio promercabatur, multa præſens, longe etiam plura ſub fide accipiebat: ita ut omnia temporis ſucceſſu cariora euaderent. ut his pecunijs non ſolum cauponæ ſatisfaceret, ſed mercaturam etiam ægregiam exerceret. Erat enim fidei obſeruator, cautus, diligens, comis, blandus, parcus, & quod omnium maximum erat, mulierum ſuffultus amicitijs, nec ſolum popularium ſed etiam nobilium ac magiſtratuum:

adeò ut quorundam tuendo causas apud Prætores, pluribus ueniam impetrando admissorum errorum, & libertatem transferendi, quæ edictis interdixerat, tot dona acciperet, ut fermè ad alendã familiã tenuiter sufficeret. Vina enim frumentũ, anseres, gallinas, columbos, auenã, suesq́;, caseum suis quisq; tẽporibus dono mittebant. Plus etiã cõmodi hæc afferre poterant, quòd ipse uel inuitus apud alios fermè semper prandebat atq; cœnabat: nam seu põpa ducenda esset, ipse apparatui præerat, põpamq; ipsam ducebat, & quæ ad illã necessaria erant partim emebat: si absumi oporteret, aut mutuo accipiebat ab oppidanis atque nobilibus, si eiusmodi essent quorum pretium non leue esset, & tamen usus eorum solum ei pompæ esset necessarius. Seu conuiuia celebrare, aut alea certare, aut legatos excipere, aut ægrotaret Prætor aut nobiliorum quisquam: seu ocium grauaret illos, omnibus sanè intererat, amicitia, officijs, lepore sermonis, modestiaq; morum omnibus grauis atque iucundus, adeò ut etiam uestes aliaq; nobiliora munera sæpe acciperet. Sunt enim Venetij illi patritij admodum grati ac uerè liberales: nam uelut in necessarijs sumptibus splendidi, in superfluis parci, in amicos & illos à quibus colũtur officijs, grati atq; etiam liberales: ut uerè hos homines solos appellare iure poßis, et eorum Rempub. sub qua feliciter probis uiuere liceat. Sed ut ad rem redeam, hanc tantam in pauperrimo homine felicitatem fortuna inuidit, nec

dit, nec longius procedere passa est, namq; magnũ lini aceruũ, quem in spem lucri congesserat, puerulus natu maior nomine Marcus ignẽ iniecit, ex quo tota domus cum suppellectile uniuersa cõflagrauit, unde nihil omnino superfuit. Ille tamen unguem arrodens, nec iratus est, nec uerbum ullum profanum edidit, sed Deo gratias agens, quod filios saluos reliquisset. Dixisses philosophũ egregiũ qui tamen nunquã literas didicerat, rudera iubebat inuerti: ut si quid nõ omnino absumptum reliquisset ignis, id recuperaret. Interim euulgata calamitate confluxere amici uaria deferentes, alius atque alius filios domi excipiebat. Collectis igitur pauculis pecunijs ex his quæ incendium non omnino corruperat, tum amicorum liberalitate, atque etiam nonnullis mutuo acceptis cogitare cœpit, nullam esse uiam qua ex tanto infortunio se redimeret, nisi militiam exerceret: ars enim ea nobilibus et rusticis, senibus atque iuuenibus, robustis ac inualidis, peritis literarum ac imperitis, ex æquo fermè communis est, namque fortitudinem & prudentiam, exercitationẽq; in ea aliquam, quæ omnia ille habebat habueratq;, solũ requirit. Itaq; cũ prætoriũ frequẽtaret plus solito, dixisses Thomam Marinum locupletem uirũ ibi adesse, adeò erat comis, hilaris, officiosus, facilis, beneuolus ac decoris personarum cum quibus uersabatur memor, ut omnes statim in sui amicitiam impelleret. Quid, quòd ludendo probasses hominem omni uirtute

ni uirtute præditum: Ludebat enim *sine dolo, auaritia, iactantia, contumacia, uerbis turpibus aut impijs, sine ira, uerùm festiuè, prudenter, usq; ad sui admirationẽ, hylariterq;.Sic & pro quibus ludebat & contra quos, pariter alliciebat.neq; enim de pecunia nisi raro paruaq; admodum, sed socialiter & de conuiuiorum sumptu plures, cum pluribus decertare soliti erant.* Quid *in alijs dicam postmodum officijs? quam promptum, facilem, diligentemq; se exhibebat? quam fideli opera?* His *atq; alijs artibus partim laudedignis, partim quæ improbari non possent, satis munitus amicitijs nobilium, solum opperiebatur occasionem, quæ quam breui euenit: contigit enim ut flagrante* Italia *barbarico bello,* Princeps Ferrariæ *in spem uenisset occupandi partem illam* Patauini *agri, quam uocant* Polesinum. Itaq; *suffragantibus amicis conditionem offert* Altobellus Reipub. Venetæ, *se si ducentis iuuenibus ducentæ bellicæ machinæ dentur (uocantur autem* Archibusij) *eos ad omnem occasionem paratos habiturum absque ullo pretio.* Placuit *conditio* Senatui, *increbrescebat enim fama belli, hostis propinquus, nullæ arces mediæ, res opportuna, exigua pecunia opus erat, amici prædes se dabant, ipse agnitus omnibus, & pro integræ fidei uiro & prudenti, & milite ueterano, & amico* Reipub. *ergò suasit et persuasit: numerata pecunia, emptæ machinæ, distributæq; in iuuenes rusticos, amicos, quos habuisse plurimos iam diximus.* Cogit ergo

rusticos illos festis diebus, in alam format, modo in cuneum, modo in cornua, modo in quadratam figuram agit illos. Receperant & iuuenes libenter conditionẽ, non solum ob illius familiaritatem, sed ob exercitationem libertatemq́; ferendi arma. Ergo mense uno aut ad summum altero, edocet turbam illam aciem quocunq; dirigere, tympana emuntur et uexillum. Res primo imperitis ac rudibus risu digna uidebatur, sed nasutis fucus subolebat, nec contemnenda. Expleuerat iam quod pollicitus fuerat, atq; uberius quam teneretur: cũ statim rumor belli omnis sedatus concidit. Quamobrẽ Altobellus Venetias pergit, exponit labores, iacturam temporis, diligentiam, profectũ atq; utilitatem inchoati operis: rogat Senatum ut cum ducentis illis liceat abire quo uelit ad locandam operam suam, ut milites habeat mercenarios ubi opus fuerit, semper Reipub. pariturum reuersurumq́;, inopiam cogere, non auaritiam incitare ipsum. Ibi amici inhibẽt ne abeat, statuitur stipendium illi in singulos menses, immunitas militibus. Paulopost fortuna, quæ illum interquiescere non patiebatur, alium obicem opponit. Oppidani aliquot priuatis causis illi parũ amici: nam à sorore cuiusdã ex præcipuis uidua amabatur, alij etiam illius potentiæ et gloriæ inuidentes ac irati, quòd illius rusticos à cultu agrorum seuocasset, facti infensiores, eũ apud Rempub. Venetam accusant, quòd tentasset omnes machinas uendere atque abire. quodq; pecunia in delectu accepta quosdam

quosdam dimitteret qui eßet militiæ apti, alios frustrà uexaret extorquendorum munerum gratia, iam cœpisse agrum totum tributariũ facere. Facilè credi hæc poterant etiam sine testibus, quòd pauper esset, familiaq; plurima oneratus. Ducitur in uinculis ferreis Venetias. Ibi rursus amici cum ipsum culpæ conscium nõ esse animaduerterent, tuentur eum, insons maiore cum gloria liberatur. Ex ea itaq; accusatione maiore in existimatione habitus est, & charior amicis. Vnde paulo post Venetias regressus docet, bonum esse ut trecentis alijs machinis additis eligantur quingenti milites. Ex accusatione enim priore constabat, dum illi quos eligere potuisset & omisisset, enumerant amplißimum esse agrum, multóq; plures posse secerni tyrones. Quinetiam suadet, ut eandem tota in parte quam Italiæ poßiderent id agère uelint: triplex ut uideo ex hoc consilio emolumentum captaturus, prudentiæ opinionem, utilitatem Reipub. & sibi securitatem: nam ubiq; electo & parato tyrone periculum nõ imminebat, ne inchoatum hoc opus intermitterent, ac simul ipse à tribunitia militum potestate deciderent, persuasit: & nunc tota ea militia, quæ sub Venetis ad Reipublicæ securitatem magnam parata est, consilio soceri mei debetur. Quinetiam alij principes, inter quos Florentiæ dominus eam imitati sunt, cœpitq; in Gallia, sed ut audio, non perseuerauit, partim aßiduitate bellorum, partim dißidijs religionis, partim, ut reor, nobilium timore

re intermiſſa. Perſuaſit ergo utrunque, numeratur pecunia pro machinis, tympanis, uexillis, reliquoque apparatu: augetur illi ſtipendium longè plus, & ob laboris magnitudinem, & ob conſilij utilitatem (nulli enim ut dixi homines toto orbe gratiores, ut etiam pro inuentis exiguarum rerum perpetuas penſiones inuentoribus ſtatuerint; nec quenquam ſua ſpe fraudarint) & ob innocentiæ experimentum, illatamque quaſi ex uinculis iniuriam, ſic ut iam nobili condignam ducere uitam poſſet. Vix delegerat recentos illos, atque in area exercuerat, cum rumor certus affertur, Carolum Cæſarem in Italiam properare: muniri urbes Senatus ſtatim decernit, uel ſponte inter primos eligendus ab amicis etiam proponitur, præficitur cum parte ſelecta cohortis ſuæ periculoſiori portæ Veronæ, de qua etiam maximè dubitabant, quòd uicina eſſet uiæ, per quam ducturus erat comitatum Cæſar, nam abſque exercitu ut ſuſpitionem, credo, dilueret uenit. Ibi & diligentia ſumma, ſtudio, induſtria, uigilantia ita ſe geſſit, ut neque ad fidem erga Senatum, nec ad modeſtiam erga ciues urbis, nec ad fortitudinem, nec ad officia circa Venetos qui urbi præfecti erant, nec ad declarandam peritiam militaris diſciplinæ quicquam deſyderari poſſe.

Itaq; optimũ iam nomen adeptus, confirmataq; opinione de ſe apud Remp. meruit, ut auctariũ quod ex-

peditionis

peditionis causa habuerat, reuerso in patriam stipen-dio ordinario adiungeretur. Itaq; iam res suas in tuto non solum uidebat, sed etiam feliciter processisse. Sed non dormiebat fortuna illius uirtuti inimica, namq; cum domum amplam pro tribunitia qua fungebatur dignitate cõduxisset, erat in ea officina textoris, cuius solum tabulis constructum cum esset, factum est ut no-cte quadam puer qui solebat texendo uigilare, prima uigilia obdormisceret, cumq; ob frigus patellam car-bonibus accensis plenam (erat enim hyems) pede pul-sasset illam euertit, atq; ita tabulatum primum cœpit ardere, demum flamma concepta prodigioso certè euẽ tu, ut cum esset occluso in loco, nec ulla materia igni apta præter tabulas et arundinetum, totam quasi repẽ te corripuit domum. Quid plura, aderã enim præsens, uix ipse cum filijs seruari, nec omnino sine offensa puel læ natu minoris potuerunt: ereptis flammis omnia cer nebat comburi, adeoq; urgebat ignis ut crederent to-tum ardere oppidum debere. Sed seu muris lapideis si-ne calce statim erectis, à Pelizarijs opulentis mercatori bus, seu diuino quodam iudicio id actum sit, plenè & sola domus illius absumpta est incendio. Vbi illuxit, pa ri patientia qua & in prima calamitate ore gratias Deo reddidit, & gratulabatur, quod è tam ingenti pe-riculo ipse cum omnibus suis seruatus esset. Offerunt se amici interim donaq; afferunt, filios in domum reci-piunt, hortantur ut æquo animo ferat, hominẽ iam sua

sponte

ſponte ut uidebatur ad maiora paratum. It ad ſolitũ refugium, ſcilicet Venetias, ſtatim literas obtinet, ut ſex menſium ſtipendium adnumeretur, domum mihi contiguam conducit. Sequenti æſtate anno ſiquidem MDXXXII filiam ſuam in uxorem duxi, quo facto admodum lætatus eſt, neq; enim cogitauerat me in in patriam rediturum. Sed paulopóſt licet æquo animo reditum meum tulerit, uehementer tamen triſtitia affectus eſt. Exiſtimabat enim filiam illam bonæ fortunæ ſuæ quaſi principium aut omen quoddam eſſe. Paucis ante diebus quam diſcederem, tegula neſcio qua cauſa igni ſuppoſita, maximò ſtrepitu nocte diffracta, per totum cubiculum ſparſa eſt. quod ille augurium ut infauſtum ſemper poſtmodum abhorruit: ubi diſceßi paucis poſt diebus, neq; enim toto anno ſuperuixit, ſeu dolore maioris natu filij qui peßimè ſe gerebat, ſeu quod multi affirmant ueneno, quaſi repentino morbo perijt. cũ adhuc quippiam incrementi à Repub. Veneta habuiſſet. Ita tota hæc tragicomœdia ſeptẽ fermè annis abſoluta eſt, annũ enim ut reor XLIIII ingreſſus iã erat cum obijt, XXVI fermè abſoluerat dũ in incœpit. Ex his tres annos primos exiguo cũ fructu, magno cũ labore exegit, quatuor poſtremos fœlicius. Si diutius uixiſſet, potentia & gloria inter primos illius Reipublicæ duces, opibus in mediocres, euaſißet. Referebat ſe nunquam pauperes oppreßiſſe, ſed miſertum illorum calamitatis. Si ueneno interceptus

nõ est, existimãdũ est curis multis, licet ut poëta inquit.
Spem uultu simulat, premit alium corde dolorem.

Oppressum. Tũ quòd ob amicitias quas colere studebat non parceret conuiuijs: & in ipsis conuiuijs cibo & potui, non ob uitium, sed ut illis magis placeret: Dici enim solet, quòd apud alios edentes, debemus esse comedones: nam si apud parum beneuolẽtes discubuerimus, inimicorum rem absumimus: si apud amicos, libenter ille nos uidet suis cibis ac inuentis delectari. Ergo quem non potuit fortuna toties proiectum uincere, letho tradidit ut succumberet. Tametsi gloria hæc sua si non esset, nec uirtus in illo posset gloriari, contempsisse ac superasse fortunam. Iam ergo insigne exemplum numeraui eius, qui sine ulla arte, sine opibus, sine affinium potentia ad magnam existimationem euaserat. Sed obijcis, singulare est hoc paucisq; conueniet. Dicam quod Demetrius ille apud Senecã, si mores bonos cõmutare uoluero, diues facile, breuiq; euadam. Quæris modum, unũ dicam, Genuensib. familiarẽ. Lælius uult ducẽta millia in Hispania, numerant centũ nonaginta millia: Scipio uult cẽtũ nonaginta millia in Italia, cogitur numerare in Hispania ducẽta triginta millia, horũ ducẽta millia numerat in Hispania Genuensis Lælio, in Italia quæ accepit à Lælio centũ nonaginta millia Scipioni. Ita Genuẽsi in Hispania triginta millia supersunt, cum ne obolũ è suo exposuerit sed solã fidẽ. Qui uerò è potentia exciderint, lõgè facilius

illius ad pristinas opes, quam qui de nouo omnia parare cogũtur, restitui poterunt: his enim iam paratæ sunt pecuniæ, amici paterni, nomẽ, gloria, familiaritas principũ, affines cognatiq́;, peritia & cõsuetudo tractãdarũ magnarũ rerum, homines beneficijs deuincti, et ob causã ac factionẽ cõiũcti, spes populorũ, quib. omnib. iuuãtur ad recuperandã pristinã potentiã, aut aliã nouã adipiscẽdã. Quoties Mithridates regno pulsus? quoties restitutus? Annibal quoties dignitatẽ suã recuperauit? primũ apud proprios ciues, inde inuidia factionis pulsus apud Antiochũ, post apud Prusiæ regẽ. Alcibiades quoq; modo exul, modo domi, nescius ubi gloriosior extiterit. Exẽpla hæc tã multa sunt ut meminisse superfluũ sit, ac tanquã lapillũ in maris littore ostendere, innumeros enim esse constat. At Agathocles & Io: Iacobus Medices utriusque euentus exemplum exhibent: utriq; enim humili loco nati, et sæpius loco pulsi, potẽtiã toties recuperarũt et auxerũt, quoties ex ea excederũt, insignis uirtutis argumentũ: ut cõtra animi uilis & profligatæ uirtutis eorum, qui in potentia nati et eiecti, ne ausi quidem tentare sunt reditum in regnũ: ut Aragones & Sfortiadæ, quanquam in Sfortiadis filij maius uirtutis specimen ediderint. Eorum igitur qui sine arte splendide uixerũt, unus & tanquam caput Socrates fuit, is namq; statuarij filius, locupletum Atheniẽsiũ omniũ fermè opibus innitebatur: adeò ut cũ Aristippus illius discipulus argueretur, quod contra ma-

gistri morem pecunias à discipulis acciperet, respōderit: Socrati diuitiæ ciuium locupletiorū pro penu sunt. Plato quoq; et Aristippus solā moralis sapiētiæ opinione, quæ nullo studio comparatur, sed cuiq; quasi obuia est, à Dionysio iuniore ditati sunt. Accepit Plato qui modestior erat octuaginta talenta auri magna: Aristippus tātū ut etiā iusserit seruū, quoniā pondere nimis grauaretur, partē abijcere. Xenophon ex priuata militia suis sacrificijs & oraculis magnas opes sibi cōparauit. Aesopus libertatem consecutus est, ac demum diues mortuus est, solis cum fabellis. Quidam amicus cū naufragium fecisset, receptus ob id inter familiares principis, cum illius industriam cognouisset, ornauit eum magistratu, atq; sic magis ditatus est quam si feliciter nauigasset. Demosthenes fabri, Euripides holitoris filij fuere, ambo diuites facti sunt. Dices exempla rara sunt? fateor si ad ignauos, rudes, luxui deditos referantur, imò penè nulla. Sed si ad industrios, modestos, ingeniosos, patientes, abstinentesq; conferamus, adeò frequētia ut neminem fermè sis excepturus. Mauritius Cappadox unus inter multos è mendico factus est orbis Imperator. Volo ostendere tibi adeò optatum Chymistis uerū philosophorū lapidē, sed hic duplex, aureus atq; argēteus: aureus quidem gratia est principis, argenteus sedula industria, cum abstinentia & patientia coniūcta. Porrò de paranda gratia principū, uel ut orbis te in amicitiā insinues, ne hanc immoderatā tractationē reddamus

damus in qua tamdiu uersamur, dum de humilitate fortunæ agemus, prosequemur. Nnnc de alijs pauperum commodis agamus. Sunt autem, cum in Republica tractanda magistratus & honores nihilominus adipiscimur. Nostrũ autem est tunc utrum uelimus etiam parare diuitias. Quidam solis honoribus ac potentia contẽti fuere, ut enim gemma illustris quanto liberior tanto puchrior: ita magistratus & potentia in paupere magis sunt admiranda: uelut Athenis Limachus &, ut dixi, Aristides & Phocion: Thebis Epaminundas & Pelopidas, Romæ Menenius, Aggrippa, Paulus Aemilius, Seruilius, Isauricus innumerijq; alij. Hi quamuis in Repub. summos addepti sint magistratus, & honores gesserint, quidam tamen à Repub. uestes, alij dotem filiarũ alij impensam funeris, pleriq; seruos ad publicum munus tractandum acceperunt. Demonax quoq; philosophus mendicus propè centum annos uixit. Demetrius Stoicus seu Cynicus Senecæ ætate, ut alàs dixi, nudus erat. Zenonẽ ab Antigono ditatum uox Antigoni ipsius declarat, alioqui etiam sine opibus clarus Athenis, ut retuli, uixit. Sed Origenes cũ studio Christianæ religionis pater eius supplicio affectus esset, bona ad fiscũ deuoluta, ipse cum paruulis fratribus relictus, nec studia sapientiæ deseruit, nec Christi cultum: adeò uerò in utroq; profecit, ut nescio quomodo à Mamea matre Alexandri Seueri Imperatoris, quæ tamen Christiana non erat, Romam reuocaretur. Hic ergo cum nec satis

habuiſſet propter diuinũ nomen, ſpreuit opes, ſemetipſum eodem ſtudio caſtrauit, exiſtimãs nullas eſſe delitias humanas cũ ad cœleſtẽ amorẽ conferuntur. Nec in hoc deceptus eſt. niſi opes, gloriã, potentiã, filios quoq; & uitã ſpreueris, aut ſpernere poſſe ſaltẽ didiceris, miſerrimus uiues. Dicas hymni illius quotidie eam partẽ: Deo M. gratias agite, qui iuſtitiã colitis et pietatẽ, gratulamini noſtræ felicitati, & de ea gloriemini. Quòd ſi te etiã huius præſentis ſtatus bona delectãt, nõ ob piũ ſtudiũ ea deſperes, nã hominũ mentes etiã ſi principes ſint cœtusq́; mortaliũ, uelut cotonea mala exiguis moſchis pendẽtia, huc illucq; iactãtur. Sed ſi conſtantẽ gloriã atq; felicitatẽ nanciſci cupies, nec diuitijs opus erit nec gratia principum. Siquidem feliciſsimos ego fuiſſe reor Hieronymum in ſolitudine, Benedictum, Franciſcum, Bernardum, Dominicũ, Albertũ, Thomã, Bonauenturã, Brunonem, quãuis non ſolũ pauperes ſed etiã mendicos. Atq; hi paupertatis beneficio Diui nomen, gloriã perpetuã, uitãq; felicẽ ſibi, Chriſtianæ aũt Reip. cõmodũ immenſum peperere. Nãq; ſeu felicitas noſtra in poſſeſsione, ſeu in opinione, ſeu in alia uita cõſtituatur: horũ ſolũ ac pauperũ eſt felicitas, qui cũ nihil habeãt, omnib. potiũtur. Quid? quod plus eſt nihil optãt: nihil ergo huiuſmodi hominib. deeſt: At diuitib. noſtris cũ longè plura deſint quã habeãt, cur eos nõ pauperiores cæteris exiſtimabis? Vera ergo paupertas eſt cõſilij inopia. Quòd ſi mendicũ filiũ uix uelis uiuere, illius mi

ſertus?

sertus? multo minus cũ qui cõsilijs inops est. Si qui ad sola gloriã spectabãt, Coruncani, Fabritij, Publicolæ, nec Dei philosophiæ notitiã habuere, diuitias etiã in Rep. spreuere? nũc Deũ cognoscẽtes, philosophiæ præceptis imbuti, sub regibus quorum arbitrio cuncta subiacẽt, nónne pudet diuitias non omnino contemnere? ac ueris bonis incumbere? Referunt Lactantium Firmianũ cum esset Imperatoris magister, usq; ad mortem tamen in uoluntaria paupertate uixisse. Hos homines quis nõ tanquã in terris, ut deos ueneretur et colat? Quis ab huiusmodi hominib. iniustũ quicquam timeat? quis dolo circumueniri? Quis sæuum aliquid, aut horrendũ, aut iniquũ expectare posit? ostendit uoluntaria paupertas innocentiam. At si nolis omnino tãto, ut existimas, malo testari innocentiam tuã: saltem fac ut ita uiuas, ita iudices, ut ostendas opes innocentiæ posse non obesse. Id forsan & si nõ securum sit testimonium, sufficere poterit. Oribasius medicus, cuius scripta tãto malo publico periere, nã si inuenirentur, non esset cur Galenũ desyderaremus: diues cũ esset, pulsus in exiliũ, imò apud barbaros relegatus, spoliatusq; bonis, expleuit tamen opus illud celebre septuaginta librorum: uixitq; non solum lætus apud illos, sed etiam apud eos magna in ueneratione habitus est? nam uidentur ab instituto semota, cum de utilitate capienda ex aduersis, non laudanda paupertate agatur? Imò ad propositum maximè cõscripta sunt. Si enim ituro Bizãtiũ, quisquã

uiam ostenderet compendiosiorem, qua nec pericula maris se exponeret, nec insidijs latronum, nec frigoris inclementiæ, nónne is utilem se illi præberet? Sane sic. At si gloriã, potẽtiam, honores, felicitatem deniq; omnem, opum auxilio occupaturo, ostenso compendiosiore uia hæc omnia absq; opibus haberi posse, nónne illi totum hunc laborem sustulero? ut & breuius ad bona ipsa perueniat, & facilius ac sine labore? Optimam ergo, ut breuiter dicam, conditionem esse ducas eius, qui in uirtute & sapiẽtia & filijs, alijsq; his proximis: ut gloria, potentia, fama, quæ similia sunt quasi uirtuti, & si diues sit ornatior erit. Post eius qui diues est, et diuitias aliquid esse putat, nã semper torquetur, et multa praua admittit, & uerorum bonorum obliuiscitur: pessima est eius qui pauper est, nec sic posse se esse beatum putat, tãtum interest ob solam opinionem, ut quis sit felix aut infelix hac in causa, adeò manifestè cõstantibus ijsdem rebus scilicet inopia. nam qui putat opes minimè ad felicitatem esse necessarias, & ad gloriã, honores, sapientiam, uirtutem, Dei cultum, filiorum procreationem atq; institutionem properat, ille felicissimus est proculdubio. Qui hæret & non nisi partis opibus se felicẽ esse posse putat, is planè est infelicissimus. Atq; hæc est rerum ipsarum ratio atq; mortalium conditio, cui penitus nihil repugnat, nisi quantum ex errore quorũdam persuasum est, in illa acquisitione beatos se esse, & quod ad securitatem attinet, cum sub tyrãnis uiuitur.

ciuitur. Verum & illa commutatur, cum priores ob potentiam firmandam diuitibus faueant, qui succedũt eosdem perdant: uel ut ipsi ditentur, uel ut suos amicos locupletent, aut ut plebem ad se trahant, cuius studium securius & minore iactura, atq; in commodis continetur. Itaq; quod ad securitatem attinet eadem est ratio, licet pro temporum conditione uarietur. Sed ut docebimus, ubi de exilio loquemur, omnia hæc commoda in recta locorum incolẽdorum ratione reposita sunt. Semper probo uiro ea patria utilior est, ubi opes non sunt in pretio. Ergo si cui res pereat, poßitq; recuperandi studio carere, nihil melius est quam Zenonis & Origenis exemplo studijs sapientiæ incumbere. nam ex aduersa fortuna melius aliquid, eo quod amisit recuperare poterit: tametsi enim etiamsi nihil amiserit, hoc cõmodo non cariturus sit, expeditius tamen literis incumbet pauper, ac maiore cum uoluptate. Facilius quidem multis sublatis impedimentis, curandi, custodiendi, uoluptatum, parasitarum, lenonum, adulatorum. Nam si mihi uilla aut ager, aut uiridarium aliquod extra pomerium non procul fuisset, dum emissem, dum coli curassem, dum inuisissem diligentiam rusticorum, dũ ornassem, dum me eò contulissem relaxandi animi causa, uel amicos excepissem, quantum temporis perijsset? quam serius omnia obsoluta essent opera? Nunc mihi lucus paternus, nullo dispendio temporis alijs locatus indiget paruusq; ager, cuius si fructus pereant omnes

non laboro: Et materna domus quæ curam conducendæ domus aufert, non auget. Itaque prospectum mihi à dijs immortalibus bene intelligo. ut cum sic uideam in his quæ manifesta sunt, cur est quod etiam in alijs, licet rationem non intelligam, nõ ita existimem? Quòd si adhuc uel sic opum desyderio teneris, & sapientia ipsa uiam ad illas parabit. Verum cum ea dulcedine fueris imbutus, eo potu inebriatus, uix aliud quicquam optare poterit. Et quamuis hæc non omnibus satisfacient pro opibus, uel quibus inhiant, uel quas amissas dolent, sciant tamen hoc potius esse: decipiq; nimio earum desyderio uelut ægram mentem, corporaq; quæ inutilibus urgentur cupiditatibus. Quòd si nõ esset hoc optimum, cum aliud se non offerat auxiliũ qualecunq; illud esset, hilari atq; pacato animo excipiendum erit. Tum maximè quòd uita pauperis ab inuidia tutior est quæ magnum malum est. Et melior etiam ingentibus opibus illis, quas (etsi propositũ sit docere paupertatis fugam) nolim etiã si poßis, modo mihi auscultare uelis, habere. Quid enim in illis præter inane nomen? Hic ingentes parauit diuitias, edificauit, opera ægregia cõstruxit. Verùm cum hi participes sint omnium incommodorum, quibus laborãt principes, commodorum tamen haud participes esse possunt: ueluti gloriæ, obedientiæ, securitatis, tractationisq; regnorum, ac secretorum quæ ad eam pertinent, necnon explendæ omnis libidinis. Forsan optabis illas ingentes opes, aut saltem

mediocres ob filios? nequaquā: uel enim ob sapientiā: atq; sic pauperū cōditio melior est, cū eos ubi adoleuerint necessitas, diuitū pædagogi urgeant. Ergo in pueritia diuitum filij sunt eruditiores, in iuuēta pauperū: maior enim ac ualidior est stimulus nececessitatis quā pædagogus, & longior ætas iuuentæ quam adolescentiæ, magisq; instructus iuuenis ipso puero. Ergo paupertas ad erudiendos filios opibus magis conducit. Eadem uerò in obedientia, & morum probitate. Quamdiu enim sub pædagogis contineri possunt, meliores sunt diuitum filij, ubi euaserint, lōgè deteriores. Filiorū enim Regiorū qui paricidiū tentauerint, quiq; etiam expleuerint non defutura sunt exēpla: Mithridatis, Tigranis, Ptolemæi cognomine Euergetis, Eucratidis regis Bactrianorum, Horodis Parthorum, Pysistrati, Orchomeniorum, Artaxersis Persarum, in quem admirando & miserabili exemplo quinquaginta filij conspirare potuerunt, Baiazetis nostra ætate Turcarum, quem filius Selinus occidit. At nobilium atq; diuitū tanto plura crede exempla esse, quanto plures etiam sunt nobiles quam reges. Vnde etiam illud:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

De pauperū filijs ne suspitio quidem, propter quid enim, aut cui bono? Forsan ad pietatem conducunt opes? nequaquā, pauper nō cogitur dare, quia nō habet: diues si non det, impius est. Si det, quid plus habet paupere, nisi tractationē, solicitudinē, & laborē. Deinde

quia

quia magis inuitus dat diues quam pauper. Vt uix hac in parte liberaliores locupletes pauperibus inuenias. Quin etiam illius Hieronymi *memineris dicti:* Omnis *diues iniquus est aut iniqui hæres. Quod si ita est utro uis modo malè parta, quomodo salua pietate retinere poteris aut licebit, unde ortum etiam illud* Christi: Faci*lius est camelum ingredi foramen acus, quam diuitem regnum cœlorum.* Idem *dixit: rursus beatos esse pauperes spiritu, scilicet qui omnia distribuerint, illorum enim cœleste regnum esse.* Reliquum *est ut uideamus, an ad uirtutem & gloriam paupertas utilior sit diuitijs? nam, ut dixi, si hæc quæ ad felicitatem pertinēt, aut illi proxima sunt, absq; diuitijs ex æquo comparare liceat, haud dubiè compendium leue fuerit, diuitijs relictis ad hæc primum acquirenda se accingere.* Iam *ue rò antea quædam cognoscere oportet, quæ ad rem sunt necessaria, scilicet, an liceat seruare diuitias iniustè prorsus? an ex lege iniustè, iustè autem uerè & apud* Deum? *idem dico de parandis? ueluti quis accepit talentum ab amico sine chirographo, sine chirographo reddit, filij post patris mortem rursus repetunt pecuniam numeratam, exigunt iuramentum an acceperit? iurare tenetur, se non debere quicquam: si cogant potest iurare non accepisse, quia dolus est in iuramenti petitione.* Quid *si uerè debeas? exuaris omnibus bonis restituendo? negabis ne?* Si *necesse est, melius est exui bonis quā fide. si potes euadere melius est ut iures sic, ut utrique*

quod

quod suum est saluum sit. Quamobrem periurium non est cum iurando non læseris quenquam. id fiet si nihil retinueris quod suum sit, quamobrem et in criminibus eadem ratio seruanda erit. Neque enim peiero si mille accepi, et si nunc dem, quoniã euiluerũt prædia, exuor bonis negem accepisse, reddo autem mille, cum pretiũ redierit qualę tunc fuit. Si urgeat, iurabis tantum te accepisse quantum ualent nunc prædia, quæ tunc mille æstimabantur. atq; hæc ubi animo eo dederit atq; accepit. Si igitur iniustũ est diuitias acquirere furto, periurio, dolo, etiã retinere iniustum erit, ergo non faciendum. Ergo uirtus malum? utpote fides quæ hominem depauperat? nequaquam, sed tantum boni est in ipsa uirtute, in ipsa æstimatione, qua paupertatis malum periurio postponit, ut uirtus malum esse non poßit.

Quæ uerò molestiam paupertatis minuunt, sunt ea quæ uel asperitatem illius leniunt, uelut eruditio et maximè rei iucundæ, ut Astrologiæ & Musicæ: adeò in huiusmodi hominibus uix unum inuenias tristem. plus enim potest affectus, quam effectus? uel que spe implet homines, ut Chymica, & propria quædam singulis negocia: uel quæ differre possunt in lõgius calamitatem, donec regressus pateat ad reparãda necessaria, ut prospera ualetudo: uel quibus regressus pateat ad opes, ut industria & potentum gratia: uel quibus non sentimus incommodum paupertatis, ut pietas, uirtus, dolor, tristitia:

ſtitia: uel quæ bonũ aliud præſtant, ut filij plures bonæ indolis, ſcientiaúe multarum rerum, uel quæ plura ex his ſimul exhibẽt, ut gloria: nam magnam uoluptatem parit, amicos comparat ac uenerationem, hæc paupertatis ariditatem irrigat: uiam quoq; ad magiſtratus et reparandas diuitias præparat. Quare optima pauperi res eſt gloria, & ideo etiam rara, et rara paratu difficilia. Ideo ſi ex paupertate ad gloriam aditus pateat, pro lucro & paupertas haberi debet. Cæterum quoniam gloriæ humilitas generis opponitur, de generis humilitate dicendum erit.

DE GENERIS HVMILITATE.



Affines ſunt ualde humilitas generis & paupertas, paupertas tamen, ut dixi, glorioſa inuenitur, & diuitiæ ſordidæ, ſeu opulentia: ea etiam gloria quæ inanis eſt in oſtentatione fundatur, quæ certè eſt uulgaris, & in applauſu populi conſtans, imò nonnunquam etiam principum et procerum Seneca non ſolum inter bona non collocãdam cenſet, ſed potius inter ipſas calamitates, atq; id rectè admodũ, ſi ſapis? Etenim quod uirtuti innititur, quod ueris bonis cõmune eſt uel affine, id ſolum etiã optari debet, celebrari, in honore haberi atq; deſyderari: Siquidem illã ad ſuam naturã referas falſa cum ſit, nulla eſt. Si ad firmitatem, inſtabilis atq; mutabilis: Si ad tempus quo durat momentanea eſt. Ergo ſi

gloria

gloria hæc inanis est & contemnenda, humilitas fortunæ ac generis nihil obest, dicamq; cum Ouidio:

Nam genus & proauos & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra uoco.

Loquitur aũt hic sapientissimus Vlysses, qui tàm paternum quam maternũ genus ad Iouẽ referebat. Quin etiã cũ uirtutes ipsæ uideantur in alia cõmoda ordinatæ: ut temperantia in sanitatẽ, comitas et lepor & hilaritas in amicitiã & beneuolentiã: prudentia in potentiam, iustitia fides & innocẽtia in gloriã: inane hoc nobilitatis nomen atq; falsa opinio uulgi neq; ortũ habet ex aliqua uirtute, neq; in aliquod uerũ bonum desinit. Cũq; cũ ea esuriãt plurimi et caduca sit, inter bona censenda nõ est. Quod si dicas, eã esse ad uiam, ad lucrũ, ut in circulatorib. quo quisq; pulchrius ad populũ uerba facit, eo maiore in pretio est, atq; plus lucratur: respondemus de hac nũc nõ esse sermonẽ, sed habituros cũ de cõtemptu in arte loquemur. Certamen uerũ atq; iustũ est inter potentiam & sapientiã, utra melior sit ac magis expetenda: nam potentia omnia nobis commoda suppeditat, sapientia autem nos dijs iungit: illa maiora bona præbet, hæc securiora: illa magis explet nos, hæc iucundius satiat: illa plura ad felicitatem fomenta subministrat, hæc diutius durat ac in futura secula propagari solet: illa nos malis ostentat, hæc puram beatitatem in nobis creat: illa gratior & magis expetita uulgo atque in maiore ueneratione, hæc probis, pijs, atq;

atq; diuinis hominibus in maiore existimatione, illa di gna humanis honoribus: hæc deos uenerari docet atq; intimè colere, illa ostentat corporis delicias, hæc animi suauiatem parit: illa falso ementitur Deorum imaginem, hæc quid nos simus uerè edocet: illa magis necessaria, hæc præstantior: illa frequentior, hæc dignior, illa à pluribus expetitur, hæc à prudentioribus: illa totum hominem undequaque ambit, hæc quod in nobis diuinum ab omni mortalitate segregat: illa felicitatem totam circuit ac complectitur, hæc pars est ipsa felicitatis precipua: illa à pueris & mulieribus ac imperitis sola cognoscitur atq; expetitur: hæc senes ac uiros & eruditos ornat, illa miseros ad felicitatem deducit magno cum stupore mortalium, hæc diuinis honoribus dignos ex æquo facit tàm miseros quàm beatos: illa prouehit homines ad regnum, hæc ut cunctis potiatur efficit: illa uitijs ac uirtutibus pariter delectatur atq; cum eis uersatur, hæc uirtutes educat & cum illis uiuit: Denique potentiæ summum bonum est, posse obesse plurimum atq; obesse, sapiētiæ aūt scire, cur & cui, & quādo prodesse, & quādo, cur, cuiq; non obesse expediat: In illa etiam ignorare suā ac mortalium ex æquo conditionem optimum est ac quasi necessarium, ut tenebræ quasi ac non meditari impendentia atq; nouißima portus sit salutis: in hac autem lux, claritas, scientia, exquisitißimeq; omnia scire, omnia tenere plenam affert uoluptatem, fructumq; illius perfectum. Quid ergo est, quod

quod pro potentia subijcias; si illi eam præferri nolis, dignus aut melius, aut iucundius sapientia ipsa? Quid ergo miramur Iubam Mauritaniæ regis filium regno spoliatum incubuisse herbariæ cogitationi? Existimo & tum maiore cum uoluptate, certè tranquillitate uixisse quam patrem in regno: & nunc etiam magis ob opus illud admirabile celebratur quam pater. Filium Persei Regis Macedonum fabrilem artem Romæ exercuisse accepimus, tulit humilem fortunæ conditionem, sed non tanta mala uidit quantum pater: uictas acies, cæsos amicos, se in carcere strangulari, cathenatum duci pedibus in triũpho cum filijs infantibus, certum prope sui exitij incertum exitus filiorum, captiuos omnes ac in seruitutem duci quos amabat. Huic expectationi, huic etiam periculo non iure prætulerim uiuere cum uxore in officina ferraria? Sadocupus Marcomanorũ Rex ab Arnulpho Imperatore cum tribus alijs socijs solitariam in nemoribus uitam ad extremum senium ducere maluit, quam uel iterum regni tentare fortunã, uel ab inimico locupletiorem inpetrare conditionem. Ergo si amissa potentia, studijs sapientiæ te dederis, tanquã dimissa sarcina atq; impedimẽtis fortunæ gratias ages, quod ad iucundiorem ac tranquilliorem & si nolis fateri nobiliorem, certe pari nobilitate uitam transieris. Etsi absq; diuitijs esse potero, quæ multa afferre solent commoda, sine hac ambitione quæ non nisi mala, æstus & pericula afferre solet, cur esse non queam?

Memineris Horatiani illius:

Quamuis pontica pinus,
Syluæ filia nobilis,
Iactes & genus & nomen inutile.

Nil affert commodi dignitas, quæ te inuidæ exponit, à multis necessarijs negocijs retrahit. O quam bene Politianus ille dixit:

Fælix ille animis diuisq; simillimis ipsis,
Quem non resplendens mendaci gloria fuco,
Solicitat, non fastosi mala gaudia luxus,
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu,
Exigit innocuæ tranquilla silentia uitæ.

Quid est quod cũ hac fortunæ superbia boni sperare poßis rursus, nisi ut molestus sis alijs? & tibi ipsi grauis? & Deo ingratus? Non obliuiscaris, quod

Sæpius uentis agitatur ingens
Pinus: & celsæ grauiore casu
Decidunt turres: feriuntq; summos
Fulmina montes

Sed si modo tantũ te urit hoc põtẽtiæ, hoc grãditatis, hoc splẽdidæ fortunæ nomen? imitare Ichneumonẽ, quẽ ferũt pugnaturũ cũ serpẽte, se luto circũdare: ita et tu seruitutẽ indue, ut ingenuis antecellas. Pilã effinge, quæ ut altius ascẽdat maiore impetu illiditur solo. Dominũ ergo quæras in cuius amicitiã ita te insinua, ut ille multo minus sine te esse poßit, quam tu sine illo. Hic uides triplici artificio se indigere, ut scilicet poßit ac

uelit

uelit tueri, ut talis sit ut officijs ad id impellere eum poßis, ut gratiam illius consequaris. Scripsit Ioannes Casa in hoc genere opusculum politum & elegans, titulus est de Potentiorum ac tenuiorum mutuis inter se officijs. Verum ego non ea attingam quæ ab illo tractata sunt, liber in omnium manibus est, sed meo more quæ capita sunt rerum, quæque ab illo prætermissa leuiter attingam: neque sub eodem titulo, sed hoc potius de Gratia apud dominos captanda, conseruanda & augenda. Scripsit & materna lingua Hispanus quidā pulchrè, sed minus artificiosè: nec pigebit illū legere. Doctrinā enim aulicorū et monita gratiosorū appellauit. Ergo primū deligere dominū oportet, qui possit, qui audeat, quiq; uelit tueri amicū, aliter in ruinosū murum impegisti. Atq; hæc nō ex cōiecturis, sed certa sciētia accipies, uidebis quā gratus fuerit in eos à quib. aliàs beneficia accepit, & quādo et qua causa. Plurimū n. refert si, quæ iā 15. annis egerit, in mētē reuocauerit. Mutatur hominū natura ætatib. Videas an profecerit, quod optimū est, an ab initio Alexānder, Galba nunc euaserit: ut nostra ætate plurimi, uideas quib. ex causis? qui in absurda profundit ganeones, adulatores, leuium rerū causa, eū certè existima inutilem his, qui officijs, & syncera seruitute, & magnis periculis aut laboribus gratiam quærūt. Itaq; aut perseuerantē, aut in melius proficientem, quære: Fortem sapientemq; domiminum, & uoluptatū ac adulatorū dominū, nō aliorū

Hh 2 dominum,

dominum, horum autem seruum. Minimè uerò ambitiosum. Stultum est existimare adeò fatuum, adeò imprudentem fuisse Aristotelem, ut ausus fuerit sperare quod crederemus, aut ipse multo minus crediderit, magnanimum esse ingratũ: sed uoluit ut intelligeremus in huiusmodi homines beneficia non esse conferenda. Visus est tuto laudare eos, à quorũ familiaritate absterrere, cum periculosum duceret, cupiebat. Est igitur ac si diceret: ambitiosis hominibus ne inseruias, ne adhæreas. quod ego malo Fato meo præceptum non seruaui. Gallos iracundos, truces Germanos, Italos infidos aliquando flectere licebit, ambitiosum nunquam. Putas me studio aut dolore falli? cur principi dæmoniorum malorum, atq; ipsis cacodæmonibus, non iram, non inuidiam, non stultitiam, non perfidiam, tribuerũt Theologi, sed ambitionem, ut nunquam flecteretur precibus aut monitis, aut meritis uel suasionibus ullis? Itaq; ambitiosum dominum, cacodæmonis memor, fuge. Si te seruauerit, si euexerit, inanis gloriæ studio aut alios captandi causa faciet, non tui gratia. Atque ob id etiam leuioribus officijs ac beneficijs promerentes ditabit, ut euidentior illius sit liberalitas, atque illustrior remuneratio. Plerique enim, quoniam hominum maxima pars stulta est, existimant tanto maiora futura præmia bene merẽtiũ. Eosdẽ puta esse bonos & malos, si secus existimaueris decipieris. Qui atrox est in infidos, idem beneficus erit in iustos atque fideles: qui asper in maximis, in mi-

in minimis cõniuebit. Qui fures odit, amplectetur uindices. Qui abiget inertes & inutiles homines, idem eruditos studiosósq; fouebit usq; ad aram. Qui leges ex uerbo seruabit, cum opus erit sibi nullas leges esse putabit. Qui in tēplo spuere nefas ducet, minget in altare. Vbi ergo potentem, fortem, sapientem, gratumq; principē delegeris, caue ne nimis propere quærendo gratiam, illam amittas. Memineris semper Horatiani illius:

Virtus est uitium fugere, & sapientia prima.


Fac ut tui te primum dominum agnoscat, quomodo enim si alijs te seruire intelligat, sperare poterit ipsi ad dictũ fore? Id ergo erit ne uitijs, cupiditatibus, alienis, inseruias, sed totus tuus sis. Plerique etiam multa sibi de suis officijs atque obsequijs, quamuis exiguis & uulgaribus sibi pollicentur. importuniusq; à dominis petunt aut conqueruntur, unde pro gratia indignationem promerentur. Quæ uerò impedimenta in aula maxima sunt, difficile est effugere, inuidiam scilicet & odium. nam si negligens fueris, humanus ac quasi humilis animi despicieris ac contemneris, si existimationem seruaueris odio haberis. Simili modo si parum gratus domino fueris, cõtemneris, nihil sperandum: si charus, maxima inuidia laborabis. Vndique prospiciendum tibi erit, undique cauendum ab insidijs. Itaque ut partam uirtute gratiam tuearis, multiplici alia uirtute opus est, industria, diligentia, patientia, lepore, comitate. Audaces officijs, timidos terrore continebis: alios oppri-

mere qui contumaciter tibi aduersantur cogeris: spem omnibus inijcias, cum occasio dabitur, illos in gratiam domini maiorem euecturum. Id etiam cura, ut munus tuum nulli alij cõmune sit, sed ab omnium aliorũ munere disiũctũ. Velut si à libellis, à secretis sis, aut medicus, aut tõsor, uel cursorib. equis præfectus. Aliud etiam est periculum, dum etiã gratiã adeptus fueris, ne si non petas re in longum deducta, aut impedimentũ prohibeat cum uelit, aut officiorum obliuiscatur. nihil enim gratia celerius senescit. Et maximè cũ multi fuerint cõpetitores. Si urgeas, ne gratiã amittas. Ergo si proprio cuidã muneri addictus sis, tutius est petere. nã aliũ si uelit substituere non facile poterit, quoniã externũ cogitur quærere. Præterea nouatione illius animum nouere potes. noua enim delectant, quæ delectant animũ mouẽt, animũ eũ præparant ad benefaciendum & remunerãdũ. Sed si cõmune officiũ sit tuũ, aliquo adiutore opus habes, aut occasionẽ expectare. Iã uerò id facilius, quoniã principalis propositi cõpos iã factus es, scilicet existimationis atq; potẽtiæ. Cæterum ut gratiã domini cõsequaris, paucis agã, sedulitate, taciturnitate, diligẽtia: si prudẽs sit, patiẽtia sũma, industria, δ᾽ἀλοπρέπεια, perseuerantiaq;: nã de fide quid dicã, opus est. Simili ratione cõsyderandum, quoniã omnib. nõ solum gnauis hæc scribuntur: ut si deses sis, aut lucro aut parui pretij homo, ne sapientib. atq; gratis adhæreas, sed his solum qui fortuito uiuunt & omnia agunt. Vbi enim alij tibi

præstant,

præstant,melius est totã rẽ arbitrio fortunæ atq; incertæ aleæ committere,quã certare cum his de iure qui iure sint tibi præferendi. Nã referunt Artaxerxẽ Cannio cuidam rustico qui manus aqua plenas, alij dicunt galeam obtulerat, et gratiã & pecuniã ingentẽ reddisse. Fortunati.n.ut nõ uirtute, sed casu beati sunt,casu etiã ad benefaciendũ mouentur,et pro paruis rebus, & hominibus stupidis atq; indignis multa reddunt, pro magnis uerò beneficijs & præstantib.nihil. Quoniã magna nolunt, parua turpe ducunt. His ergo ignaui & nullius utilitatis uiri ut adhæreant cõsulo:habebuntq;, ut dici solet,suas labra lactucas. Sed iam de contemptu agere opportunum fuerit.

DE CONTEMPTV.



Contẽptus est honoris priuatio, atq; illi è regione aduersatur.Non est ut quisquã doleat quòd merito contemnatur. nã cũ sit in aliena potestate, quid aliud ab alijs expectandũ quã quod promerearis? Neq; etiã hic te lædit.Extra nos enim honor est. Ex honore etiam tanquam re admodum instabili,non solum qui contemptu digni sunt,sed etiã indigni relabũtur. Nihil tã instabile quã uulgi fauor:siue quicquã tibi accidat siue nõ accidat, mutãtur illorũ iudicia à mane ad uesperã: accidũt etiã persæpe casus,qui hoïes debitis honoribus spoliãt. Iræ principũ, inimicitiæ potentiorũ, aut intimorũ uel uerbosorũ,amißio opũ,cæcitas,surditas,senectus,uxor

mœcha, filius amens, improbus, uel eius aut parentis, aut filiæ, aut fratris insignis calamitas: aut error illorũ aut tuus, in quibus studia auræ uulgi mutãtur. Si ausus est dicere Socrates, quæ supra nos nihil ad nos, quanto uerius, quæ extra nos omnino nihil ad nos. Iam sæpius dixi, sapientem his non debere commoueri, neque ea cauere quæ perpetua non sint: quanto minus quæ nec perpetua nec diuturna, nec in nostra sunt potestate, nec utilia, nec magni sunt momẽti? Nihilominus si iustus est contẽptus, aut illius causam submoue cũ te torquet, aut aliquid honore dignũ meditare ac facito, ut honor alia causa recuperetur. Quod etsi uulgus uirtutem ac sapientiam in honore non habeat, nihilominus quenquam non despicit, nisi imprudentem aut flagitiosum, aut ualde à fortuna afflictum. Si omnes miseros uulgus contemneret atque despiceret? non esset misericordiæ locus in uulgo? at est: igitur misericordiam oriri necessarium est cum constans, cum probus uir immerito aduersis afficitur. Verũ dices, nihilominus misericordia & ipsa cum contemptu est, nam etiam miseret eorum qui ad supplicium ducuntur, quos palam est indignos omni honore esse. Erit ergo duplex contemptus, alius quidem cum uoluptate, alius cũ dolore, quẽ misericordiam appellamus. Ille est odio habentium, hic amantium: ille deterior, hic miserior. Præterea misericordia non oritur, nisi quia aliquid in illo esse existimamus indignum supplicio: uelut ætatem, dignitatem,

causam

causam facti, uirtutes et bene anteactam uitam, officia in nos ipsos, parentum innocentiam, filios paruos, inimicorum potentiam, patientiã illius, acerbitatem supplicij atque huiusmodi. Odium uero crudele cum contemptu ex oppositis oritur causis. Est etiam misericordia cum honore & ueneratione coniuncta, cuiusmodi apparuit in Socratis nece, & in his qui uel ob seditionem, aut religionis dißidia, aut iram populi, aut principis: uel ob acres potentiorum inimicitias absque scelere perierunt, cum antea inter nobiles censerentur. Vnus Phocion cum toties in supremo magistratu fuisset, cum contemptu tamen populi et absque flagitio perijt. Nocuit opinio uirtutis illi, ut etiam Ochi Artaxerxis patruo qui solũ ob id ab eodem cum centũ ac plus filijs atque nepotibus occisus est. Multum ob id sydera posse credendum est, atque legis nostræ præcepta, quæ ut atrocitatem mitigant, ita cultu intimo nunc obliterato non mitiores efficit, sed uerecundiores: quandoquidem, ut lex rectè inquit, „summum supplicium omnino sit mors. seu ut Seneca inquit ignibus seu carnificinis minutis excogitata, seu simplici uulnere. Ad idem omnia redeunt. Vnde Nero non ultra mortis simplicis genus etiam in coniuratos contra se sæuijt. Vt constet Italos hos nostros & Christianos nomine tantum & Italos esse & Christianos: uerum barbaros & Epicureos institutis. Imitariq; Germanos cum rotis & Turcas exquisitißimis supplicijs. Ita effecerũt ut occidere possent

quos lege non liceret, tanquã morte ipsa aliquid diriu effet, quo sublato liceret interficere. Sed quas habẽt leges ipsi si suo tẽpore experiãtur, à barbaris cõqueri nõ poterunt. Si ergo iniustè contẽnaris, nõ potest hic cõtẽptus esse diuturnus, & si sit, in aliã patriã te conferas: egregias enim tuas dotes tecũ deferens, relinques contemptũ illũ qui adeò te urget. Maxima pars auxilij in contemptu est, contemptum contemnere posse. sic Cæsar Catullũ qui probrosa admodũ & infanda de se scripserat carmina, ipsa die cœne adhibuit, qui parua contemnere non potest, magna ferre cogitur. Ita leues iniurias aut à plebeijs contẽnere disces. Sed neq; in his quæ à principibus aut regnis totis, aut religionis causa, aut à magistratibus proueniunt contendere ui oportet aduersus illos, sed blanditer rogando, deprecando, hortãdo, adiurando, beneficijs & officijs sibi deuinciendo, impetrare decet quæ uelis. Tempus & occasiones interim & ius ipsum mouet hominum corda, & mutant existimationem de te. Ex hoc autem genere maximè sunt repulsæ, quas tot uiri illustres æquo animo tulerunt. Ferox: ſ. Sylla & Portius Cato à præturæ petitione repulsi sunt. L. Aemilius Paulus, & Q. Cæcilius Metellus, cum consulatum obtinere non potuissent, & consulatum & Censoriam dignitatem, & uictorias insignes, atque triumphos assequuti sunt. Nec P. Scipioni Nasicæ probitatis insigne nomen profuit, nec auunculi præpotentes Qu. Aelio Tuberoni

roni ut à repulsæ rubore uindicarentur. C. quoque Marius septem consulatibus memorabilis Cimbricisq; tropheis, & Iugurthæ captiuitate, triumphóque una die binas pro ædilitatibus totidem repulsas tulit. Marcius quoque Coriolanus, qui ob uirtutem ab hostibus exercitui præfectus est, à ciuibus ob unius diei dilationem consulatus repulsam subijt. Gabriel Condelmarius Venetus patritius cum electus in pontificem Senensem esset, à populo ipso reiectus est: hic tamen Pont. Maximus creatus, Eugenius quartus est appellatus. Leōtius è priuato sacerdotio eiectus, Pontifex Antiochenæ ecclesiæ euasit. Simili exemplo Theodosius sacerdotio priuatus, ab Eugenio Pont. Max. à Gregorio quarto illius successore Saguntinæ ecclesiæ Pontifex electus est. Quid aliud est ergo repulsa in præstanti uiro & contēptus in probo, quam stimulus ad maiora promouendi? dico non solum honores sed & dignitates ac magistratus ac potentiam. Iusta enim indignatio exacuit ingenia, animos addit, cogit auxilia quærere, reconciliari inimicis, blandiri æmulis, multa ferre, noua excogitare, dignitatis personam retinere, liberalitate uti, alios premere, alios euehere, potentibus atque principibus se insinuare, colere diligentius amicos & magistratus, ualedicere studijs literarum, & ad ciuilem conuersationem animum applicare, ferre inter inimicos simultates, quosdam eò promouere, quo tu non poßis pertingere. quæ omnia quid

nia quid aliud ſunt quam gradus certi ad ciuilem potentiam obtinendam? atq; honores ac nomen inter ciues egregrium ſibi comparandum? Nec ſecus enim ac ſi concuſſo lapide ignis excutitur, qui aliàs latebat intus, ut ne ueſtigium quidem illius appareret, ita leui hac iniuria irritata, feruida ingenia, mira uirtutis exempla edunt. Adrianus antequam eſſet Imperator agreſtius orationem in ſenatu pronutians ab omnnibus eſt irriſus: at ille tantum abſuit ut iraſceretur, ut ex hoc ipſo ad ſummam orandi pronuntiandiq́; peritiam perueneri t. Memini me cum alias à Senatu repulſum quondam paſſus eſſem, nil tantum ad autoritatem mihi in arte comparandam profuiſſe: exiſtimant enim homines in his, quos præſtanti ingenio iam eſſe exiſtimant, tanto plus illos ualere una in re quanto minus in altera. Vt etiã contrà, quãto plus in altera exiſtimationis habere cernunt, eo minus in reliqua poſſe putant. Eſt ergo unius repulſa, ac eiuſdem diſciplinæ aut peritiæ contemptus alterius incrementum. Qui plus ualent opere, minus creduntur docendo apti, atque è contra. Qui ciuilibus in negocijs minus in artibus. Non cunctis dat grata Deus, & illud:

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus:

Quocirca pluribus operam dare rebus artibúsue, in ſingulis minuit exiſtimationem. Memoratur Hippias quidã Socrati coæqualis à Cicerone uir omnium artium genere peritus, & præterea eloquens pro miraculo

raculo quod uix contingere poßit, ut mortalis homo propter uitæ præcipuè breuitatem in multis excellat. Quamobrem quid de huiusmodi hominibus statuere debeant principes ac mortale genus? qui tam præclaris naturæ conatibus, pulchrisq; spectaculis aut insidiantur, aut minimis ex causis periculum uitæ afferant, aut quod deterius est succrescentia in maximam spem germina succedant? Vt uerò contemptus iustam ob causam difficilius tollitur: ita qui iniustè nobis aduenit intollerabilior est ac magis molestus. Sed unde hoc? ob tres maximè causas, inimicorum & æmulorum dolos, uulgi & imperitorum uanitatem, uitiaq; tua: si non circa artem, proximam tamen arti: ut desidiam, auaritiã, iracundiam, inconstantiam, nimiam ambitionem, iactantiam & garrulitatem, rusticos mores, importunum ingenium, sordidum & incomptum corporis habitum, haud decentem profeßioni et autoritati, petulantiam, lasciuiam, improbam stultitiam quandam, & mores incõpositos & inæquales, uitiaq; & inimicitias, ac infortunia magna coniunctißimorum, ut parentum atq; filiorum & fratrum: omnibus his atq; alijs tam iniustè quam necessario minuitur autoritas, læditur nomen, & existimatio offenditur. Multis obest inopia, uelut & mihi, cum ob paupertatem mathematicas profiteri cogerer, non ignorabam quantum authoritati in medicina ob hoc decederet, sed quid facerem non habebam. Eadem ratione & pannosus incedere cogebar:

Ante

Ante uidebatur specie fœdißimus esse,
Nunc diuis similis, magnus quos pascit Olympus.

Tantum potest uestiũ mutatio apud uulgus, teste Homero. Ergo hæc in triplici genere collocanda sunt, quæ in nobis, uitia, flagitia, imperitia, quæ circa nos maiorum mala fama, uestes sordidæ, ingenita difficultas, quæ præter nos, inimicorum & falsæ uulgi persuasiones. Vt uerò circa hæc & de his aliqua singulariter, & ad rem proferam, cum aduenis & ignotis occurris, maximè cum comitate seruanda est autoritas, atq; ideo paucis uerbis utere: propriorum negociorum nihil refer, nil admiratione dignum recita de temetipso, nõ dicas quicquam, fuge opinionem leuitatis, garrulitatis et ostentationis, & blandus esto tamen. Qui ergo immerito contemptus accidit, ut & reliqua infortunia nos exacuere debet, extimareq; decet cum pisce qui nos cibi causa expetat: aut cum implacabili hoste rem habere, non submittenda ceruix, non corpus humi deijcere, sed animosè obstare ingruenti procellæ: neq; enim conuenit arma abijcere, ueniã petere, spem in deditione aut precibus, aut misericordia hostis ullam reponere: abeant lachrymæ, facessant argumenta commiserationis, quæ animum tuum labefactare possunt, crudelis hostis sæuitiam minuere nequeũt, nec eius duritiem frangere aut propositum mutare. Dum enim speras, dum cunctaris, dum animum remittis, eò te deducit inimicus, ubi nec ueniæ nec defensioni locus relinquitur.

Inuidiam

Inuidiam enim frangere, non lenire, rumpere, non placare oportet. Interim uerò ut etiam aliqua ad principale propositum afferam, duo commoda gignit, maiorem scilicet securitatem, & occasionem minuendæ impensæ.

Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus.

Quid etiam ad pietatem, ad iustitiam, ad bonos mores, ad liberiorem uitam magis conducere potest, quam ut abditus uiuas, nec tanquam expositus in publica scena? An malis prandere, cœnare, dormire in publico spectaculo, an in domo tua? similem existima uitam eius qui splendido in honore positus est, si ad humilem hominem comparetur. Caue tamen ne cum te contemptum putes, nimis suspiciant homines. Neq;.n. idem est iniuriam accepisse atq; contemni: nam qui à principibus, à magistratibus, à multorũ conspiratione iniuriã patiuntur, tantũ abest ut contemnantur, ut etiã intelligant magni æstimari. Cur enim ille se contemni iure existimare potest, ad quem opprimendum nõ ulla priuata uis, non plurium conspiratio sufficit, nisi publica potentia & nomine regio suffulta obijceretur? Quamobrem qui secus existimabit duplicem committet errorem, unum quod se contemptum putabit cum non sit, duplicabitq; iniuriam: alterum quod magno in periculo se esse putet, cum credat ex contemptu esse securum. nam decet contemptos quietius uiuere.

Sed

Sed cauere oportet ne nos falso contemptos existimemus: ubi uerò cōtemptos nos intelligamus, duplici modo occurrendum erit. Primum ut causam auferamus scilicet garrulitatem, importunitatem, impatientiam, aut aliquid simile. Sed ut sciamus hoc, nos ipsos circumspicere oportet. Quamobrem uelut iecur & pulmones magni abscessus occupare solent, non ita uentriculum aut uesicam, quòd hæc membra magno sensu prædita sint, illa non: ita Reges & bene fortunatos repente magna mala frequentius opprimere solent, quam contemptos & humilis sortis uiros: hi enim sibi semper ut custodes certi, urbi quæ in periculo est aduigilant. Narrat Plutarchus, Ciceronem cum è Sicilia rediret, existimasse uniuersum Populum Romanum ei occursurum, at cum intellexisset plerosq; etiam rogasse post aduentum ubi tamdiu fuisset? cæpisse nomina & prænomina singulorum affinitates, ordines, amicitias, uillas & etiam prædia quærere ac discere, atque adeò tantum profecisse ut toto uertente anno, omnes ciues alicuius nominis aut existimationis è facie cognoscere ac nomine, prænomineq; salutare didicerit. Vnde postmodum tantus fauor, tantaq; potentia accreuit, ut beneficio huius diligentiæ & eloquentiæ Arpinas Rex per iocum quod certè in Rempub. plurimum posset, appellaret. Memineris tamē hac in causa duorum C. Iulij Cæsaris dictorum (nam his maximè in unaquaque re credendū est, qui in ea ultimum de se experimentum dederint, ut Cæsar

ut Cæsar qui gloria omnes mortales, etiam ante adeptum imperium, superauit) Facilius hominem è secundo gradu in ciuitate ad ultimum detrudi, quam ex primo in secundum. Quod etiam uerum est in principum gratia, atq; alijs ad dignitatem quamlibet aut ornatum pertinentibus. Alterũ erat, malle se primum esse in exiguo oppido quod in transitu alpium erat, quam secundum Romæ. significans hoc, debere nos potius dignitatis rationem habere seu in arte eligenda, seu in ciuili cõuersatione, quam rei aut loci. Ita dicemus malim esse primus tonsor quam uulgaris Iurisconsultus, quamuis hic plus longè lucretur, & maiore sit in existimatione. Sed nihil huic uoluptati comparari potest, quæ ex conscientia principatus in quauis re percipitur. Verũ melius est & optimum firmitatis animi argumentum, nõ sequi uulgarem consuetudinem, nec trahi inuidia aliorũ: utq; quæ aspernanda sunt natura, quæq; ex te ipso negligeres, optare uelis quoniam alij magnifaciãt. hoc enim est alienis sensibus atque iudicio magis credere quam tuijpsius. Sic ut nec uincaris uoluptatibus. Si uides ambitionem non esse nisi inutile animi pondus & molestam uitam, cur quod modo alios ea detineri uideas, denuo quod reiecisti amplecteris? lõgiores sumus forsan hac in re, cum ad contemptum tollendum pauca sufficiant: ut qui in negatione consistat, atque ideò quælibet uirtus, quælibet bona fortuna contemptum tollere potest, non sic infamiam: quæ cum in actione consi-

ſtat, opinionem ut tollas neceſſe eſt, hoc autem diffici-
le ut ſuo loco explicabitur. Verum quia contemptus
gloriæ & honori aduerſatur: gloriam autem & hono
rem conſequuntur potentia & opes atq; amici, ideò ea
quæ contemptum tollunt libenter quiſque diſcere cu-
piet, ſunt autē ſex. Primum eſt Ciceronianum illud
τὸ πρέπον ut ſerues, quod ſimul congruum, ho-
neſtum, dignum, decensq; ſignificat. Latini non habēt
nomē ſimile: proximius tamē in ſignificato eſt Decor.
Hunc igitur explorata conditione tua, temporeq; ac
loco & conſuetudine, diligenter oſtendens in ſermone
primum, inde in ueſtitu, tertium in ambulando ac ge-
ſtibus, nec non in ſocietate & in alijs actionibus, tum
familia habitationeq; retinebis: Secundum ut uitijs ca-
reas. ob id etiam rarò ad conuiuia accedes: diffi-
cillimum enim eſt non peccare, ſeu & tu delinquas
aut deliquentes irrideas, aut non inuites mutuò, ut ru-
ſticus aut auarus: aut ſordidi domi apparatus exi-
ſtimeris. propter hæc enim tria homines à conuiuijs
celebrandis plerumque abſtinere conſueuerunt. Deni
que ſi inuitas, perit res, & difficile eſt ſeruare medio-
critatem in ſumptu, ne accuſeris aut irridearis: & in
utroque iacturam affers ualetudini. Quid dicam de te
mulentis ac uoracibus? altera parte ſunt continentes
ac temperati? omnibus eſſet inſeruiendum. Sympoſia
illa Plutarchi & Philelphi & Eraſmi conficta exiſti-
ma: ſi ſic poſſent celebrari ut ſcribuntur, intereſſe illis

non dubitarẽ. Sic à turpib. amoribus, quæstib. sordidis, mutuò rogando abstinere oportet, operã quoq; suã in pretio retinere, nec uili potẽtib. collocare. Sic Plautinũ illud: Illi issent drachmis miseri, nemo potest
Minoris quisquã nummo, ut surgã subigere.

Quòd si cogaris precario potius & gratis artem exercebis. Peccatur etiam quarto loco non minus eruditione quam inscitia, maximè apud plebem, & æmulos, cum præposterè aliena profiteris: ut Iurisconsultus grammaticam, Medicus astrologiam, Princeps picturam profiteatur. Sic Alciato, quanquam esset eminentissimus apud inuidos eloquentia, nobis peritia mathematicarum aliquid detraxit autoritatis. Liuidus enim ut potator est: huic enim ad bibendum omne uas, illi ad maledicendum omnis causa satisfacit. Verùm si minimum incumbant his quæ multum ab arte absunt, & lõgum postulant studium, apud omnes etiã damnari solet. Vt Nizolius medicus, qui quãtũ gloriæ sibi in studijs Ciceronis ac nominis cõparauit, tantũ ab artis medicæ detraxit: quocirca ad aras usq; progredi licet, aut studia exercitatiõi cõparare. Vt Leonicenus, Matthiolus, Vessaliusq;. Quintũ est, ut amicos tibi potentes aut plures, aut quã addictos nomini tuo parias. Id aũt quomodo, superius dictũ est. Vltimũ est, ut opes tantas habeas, ut necessarijs satisfacere poßis. Necessaria uoco, dignitati tuæ, ordini atq; existimatiõi cõgruẽtia. Accidit aũt sæpe circa huiusmodi negotia-

 tiones,

tiones, ut homo simul ad duos magistratus aut dignitates ex diuersis prouintijs aduocetur, tumq; uersatur in periculo, ne ambas occasiones amittat, aut ambabus se implicando iacturā fidei & honoris, dum utrisq; pollicitus est, faciat. Ergo tunc sic agendum, ut rescribas te uenturum his conditionibus, modo illi tempestiuè receperint. nam & aliunde te urgeri. Id uerò tutius ac modestius, si petieris ut quam celerrimè fieri potest, nulla adiecta causa negotium absoluant.

Quòd si contemptus hic circa artem propriam uersetur, ut quasi alter Bibulus in consulatu domi maneas, speciatim ac diligentius quemadmodū res patitur, non quantum postulat excutienda est. nam non sola autoritas ut in contemptu, sed res etiam atq; lucrū perit. Eiusmodi autem aliqua auxilia, dum de paupertate loqueremur, attigimus. Verum hic propriè locus cū sit, singillatim omnia attingere propositum est. Cum uerò ex unaquaq; arte commoda quædam præter lucrum consequi liceat, opportunum esse duco de singulis differere, ut facilius intelligamus quid ex illis consequi cōmodi poßimus. Ergo Grammatica memorem hominem facit, & ut quæ scimus eleganter & clarè, rectéq; explicare poßimus: efficit autem & garrulos uelut & Rhethorica sed facundos & ualde memores, & ad argumēta conquirenda atq; inuenienda accommodatos. Dialectica acutos & solertes in rationibus inueniendis sed contentiosos. Vtraq; autem harum facit ut alias scien-

tias penè

tias penè nullius precij esse existimemus. quoniam idē putant scire loqui de rebus, resq́; ipsas tenere ac scire, nugari atq; contendere. Geometria & cæteræ mathematicæ docent dignoscere uerum à falso, tractationes exquisitas à probabilibus argumentis, iudicium præbent & ingeniū acuunt. Ob id Aristoteles et Plato suas serunt, ut pueri illas discerent: uerum Geometria ad dijudicandas figuras & picturas, statuasq́; & rerum magnitudines & tardum iudicium atq; securumconfert. Arithmetica ad tractationem cum hominibus ad mercaturam, ad solertiam ingenijq́; promptum discursum facit. Musica peculiarem ob pulsas utilitatem medicis præbet, delectat plurimum, & promptitudinem in negocijs peragendis miram affert: quoniam qui canunt aut pulsant, coguntur maxima uelocitate & nullo interposito penè tempore uoces acuere aut remittere, & uerbis accommodare, & alijs canentibus aures adhibere, aut uerborum loco manus mouere. Ob hoc inconsulti euadunt in negocijs suis, plerūq; etiam ut suo loco dicetur, malorum morum, & luxuriæ perditæ. Geometria uerò & Arithmetica tristes efficiunt ob longas cogitationes. profunda enim ars & inuentio rerum earum quia certæ sunt, plurimū detinēt animum, atq; delectāt. Astronomia eadem facit quæ Geometria et Arithmetica, sed magis cogitabundos efficit. quoniam difficilior est, & longioribus periodis inuentiones illæ continentur, & imaginandi facultatē plus

fatigant, & plus delectant. Sed omnes Mathematicæ immemores reddũt, et à ciuilibus ac domesticis actionibus hominem seuocant, ut uix inuenias quenquam illorum qui multum profecerit in eis, bonum œconomum aut prudentem ciuem. At Architectura solertes prudentesq; efficit, uersatiles & ingeniosos: minimè tamẽ aut memores uerborũ aut officiosos, nec ulla in re excellentes. Sunt tamen & ipsi melancholici, leges faciũt prudentes & memores ualde, in œcomonicis tamen minus uersatos, & pertinaces ac immobiles ubi iam hæserint. In moribus autem ad extremum deducũt, aut enim optimi efficiuntur aut peßimi, mediũ tenere non possunt: quoniam cum sciant quod rectum est soli, si ei omnino studẽt, necesse est optimos euadere, sin peruertantur, studio ipso & facto peßimos fieri necesse est: sunt autem omnes ambitiosi, quamobrem & iræ eorũ, & odia & uitia quæcunq; si ab eis teneantur, nulla ratione sedari possunt. Ostensum est enim ambitionẽ esse omnium malorum propugnaculũ, non tamen originẽ.

Medicina facit rerum memores non uerborum, callidos, uersatiles, ingenio inuidos, auaros, dolosos, laboriosos, nõ ingeniosos & minime graues: opus enim eorũ & exercitatio minus quàm liberalis est, et cũ uarijs hominib. & aßidua. ideò etiã uarij sunt ingenij. Militaris disciplina impios, sagaces, uafros, crudeles, nihil boni dotibus ingenij addit præter promptitudinem et uigilantiam. Poëtica multum musicæ, etiam teste Aristotele,

ſtotele, aßimilatur, furorem addit et leporem, ingenio nihil, memoriam exercet. facile enim numeroſam orationem memoriæ mandare licet. Differt autem toto genere quæ à ſtudio, & quæ à lymphatico impetu fit. Aſtrologia reliquæq; diuinandi artes faciunt deceptores. captioſos et prudentes, mendacesq; uanos & inanes, tales enim ſunt mendacio addicti. Milites, poëtæ et uates in hoc cõmunicant quòd læti uiuũt, parumq; de futuro ſoliciti: licet uates nil aliud curare uideantur, et militibus incumbant multa, omnesq; atra bile incitantur. Ars ruſtica facit auaros, curioſos, ſolicitos, ſtabiles, agreſtes, laborioſos, in quibuſdã reb. ſolertes, litiũ inimicos, & uoluptatum parũ amatores, nec ingenio nec memoriæ cõducit. Venatores laborioſi, agiles, crudeles, inpigri, læti atq; alacres. Philoſophia naturalis ſapientes, probos, ueri amatores, ingenium & memoriã auget, digna omni uiro ingenuo. Moralis aũt prudens, uafros, ingenio & memoriæ non adeò utilis. Simulatores & graues, in actionibus ſuis modeſtos quoque & auaros: in ſermone gratos, factis parum pios. Chymica mendaces, cogitabundos, plenos uanæ ſpei, modo hylares, modo triſtes deceptores, nec memoriæ nec ingenio utilis, adulterinæ pecuniæ fabricatores, planè ſtultos. Necromantia uanos, inanes, mendaces, ſtultos, deceptores, rudes inornatos, ut etiam Chymica atq; pãnoſos: Mercatura doloſos, blãdos, ſolertes ad omnia ciuilia negocia aptos. Verborũ memoriã aufert

ingeniumq́; minuit, lucri cupidos & in conuiuijs liberales. Nauigatio sordidos, laboriosos, uigiles, contumaces, clamosos, impios, audacesq́; facit: haud ciuiles. Geographia, comes, studiosos eruditosq́;, memoriæ uerborum conducit. Videturq́; disciplina omnibus fermè utilis atque conueniens. Fabrilis ferri industriosos, mediocriter laboriosos, simplices et melancholicos. Pictura inconstantes, uarij ingenij, melancholicos circa mores ualde inæquales. Pædagogium insaniam parit & ambitionem stultam, facitq́; ira auidos. Sculptura similis est picturæ, sed laboriosos magis facit, minus ingeniosos. Vtræque harum exercent uim qua imaginamur ualde, & ad libidinem puerorum plus cæteris artibus hominem inclinãt. Gymnastica & saltatoria eisdem penè malis laborant: tantoq́; magis obsunt animi uiribus, quanto corporis robori atq; agilitati conducunt, lasciuos, procaces ac incontinentes faciunt. Qui scribere docent callidiores sunt pædagogis, & magis ciuiles ac cauti, ad picturam accommodati. Est enim id picturæ genus. Vestium autem artifices, solertes, fures, nugaces, mendaces, iucundi. Tonsores nugaces, simplices, fatui, officiosi, neque ingeniosi neq; memores. Gemmarij præter alios mercatores cauti, splẽdidi, graues, puerorum amatores, nisi uxoribus cito iungãtur. sunt enim melancholici, & multa imaginantur. Caupones, dolosi, comes, hylares, faceti & mendaces. Coqui læti, iocosi, ociosi, non satis firma ualetudine. Chirurgi

rurgi dolosi,crudeles,sordidi,auari,faceti. Cursores uigilantes,laboriosi,mendaces. Lictores sæui, beluones, improbi,lusores. Argentarij fabri,morbosi,melãcholici, parci. Mimi histriones,scurræ,ludiones, aretalogi, sycophantæ, circulatores, moriones, pantomimi atq; huiusmodi homines è sordida plebe, ac quasi fex quædam mẽdaces,gulosi,ebrij, nugaces,improbi,omnibus malis moribus præditi,nullis uirtutibus, impudentes, procaces,lusores,nil pensi habentes. His proximi sunt præstigiatores, sed in uictu tẽperati magis ac etiam ingeniosiores. Præstantiores his etiam qui in scena fabulas agunt. Ad memoriam hoc maximè confert,unde pueros tum in his,tum in declamationibus exercere solemus. Tabelliones memores,probi,cauti,neque ulla disciplina ingenio uiro dignior. Primæ philosophiæ studium hominem facit ambitiosum, ingenio turbulento & ancipiti,callidum, negligit disciplinas omnes,parum etiam memoriæ confert. Professores gymnasiorũ, auari,pertinaces,ambitiosi, contentiosi,grati, iucũdi, memores,prompti,eruditi. Disputationes myrielecticæ quantum prosunt imaginandæ facultati,tantum obsunt rationi & memoriæ. Propterea didicisse præstat ac scire,uti non est necesse. Mathematicis tamen disciplinis conducunt. Sophisticæ ingenio utiliores sunt,nõ tamen ad perquirendã ueritatẽ sunt utiles,nec ullis disciplinis. Quædam earum conducunt his qui pulchrè mentiri uolunt.nã consentientia præcedentibus dicere

docentur. Tornare ad politiem spectat, & uitæ longitudinem, ut etiam lignaria fabrilis: cuiusmodi carpentaria synceros & ueridicos facit. Textores non uniusmodi sunt, qui enim pictorum sunt operum, ingeniosi, melancholici, aliquanto constantiores, in opere pictoribus, in reliquis illis similes. Cæteri ut aliarum uilium artium opifices, simplices, parum prudentes, nihil præter artem ipsam norunt, aßidui in opere. Aurigæ duri, fallaces, contumaces, crudeles, improbi, laboriosi, clamosi. Pharmacopolæ callidi, mendaces, ingeniosi, ad ciuilem uitam satis accommodati, rerum maximè memores. Vnguentarij blandi, irrisores, & ipsi rerum memores, adulatores, mendaces, deceptores. Ab his duobus seplasia originem duxit. Lanij, salsamentarij, molitores, deceptores, fures, iracundi: minus tamen salsamentarij, auari, uiles, sordidi, parum mente ualent: lusores clamosi, impij, fallaces, fures, blandi, auari, sed inconstantes, quandoque enim & quibusdam in rebus prodigi habentur. Qui libros uelant læti, simplices, nugaces, corpus parum animumq; minus exercẽt, uarietate negociorum delectantur, nouarum rerum cupidi, semper pauperes. Trapezitæ fidei tenaces, prudẽtes, parci, ad ciuiles actiões et cõuersationẽ accõmodati. Fœneratores blãdiores, et melifluis cũ uerbis, impij, auari, deceptores, crudeles, omnia præter opes, negligunt. Cerealium mercatores his etiã deteriores sunt, latrones domestici, seu laruati, obstetrices inuidæ, mẽdaces, uora-

ces, uoraces, ambitiosæ, nugaces. Proxenetæ mendaces, blādi, astuti multarū rerū habent notitiā, inuidi, loquaces, auari, impudentes. Generaliter aūt artes omnes ac disciplinæ minus aptis sunt utiliores: atq; ideò quib. sunt magis necessariæ, his minus cōueniūt. uelut tardis musica ad promptitudinem magis conducit, qui tamen tardi natura sunt, in musica minus proficiunt. Et qui memoria minus ualent, uerborum declamationibus & comœdijs recitandis admoueri debent, cum tamen cæteris his muneribus minus sint accommodati. Ita natura hominum sortes distribuit, ut ubi plus esset neceßitatis, ei minus conueniret. Ergo quod proprium est unicuique arti, utiléque, id excolere licet: ut in musica promptitudinem, in legibus memoriam, in mathematicis claras tractationes, efficeréque omni studio, ut homines te præstantißimum in arte ea esse intelligant, illiq; maximè intendere. Ergo & abdicare quæcunque eam opinionem possunt, aut minuere aut mutare, uelut aliena studia, curas graues, disputationes de alijs rebus atq; ostentationem. Quam stolidi quidam etiam earū rerū quæ nō norunt præ se ferunt. hæc igitur eò spectāt ut artē tenere perfectè te existimēt atq; scire. Verū neq; hoc satis est, si non etiā credant te scire, optimè uti. id eueniet tum eisdem rationibus: tum si intelligant te exercitationi aßiduè incumbere, et si in potentioribus ac sapientioribus uiris id agas. Sapientes nunc ciuili illa sapientia

intelligo.

intelligo, non eruditos aut literarum studiosos, etsi utilem atq; lucrosam esse uideant. Vnde & ab ornatu & ab emptionibus ac sumptibus illud coniectantur. Fac ergo ut obliquis quibusdam uijs in eas coniecturas incidant, atque ut eas combibant. Et si te rebus in omnibus prudentem intelligant. namque ex eo colligũt prudentem esse in exercitatione. Vt ergo prudẽtiæ opinio in omnibus & ad omnia utilis est, ita stultitiæ cuncta euertit: ut uerò prudentem existiment in Salomonis præcepto repositum est. Siquidem inquit: ex uerbis, ue stitu atque ambulatione esse coniectandum. Ea omnia loco, tempori, homini, consuetudiniq; congruere debent. atque in omnibus his mediocritas est præstantißima, proxima illi parcitas, ac melior atq; laudabilior effusione: ut taciturnitas loquacitate, tarditas in eundo celeritate, uestes iusto uiliores potius quam sumptuosiores, astrictæ magis quam nimis amplæ. Habet præterea loquacitas præter generalem iacturam, scilicet uanitatis, stultitiæ, ineptiæ et leuitatis, duo alia præcipua mala, quibus deterior est incompto ornatu & præcipiti incessu, scilicet ut multa loquẽdo aliquid dicas omnino imprudenter, & quod existimationi tuæ aduersetur: & ut aliquid proferas quod ipsis rebus non congruat, ut non solum uanitatis sed etiam mendacij coarguaris, ob id rectè dictum est in adagio: In sermone abũdantiore non deest error. Quintum argumentum legitimæ exercitationis ab ipsa operũ nobilitate sumitur:

ut si pictor tabulam exponat nullis numeris mancam, medicus deploratos curauerit, aurifex uasa ostendat operis Mentaris aut Phidiæ. Opificibus ergo facilius est hoc atque commodius, quam medicis aut iurisconsultis. quoniam opifices in opere ipso artis excellentiã declarant, illis uerò non opus sed iacturam & periculum quanta essent ad artis ostẽtationem, docere necessarium esset. Quo circa opificibus facilius est inclarescere & breuiori tempore, quam medicis aut iurisconsultis. Cum opificibus erunt etiam & musici & astrologi. omnes enim opus suum ostendere possunt, atq; in opere disciplinæ excellentiam. Verùm tametsi his in difficultatibus uersentur huiusmodi nobiliores artes, ut etiam militaris, quæ quasi media est inter opificum & harum excellentiorum conditionem, nihilominus frequens deploratorum ægrorũ cura multum ad existimationem mihi contulit. quemadmodum in libro de libris proprijs testati sumus. Recolligamus ergo primũ quæ iam dicta sunt ad opinionem peritiæ artis, atq; ea sunt munus publicum: & si occasio eius desit, aliquid in arte edere, aut disputare quod exiguum est, & propter euentum, & ob iudicia hominum aliqua, & ob uicti opinionem, aliena studia semouere, & graues curas. Vt uerò in exercitatione te clarum esse putẽt, diximus primam coniecturam à scientia quæ in his tribus dictis reposita est, sumendam esse: secundã ex perpetua actione tum in potentioribus atq; prudentioribus. Tertiam à fine

à fine existimationis, scilicet lucro. Quartam à prudentia in cæteris actionibus. Quintam à fine artis scilicet operis nobilitate atq; perfectione. Est uerò tertium necessariũ, ut legitimè eam exercitationẽ administres, id uerò consistit in uirtute, ueluti fide, diligentia, patientia, ut amãter, piè. Sed est in quibusdã artibus præter id necessarium quippiã, ut in medicina & causarũ defensione, scilicet ut cum collegis comiter, cõcorditerq; omnia geras, ut nec ambitiosè præripias munera, nec contentiosè repugnes, aut humiliter nimis agendo despiciaris. His ergo tribus præceptis quæ ex arte sunt, & breuiter à me collecta, dulciorem gloriam, securiorem, diuturniorem cõsequeris, quam ex collusionibus cũ socijs, obstetricibus, chirurgis, tonsoribus, pharmacopolis, usq; eò cum cauponum famulis. Quæ etsi iuuent, non tamen parem afferunt gloriam, neq; adeò ingens lucrum & maiore cum labore: & quod omnium peius est cum scelerata conscientia, proditione laborantium, atq; diuina indignatione. Idq; indicio esse potest, quod cũ tot opibus, potentia tanta, tot conspirationibus nihil fermè profecerãt aduersus me: quanquã nullis senatorum fauoribus, nullis procerũ suffultus patrocinijs, donec publica filij cæde, omnia fateor senatus ac principis autoritate cõcussa et euersa sunt. Neq; ego offensus, sed diuina M. illa, mihi tot annis tutrix ac propitia, quæ quamuis cædem priuatam à filio repulerit manifesto miraculo, certis tamen sui Fati legibus, hanc

hanc tantam labem omnis mali exempli simulachrum incurrere permisit. Quo id consilio ad me non spectat scire, id solum scio, quòd si uir bonus amicum suũ in aduersis atque calamitatibus nõ deserit: Deum Opt. Max. id minus facturum in seruo suo qui illius gratiam etiam filiũ Abrahami exẽplo iugulari passus est, ne tot annis pacientiã, ob illius amorem & uenerationem susceptam, in aliquo uiolarem aut interrumperem. Itaq; quid illi egerint uideant: namq; ut dixi, de fœlicitate in artis operibus eousq; res his consilijs processerat. Vt uero indignum existimo (ad rem enim redeo) his artib. turpibus quæritare gloriam: ita neq; cõmoda quæ eueniunt saluis honestate, pietate, ac fide aspernari non debemus. neq; ego sum ad hãc usq; diem, sed multo minus ab initio aspernatus.

DE OCIO IN ARTE.



Erùm quoniam, ut diximus, propositũ non est ociũ in arte auellere, nec docere pollicitus sum, quanquã id præstiterim: sed ex ocio illo inuiso qui grauior est cõtemptu, quòd cũ iactura coniunctũ sit, & certi ac principalioris genèris bonorũ nostrorũ utilitatẽ capere, ideo de hoc nũc dicere me oportet. Quæcũq; igitur in arte cõsecutus sum præter cæteros, seu prædicẽdo, seu curãdo: seu politè artis opera tractarẽ, seu cũ existimatione aut cum splendidiore lucro, aut in principibus,

aut

aut quod procul aduocarer, aut cōsilia pro exteris plura conscriberem: aut quod maximum esse existimo nō solum sine errore, sed etiam securè in eisdem operibus uersarer, exiguoq; cum labore, si modo quicquam horum mihi cōtigit, hauddubium est totum illud me ocio ipsi debere. nam uelut qui saltare aut cheli pulsare discere cupiunt, id si sensim ac lentè ab initio discant, ita proficiunt ut perpetuò artem ipsam integrè & absolutè ac sine uitio ullo exerceant. Sed si præpopere discant, nunquam ad absolutam & sine culpa artis illius exercitationē perueniūt. ita ocium in arte efficit præcipuè medica, ut cōcinnè, pulchrè, ad amußim atq; perfectè assuescas cuncta peragere: inde usu confirmatus tam prompte tu rectè & absolutè cuncta peragis quā cæteri inordinatè, confusè, perperamq; sua administrare soleant. Vnde tibi laus cum animi lætitia & bona cōscientia aduenit: illis multa incommoda. Secunda utilitas ex ocio est incolumitas, ualetudo, prospera uitæ diuturnitas. nam ex intempestiuis laboribus temperatura euertitur, uita cū uiribus atteritur. Itaq; per ociū ualetudini operam dare licet, aptare rem domesticam, filiosq; diligentius educare, aut etiam scribere. Cicero cum deploraret omissum forense negotium quo se beatum existimabat, nihilominus nūc magis floret eo ipso septennio quo uacauit, scilicet ab anno urbis conditæ DCCIIII L. Lentulo & C. Marcello consulibus ad annum DCCX. I. C. Octauio & Qu. Pedio COSS.


quo

quo tempore libros illos omnes qui nūc extant, & multo plures qui perierunt scripsit: solis his qui supersunt adeò gloriosus, ut uixisse dici posit in his in quibus perire se existimabat, perijsse in quibus uiueret. Nos quoq; quæ scripsimus ocio debemus. Quæres forsan, quid ex scriptis cōmodi ac studijs disciplinarum? Quin que sanè præcipua & certa reliquis bonis incomparabilia, ea sunt, scientia ipsa rerum nobiliorū & abditarum, commodum quod ex hac scientia habetur, quod tantū est quantū in usum eiusmodi ueniunt, gloriæ præsentis sensus, eiusdem etiam spes in posterum consequēdæ. Ipsius gloriæ utilitas apud posteros tuos. Præter ea quæ minora aut minus certà sunt, ut mens ipsa quæ in scriptis rediuiua manet, tū gloria quæ superest, ob quā solam multi licet absurdè mortē oppetiere. Et sensus à suprema hora, tum gloriæ tum sapientiæ relictæ apud nos, si quis sensus est inferis. Et honores atq; opes principumq; gratia, quæ solent plerunq; opinionem eruditionis consequi. Eodem adiutore dum à profitendi munere uacarem quasi ociosus, insigne illud ac lōgum iter peregi, quo tot inuisi prouincias et sine quo, ut uerè dicam, penè nullus eram. Ergo ocium præstantibus ingenijs simile uidetur aquæ lacus Samosathensis, qui in comagene est prouincia, quam referunt inspersam flammam accendere: ita ocium in una arte hominem ad nobilioris aut utilioris disciplinæ, uel negociationis exercitationem accendit. O quam sæpe accidit ut omissa oc

tibi emendicare,ut ita dicã,clientes,aut quasi tyro præcario artem exercere turpe sit: cogatur tamẽ ob inopiam,ob fortunã parto uiuere,quomodo tã pernitioso ocio occurrendũ erit?nẽ quicquam intentatũ relinquerẽ,hoc iã proposui. Quid ergo aget? occasio præceps est,exigua etiam lucra indecora nec sufficient. Diu expectandũ est,quod morã nõ patitur. Ego sanè si ibi nil habeã constitutũ, in ditiorẽ urbem & magis populosam me conferam.Sed fac ut nõ poßim,quid agendũ in quis?oportet è tuis summittere, qui in uno genere te plurimum posse affirmẽt: Velut si medicus sis in curatione hydropis aut tabis: si arithmeticus, artem magnam te scire optimè ac docere posse euulgent: Si chirurgus, in sinuosis ulceribus aut ani: si tonsor in purgandis aut confirmandis dentibus, aut fuco illustri conficiendo: aut manibus mollibus reddendis teipsum extollant, ac singularem experientiam prædicent: namque quod una in re excellere te dicant facilè persuadebunt, & quod uni illi incumbas, consentaneum est, ut credant etiam te esse expertißimum: nec inuidiam mouebis quæ principijs maximè aduersatur. Ex hac una ad plures sensim transibis, artibus ijsdem quibus dixi munitus ac rationibus. Oportet autem illos tentare qui cum pluribus uersantur: ut proxenetas, tonsores, eósque qui affinitatibus multis fulti sunt, quique nugaces sunt. Verum in ocio uiuere modo liceat, per inopiam, ma-

gnum certè commodum est, ac ut dicebat Seneca: quando quidem uita tota nauigauerimus in tempestuoso mari, liceat saltem cum morimur esse nobis in portu, neq; ulli dubium esse debet, quin moriturus non æquiore animo mortem laturus sit, si ex ocio emigret, quam si ex aßiduis artis negocijs: sua etiam melius ordinabit ac cõstituet. Si etiam inuideas alijs quod neque illis utile est, nec tibi futurum salutare, maxima stultitia est. Forsan hoc te latet, quod omnis negotiationis finis est ocium, belli quidem pax, itineris accessus ad locum & ingressus, litis uictoria, studiorum scientia, ut etiam huius uitæ mors. atque hæc est Aristotelis sententia. Quis ergo tam amens est ut uelit negotiationem in infinitum protrahere? Ergo quãto celerius ad finem peruenerimus, tanto nobis melius erit. Verũ iam de infamia agamus.

DE INFAMIA.



Mnis infamia honori ac laudi opponitur. Quocirca eos qui infames habẽtur, laude & honore indignos existimamus. Est autem duplex, alia quæ à legibus inuritur, cum uel grauibus pœnis subijciuntur licet euadant: aut qui postmodum liberantur principum uenia ac gratia, aut qui solum infames iudicantur tametsi pœna nulla adijciatur. Qui ergo capite damnati nõ sunt, in potestate infames fiunt, & qui in triremib. aut in insulas relegati, & qui tabelliones eo munere priuãtur.

Erat

Erat olim censorum hæc potestas. Alij uulgij uoce infames appellantur, quòd perinde est ac si quis à coruo infamis nominetur. Ergo hæc calamitas neq; munera, neque honores publicos aufert aut eis nos priuat. obest tamẽ trib. modis: primũ quid in hos permißũ est iudicib. seuerius inquirere, si ex eo crimine quo infamia laborant, accusentur. Secundũ quod multi ab illorũ cõsuetudine absterrẽtur, malũtq; se tutos esse quam experiri. Tertium quod omnis infamia urit hominem, nam si iusta, periculum est ne æmulatione, odio inimicorũ, aut casu ad iudicum tribunal deferatur: si iniusta, quid crudelius, quid miserius haberi pro improbo cum probus sis? Verum ubi habites quod sæpe dixi, considerare debes. Nam plurimum refert ubi uiuas, et ut uulgi clamoribus infameris. Cum enim rectè uixeris ibi habitandũ est, ubi existimatio hominum in iudicum solum sit potestate. nã præterquã quod existimatio tua his uocibus lædatur, simul etiam uirtus & eruditio præmuntur, obfuscantur & obtunduntur, scelesti & peßimi quique & imperiti euehuntur. Hoc hominum genus Socratẽ & Aristotelem perdidit. Veneficis ac latronibus longè pernitiosius. nam hi proprijs solum dolis, insidijs ac uiribus innituntur: illi quorumcunque & magistratuũ, ut quos proprijs uiribus obruere posse diffidunt, alienis & titulo etiam sub iustitiæ specioso opprimant. Nullibi magis uixit hic mos quam Athenis, qui eam urbem ex florentißima reddidit calamitosißimam. Vbi

li. 3. Pã. l. 1. De his qui infamia notantur.

enim uidet & bonos euerti, & malos dominari, & infanda omnia atq; iniusta perpetrari, et seditionibus urbem agitari necesse est. Quòd si iam mali dominentur, nulla quidem seditio oritur, sed oppreßis imbecillioribus in alienorum seruitutem omnes decidunt: ut Lacedæmoniorũ sub triginta tyrannis Athenienses. Ergo miserrimũ est homini populari infamia obrui, in qua non habes de quo conqueraris, quem accuses, quod crimen aut cuius criminis suspitionem deuites, cui irascaris, de quo ultionẽ sumas: quod si oblucteris, ubi te sentiant torqueri, audacius insurgunt ut cruciatu & dolore te perimãt. Quicunq; te oderit, ob irã, ob iniuriã, qui bonus esse potest, ab eo sperare licet remißionẽ ultionis: at qui te ob uirtutem, ob sapientiã lædit, non est ut speres quòd tui misereatur. Inoleuit consuetudo, ut bonos stultos existiment, sapientes solum uiros insignis improbitatis: dico inuidos, fures, insidiatores, crudeles, modo cautè & saluis legibus cuncta fiant. Quod si ulcisci coneris, subiaces magistratui: sed quod maius est Deum offendis, quæ offensa multis uitæ spatijs, multis imperijs pensari non potest, uno etiam aut duobus intercmpto, quid actũ? si occulte? nihil egisti mille super sunt: si aptè, ut alios deterreas? pœnas das legibus.

Rom. 12. *Christiano uiro hæc facilia? Paulum cõsule. Integrã institutionem seruare oportet, non in diuersis uitæ generibus uersari, qui felix esse uelit. Si existimas (omissis modo frigidis ratiunculis philosophorum) animum*

superesse,

superesse, nihil durum pati, si non existimas: non est cur, ut inuidiã moueas, uitæ alieno genere uelis uti. nã ex hoc inuidia, ex inuidia cõflatur infamia, seducta ab æmulis plebe. Cur enim alij qui teipso beatiores sunt opibus, autoritate atque alijs fortunæ bonis, infamia non laborant? Ergo quod tu labores tuum crimen est. Inanem quæris ambitionem, ideo conflas tibi inuidiam. Si sancte uiuere uis, non prohibeo dicunt æmuli, sed hoc non ostenta, præbe uitæ speciem similem nostræ, ut uis tuo more uiue. Ergo querela iniusta est. Ergo si iam te oppresserit, causas infamiæ dilue amicorum testimonio, ostende cur erumpant, cur conficta sint facile est peruincere, si unius generis imperitum te esse aiunt: disputa in foro, persinendum? negotio alicui publico cura ut præficiaris, insolentem? exhibe te humilem. Sed si stultum appellent in iudicium uoca: nam hoc infamiæ genus adeò incerti generis est atque perniciosum ut hominem euertat, nec possit conuinci. Si igitur magistratus ulciscatur, liberaris metu ab infamia, si non curat? alio te confer, ubi occasio superuenerit. Difficilis est ille cruciatus qui nunquam hominem deserit. Simulq; Aeneæ exemplo deos tecũ auehe. Sed iã ad principale propositum reuertamur: Primum quidem ultiones plurimas uidebis. atq; eas cum uoluptate spectare licebit. namq; scriptũ est: Beati qui esuriũt iustitiã. quoniã ipsi saturabuntur. Licet odisse malos & improbos nõ

inimicos: at animici boni esse possunt, qui sine causa de te maledicunt improbi sunt. iustè ergo hoc inimicorũ genus odisse potes, quare etiam de illorum incommodis & calamitatibus gaudere. At quòd calamitates sint perpessuri necessario, ne dubites tribus ex causis: prima quod natura mortalium eiusmodi est ut semper sit obnoxia multis aduersis casibus, qui quanto serius adueniunt, eo postmodum sunt atrociores. Secunda quod iniurij cum sint, & in ciuitate malè ob id instituta, necesse est ut multa mala succedant. Tertia quod Deus ul

Pro- *tor nõ deest: Inquit enim Salomon: Aquæ unda animus*

uer.12. *regis est, in manu Dei eum quocunque libet inclinat. Sunt etiam iniqua iudicia Iurisconsultorum, errore medicorum, doli pharmacopolarum, bella, pestes ac innumera alia mala. Fac modo ut iustè dicere poßis illud*

cap.6. *Micheæ: Populus meus quid tibi feci? Ego pro te depugnaui, multorum subij odia, pluribus periculis me exposui, damna magna accepi, tu uerò has mihi gratias reddis. Verũ, ut dixi, duplici emolumẽto in hoc frueris; et quod de quib. dolebas quod opprimerẽtur, gaudebis tãquã iam improbis & tibi meritò inuisis: & quòd his quos oderis iam mala superuenire uideas. Nec metue ne fallaris, aut exiguam morã iniquo animo feras. nã uelut murus ex lapidibus absque cemento consistere nequit: ita nec diu ciuitas absque bonis & eruditis eorumq; defensoribus. Ergo iusta infamia uera magistra uitæ nostræ est, iniusta dolor calamitatum alio-*

rum, ut

rum, utpote improborum & propriarum. quoniã cor obtundit & in aduersum flectit, aufert, aut magna ex parte minuit. Erit etiam tibi liberum, uelut in captiui urbibus hostilibus sæuire iustius, multare pecunia, exigere sine respectu, modo nihil dolosè: omnia liberius agere licet in tui commodum, illius autem incommodum. Quarta utilitas est, ut cum falsa infamia premeris, efficies ut uera de te crimina minus habeant fidei apud sapientes, atque principes & magistratus. Quinta ut sæpe dum lacerant te euehant. Dum mediolani senex quidam me inuisum haberet, diceretq́; inutilem arti medicæ, collaudabat me Præsidi Senatus sacco tanquam ad profitendum aptiorem. Eam uocem ita ille excepit ut qui sciret ab æmulo proficisci, ut ei muneri me præficeret, quod mihi utilius fuit: dum ocium maius nactus sum, & in arte existimationem auxi. Infamiæ igitur tot sunt commoda atque etiam alia, ut tibi caueas diligentius, ut pluribus sis cognitus, ut deprehenso fuco celerius emergas. Solum illam metuere oportet quæ ad crimina maxima pertinet, uelut læsæ maiestatis, hæresisq́;. Vix enim ab illa quantumuis innocens euadere licet, quare in eiusmodi nec contemnere initium nec differre oportet, sed statim delatores ipsos accusare expedit. At quoniam infamia ab inuidia oritur, si iniusta sit & ex calumniæ genere. ideò de inuidia dicendum est.

DE INVIDIA.



Ria ſunt, dicit Seneca, quæ hominem deuitare ſummo ſtudio decet, odium, contemptus & inuidia. Eodem fermè tendũt hæc omnia, ut hominem ſcilicet euertãt. Sed contẽptus rem peractã potius oſtendit, odiũ & inuidia mali cauſam, ſeu iacturæ atq; malorũ noſtrorũ. Sed ſi inuidia non obſit, aut inuidus ignauus ſit, uel impotens, aut ſtultus, aut timidus: tam inuidus quam inuidia, magno ſi qua res alia nobis ſunt emolumento. Cum enim inuidus cuncta quaſi perſpicilijs uideat, æſtimetq; aliena bona pluris longè quam ſint, nullius opinione beatior aut potentior eſt homo quam inuidorum iudicio & exiſtimatione. Eſt autem ut Plutarchus inquit, inuidia odio perſimilis: & in hoc conueniunt quod utraq; beneuolentiæ aduerſatur, ac de felicitate commodiſq; alienis dolet. Differunt quoniã inuidia eſt omniũ & ob felicitatẽ: odium aũt quorundam hominũ ſolũ, & quoniam ſimpliciter illum malũ eſſe exiſtimat, aut ſibi ſaltem malum. uerſa rurſus ratione odium in omnibus animalibus inuenitur ex offenſa: inuidia autem in ſolo homine atq; canibus. Inuidia etiam ſine cauſa eſt, odium aũt cum cauſa. Inuidia etiam affectus eſt minor odio, nam inuidia eſt eius ſolũ quod excellit quatenus excellit: quamobrem cupit ſolum inuidus, ut homo cui inuidetur, ad mediocritatem reducatur, nõ illius interitum

ritum.neq; ob id miseris aut principib. inuidemus, sed his quidē ob excellentiā nimiā nō audemus cōparare nos, illos aūt negligimus ac potius eorum miseremur, quā ut eis inuideamus, quoniā nō excellunt. Et ob id etiam fratrib. atq; cōiunctis inuidemus, nō tamē illos odio prosequimur. Odiū quoq; interitū cupit, & quāto magis qui odio habetur, uirtute aut fortuna augetur ac grandescit, eo magis odiū confirmatur & uiget: inuidia autem, ut dixi, interitū nō optat. Odiū etiā in quos cunq; dirigi potest si ab his offendamur, inuidia aūt solum in cognitos: cessat uerò alijs ex causis quā inuidia, scilicet, uel si melior illo euadat, uel si intelligat te ab illo nullā passū fuisse offensam, uel ob beneficia in te collata. Inuidia uerò tantum abest ut ab his sedetur ac extinguatur, ut etiam ab opinione quod probus sit, & à beneficijs irritetur. Inuidia præterea semper est cum uitio, odium autem sine illo esse potest. nam malos odisse ad uirtutem potius quam ad uitium pertinet. Propterea Chariclem Lycurgi filium Spartæ principem pleriq; ut Plutarchus refert uituperabant, quòd malos odio non ut par erat prosequeretur. Ideo se odio aliquos prosequi omnes homines fatentur, tanquam rem minimè turpē: at inuidere alicui nemo uult fateri: quoniam ipsa re crimem detegitur. Est inuidia animi uitiū, & inuidere peccatū atq; flagitiū: inuidia etiā cū iniuria in hos conuenit, quòd utræq; malè afficiunt hominē. Etenim inuidia autorē suum discrutiat

& urit

& urit, non alios ullos, unde illud:

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Itaque & qui inuidet & qui iniurius est malè afficiuntur. Pari ratione cui inuidetur & qui patitur iniuriam, calamitatem non leuem perpetiuntur: hic quod durißimum est ferre cogitur, ille tot habet inimicos quot inuidos. Inuidia etiam est iniuriæ quoddam initium & quasi semen, ita ut sit iniuria imperfecta, iniuria uerò effectus & finis inuidiæ. Ob id etiam qui iniuriam inferunt & qui recipiunt, ob inuidiam inferunt atq; recipiunt. namque qui damnum aut dedecus alia ratione recipit aut infert, ut propter odium aut irã nõ iniuriam recepisse aut intulisse dici debet, sed ultionem potius. Aliter etiam hæc inter se ac quasi contrario modo conueniunt, uelut si eum qui inuidet, ei qui iniuriã patitur comparemus, uterq; enim dolore afficitur: ut qui infert iniuriam, et cui inuidetur is præstantior esse uidetur. Licet ergo inuidia causa sit iniuriæ, inuidia tamen est calamitas & flagitium: iniuria autem solum flagitium in eo qui eam infert. Inuideri uerò nec calamitas nec flagitium: iniuriam accipere calamitas est non flagitium. Ex quatuor igitur his unum sub utroque collocatur scilicet inuidere, unum sub neutro scilicet inuideri: duorum reliquorum singulum sub singulo. ut in tabula exposuimus. Ergo cum sermo sit de calamitatibus, non autem de flagitijs institutus;

De his

de his qui inuident dicẽ- | Inuidere : Cal. & Flag.
dum non est: quoniam ut | Inuideri : Nec cal. nec Flag.
ab initio diximus flagi- | Iniur. Inf. Flag.
tium admittunt & pec- | Iniur. Acci. Calam.

cant, similiter nec de his qui iniuriam inferunt: reliquũ est ergo ut de illis solum agamus, quibus inuidetur uel qui iniuriã patiũtur. Attamen nõ abs re fuerit, eorum qui inuident damna & effigiem ab Ouidio pulchre depictam hic ob affinitatem nominis describere. sunt autem huiusmodi carmina:

—— Domus est imis in uallibus antri
Abdita, sole carens, non ulli peruia uento:
Tristis & ignaui plenißima frigoris, & quæ
Igne uacet semper, caligine semper abundet.

Inde paulopost mores depingit:

Surgit humo pigrè, semesarumq; reliquit
Corpora serpentum, passuq; incedit inerti,
Vtq; deam uidit, formaq;, armisq; decoram
Ingemuit: uultumq; deæ ad suspiria duxit.

Demum etiam calamitatis eorum meminit:

Sic lethalis hyems paulatim in pectora uenit
Vitalesq; uias & respiramina clausit.
Nec conata loqui est, nec sic conata fuisset
Vocis habebat iter, saxum iam colla tenebat,
Oraq; duruerant, signum exangue sedebat.
Nec lapis albus erat sua mens infecerat illum.

Est etiam inuidendi genus duplex: aut ut aliena bona inui-

na bona inuideas, aut ut mala illis optes. Prius certè minus malum est, sibi quidem desyderare atq; concupiscere bona: atque proximum id est ut iam non sit flagitium, sed sola calamitas, quia tamen in uitio animi reposita est, de illa pertractare præsentis non est propositi. Veruntamen cum bonum illud quod alij inuidemus, honestum fuerit & cum uirtute coniunctum, uocatur æmulatio. De illa igitur dicere operæ pretium fuerit.

Hoc sanè uirtutis quoddam genus & stimulus ad egregia facta, quam ut dixi, litterarij ludimagistri ad exercendos, erudiendos, euehendosq; pueros animis illorum adhuc purioribus insculpere debent, non in illis depingere. Dicere solebat Themistocles, Miltiadis trophæa illum excitare. Et uerè ad summam pro patria uirtutem & gloria surrexit. Cæsar narrat de duobus tribunis exemplum admiratione dignum, quorum uterq; alteri causa salutis fuit. Est autem æmulatio triplex: aut eiusdem uirtutis, aut eiusdem honesti, ut opum, gloriæ, potentiæ, autoritatis: aut diuersorum, uelut apud Salustium in comparatione Catonis & Cæsaris. Erat enim in diuerso genere, sed utraq; clarißima.
„ Vtar autem ipsius uerbis. Memoria mea ingenti uir-
„ tute diuersis moribus fuere duo uiri, C. Cæsar & M. Ca
„ to, quos quoniam res obtulit, silentio præterire non
„ fuit consilium, quin utriusq; naturā et mores quantum
„ ingenio possem aperirem. Igitur his genus, ætas, elo-

quentia,

quentia, propè æqualia fuere, magnitudo animi, par item gloria, sed alia alij. Cæsar beneficijs & munificentia magnus habebatur. Integritate uitæ Cato: Ille, mansuetudine & misericordia clarus factus est, huic seueritas dignitatem addiderat. Cæsar dando, subleuando, ignoscendo. Cato nihil largiendo gloriam adeptus est. In altero miseris profugium erat, in altero malis pernicies: illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo Cæsar in animum induxerat, laborare, uigilare, negocijs amicorum intentus, sua negligere, nihil denegare quod dono dignum esset, sibi magnum imperium, exercitum, nouum bellum exoptabat, ubi uirtus enitescere posset. At Catoni studium modestiæ, decoris, sed maximè seueritatis erat. Non diuitijs cum diuite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo uirtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia, certabat. Esse quam uideri bonus malebat: Itaque quo minus petebat gloriam, eo magis assequebatur. Hoc igitur est æmulationis in diuerso genere certum exemplum.

Est & alius animi affectus similis inuidiæ, & ex eodem genere fermè, sed iustius quod indignatio uocatur. cum indignos præter merita euehi uel fortunari uidemus: quod cum citra animi uitium accidat & tamen torqueat, ut de illo agamus occasio ipsa nos admonet. Communicat inuidiæ. quoniam inuidus etiã de bonis ac dignis angitur, si quid cõtingat illis pro meritis.

Vnde

Vnde indignatio & inuidia homines ad studia rerum magnarum accendunt. Tria enim hæc, æmulatio inuidia & indignatio nisi desidiæ iungantur, stimuli sunt ad uirtutes & magna opera, nec ob id pueri ab inuidia arcendi sunt, nisi fuerint ignaui. Est enim calcar ad magna opera. Et inuidia si coerceatur & temperetur, facile transit in æmulationem uel indignationem. Ideò cum duas uirtutes proximas habeat, non debet inuidia inter uitia aut mala numerari. Ferunt Aristotelem indignatione Xenocratis Academiã erexisse, profiteriq; cæpisse: adijcientem etiam, turpe esse Xenocratem loqui & ipsum silere. Sed si indigni tibi præferantur, spes est facile te locum recuperaturum: imò nec existimabitur illum prælatum fuisse sed euersum iudiciũ. Ideò hoc non malum est. Si etiam indignus præfertur, & non cum alijs conspiret facile euertetur: si autem cum alijs indignis conspiret, bonorum & præstantium uirorum causa periclitetur. Si uerò cum dignis, illi nõ uidebuntur digni. Itaque indignum præferri longè minus malum est quam dignum. Quinetiam si quando occasio tulerit, ut ad eum locum peruenias, indignum superasse facile fuerit: dignum autem difficilius. Ergo ut inuideri uoluptas est & res utilis ac gloriosa, & ad augendam existimationem necessaria: ita inuidere & indignari causa est ut ad maiores honores, ac statum digniorem perueniamus. Ferunt Themistoclem cum iuuenis esset dixisse, se coniectari quod nihil splendidũ fecisset.

sciisset. quoniam inuidos nõ haberet. Ergo & inuideri & inuidere si quis occasione uti norit, utile est atq; bonum. sed inuideri præsens est, inuidere autem in futurũ extenditur. Sed & inuidia cũ species sit inimiciæ, cautiorem reddit. Inuidus enim si potest deprimit non occidit: quoniam propositum est solum ut illum superet & ei supermineat, & quoniam minus est periculosum quam occidere, tum etiam minus mali exempli: & quod illius actio sit hominibus magis nota; sed si hoc non speret, pernitiem molitur. Porrò cum quatuor sint rationes quibus hominum iudicia & æstimatio moderãtur: Res, Opinio, Ratio, & Nececeßitas, uidetur opinio plus posse in hominibus. Quæ enim magni estimãtur ut filij, multi omnino negligunt: putãtq; affines omnes modo boni sint eò posse reponi. Diuitias plerique maiores esse putant, nec res credunt aliquid esse, nisi ut ab hominibus in precio habentur. Ratio uincere deberet: neceßitas superior est. Alia ergo negligere licet tanquam parua aut incerta, aut dubij euentus: quædã quia opinione alijs minora sunt: nonnulla quoniam rationi paremus, omnia neceßitatis et sortis humanæ memores. Quamobrem qui inuidia uel iniuria torquentur, soli opinioni succumbunt. Exigua enim mortalium bona: huiusmodi autem perquam minima mala.

DE INIVRIA.



Niuria ergo est iniusta offensa sponte illata: nec quicquam est quod magis mortalium genus moueat. Ob id scire expedit, à quibus iniuriam quis pati potest, & qui pati poßint? & in quibus? ac ex quibus? & an ulcisci bonum sit? & quomodo euitanda? et quæ bona ab illa decerpere liceat? nec non quomodo iniuriæ satisfieri poßit. Non patimur certè à dijs iniuriam: absurdum enim cum illi sint optimi atque iustißimi, & nostri prorsus domini. Etenim dij nostrũ sunt domini nõ ut reges. regũ enim dominatio tyrãnica est, nam nobis dominantur solũ ex cõmuni consensu aut etiã ui. quare si quippiam abstulerint, non auferũt quòd suũ sit, atq; ob id iniuriam inferre possunt si iniustè atq; scientes, et ut iniuriam faciãt abstulerint: neq; enim reges nobis uitã aut formã, aut corpus aut incolumitatem dedere, nec filios etiã nec scientiã. Forsan fortunarũ domini esse uel dici possunt, quoniã etsi nõ dederint dare poßũt. At dij cum omnia hæc dederint, si sustulerint, nõ iniustè dici poßũt id egisse, neq; multo minus iniuriã intulisse. non ergo à dijs propter has omnes causas iniuriam pati iure unquam dicere possumus. Sed neq; qui nesciũt quid sit iniuria, iniuriã pati posunt, oportet enim eos scire quid sit iniuria: quoniã ille qui infert iniuriam, si debet inferre, eo animo oportet ut inferat, ut iniuriã faciat,

nobisq;

nobisq; eã accepisse intelligẽtibus: quo circa iniuriam neq; beluæ neq; infantes neq; insani recipere possunt. neq; enim quid sit iniuria tales norũt. Aliud aũt est iniustè agere, aliud iniuriã inferre: etenim & qui ui coactus tibi nocet, seu bona corporis, seu diuitias seu honorem auferat, aut etiamsi iniustè id agat, sed iustè agere se existimet, uel etiam iustè si id agat uel omnino etiam si iniustè sciensq;, sed non ut iniuriam inferat, sed quia putet te latere, uel ob lucri cupiditatem his omnibus modis damna inferet, iniuriam non inferet. quanquam in plerisque etiam iniustè id agat. Contingit etiam ob id iniuriam inferendo iustè agere. Vt si contingat quod idem iustum sit & tibi iniustum uideri possit, ob inimicitias uel ob certas causas. Id fit cum iudices auidè damnare aliquem uidentur. Atque adeò ut etiam si contingat, iniustè sint damnaturi. Eò spectat si alium quempiã iniustè absoluerint. Videntur enim damnaturi etiam si iniusta fuisset damnatio. Quòd si in simili casu iniustè absoluerit alium, iniuriam tibi illatam potes existimare. Aliud ergo iniustũ est, aliud iniuriam pati. Attque hoc deterius est quã primum. Cæterum si tu tanquam iniuriam factam existimas, iudicium seu iustum seu iniustum iniuria non est: at si ille putat se iniuriam intulisse, tu autem non accepisse quia animum non noris, aut iudicium iustum esse putas iniuria est: Sufficit enim ad hoc ut iniuria haberi debeatur, quòd animo eo intulerit ut obesset et tu intelligere posses. quanquã

neq; obfuerit neq; intellexerit. Et ob hoc, ut dixi, nec cani aut equo, aut puerulo iniuriam inferre licet, neq; enim intelligunt nec intelligere possunt: at uir si nõ intelligat intelligere potuit. Si ergo facere potuit ut intelligeret nec ausus est, aut neglexit iniuriam non intulit, nisi tu intellexeris. cum enim ut inferret intulit: tu uerò etiamsi mentem non declarauerit, intellexisti iniuriam intulit. Quòd etsi intulit quidem, nec tantum declarauit ut intelligeres, cæteri tamen iniuriam illatam esse intelligunt: iniuria est, quoniam quod alij intelligere potuerunt & tu intelligere potuisti. Idq; maximè si iniusta sit offensa. Ergo rectè censent Partenopei quod & Aristotelis est, qui elata manu quamuis procul ille absit censent iniuriam & colaphum illatum & acceptum. declarauit enim ille se nocere uelle atq; iniuriam inferre tibi sic, ut intelligeres iniuriæ inferendæ causa intulisse. Sed quid tu prius illi iniuriam intulisti? non potest sua iniuria appellari, quoniam tu iniuriam accipere non potes ab eo à quo promereris ultionem. ut enim iniuria sit, oportet ut tu si non iniustè, immeritò saltem accepisse dici poßis ab illo quem neque tu læseris. neq; illius coniunctum. Quare cum iniusta offensa ab illo dici nõ poßit qui infert, neq; etiã iniuria dici poterit. A regibus ergo atq; magistratibus, quoniam sub prætextu iniustitiæ multa illis facere licet, non tam facile est existimare iniuriam acceptam. Sed neque ab his quorum interest ut ius administretur. Cum ergo

nullam

nullam ob causam iniustè aliquid agitur quo læderis seu à periurato seu à magistratu, iam iniuriam te accepisse existimare potes. Eo autem magis si inimicus ille sit uel inimicis tuis coniunctus qui læsit. atq; hæc haud obscurè. Quòd si etiam cõiunctißimo tibi, ueluti filio, parenti, fratriúe, iniuriam iutulerint, tibi intulisse uidentur. licet non ut tibi inferrent id fecisse uideantur. Solum dubium est, cum illi offensam acceperint, non iniuriæ nomine neque iniustè: nam tunc iniuriam non uel inferre uidentur sed ultionem: uerum casu & ob neceßitatem, tunc enim ulcisci uelle an ad iniuriam pertineat dubium est: nam de excessu si paruus sit non pro iniuria censeri debet. Et similiter si ultio longè maior fuerit aut in alio genere: ut si honor uioletur pro pecunia sublata? Vt ergo minimè à dijs iniuriã patimur: ita à parentibus uix fieri potest ut iniuriã patiamur: primum quod ipsi nos ament: deinde quòd & si iniustè quicquã erga filios admittant: non tamen id agunt ut iniustè agant, sed ut prosint uel ad summum ut ulciscantur. Ob id etiam raro à filijs parentes iniuria afficiũtur. namq; & si iniustè agant ultionis causa aut iræ agunt. Dubitandum est ergo, an iratus iniuriam inferre poßit? Siquidem ubi ira cessauerit se in manus tradiderit eius quem offendit, sic ut declaret se omnino satisfacturum, iniuriam non intulit: nam amens iniuriã inferre non potest, quoniam actiones suæ iusti atq; iniusti participes non sunt. Iratus autem dum iratus est

amens est. est enim ira furor, ut dixi, temporaneus. Ergo iniuriam inferre non potest, nisi cum ab ira recusarit satisfacere, aut uerbotenus tantum satisfacere uult. Eadem ergo ratio in fratribus erit. Reges & magistratus iniuriæ suspitionem minus priuatis subeunt, quod iustitiæ uelo se obtegant. minus tamen reges quòd per alios id faciant, & quoniam inuidiæ non sint adeò obnoxij erga subditos: nec facile mediocri pecunia corrumpantur. Tametsi enim pecunia corruptus iudex non inferat iniuriam, tamen quia iniustus minister est eius qui iniuriam infert, iniurius dici potest. Nam si pecuniam accepit ut alij fundum adiudicaret, iniustus est non iniuriam infert. Qui enim pecuniam dedit non iniuriæ causa dedit, nec ut illi eriperet fundum, sed ut ipse haberet: non ergo iniuriam inferre meditatus est, sed auarus & iniustus dici meretur. Raro ergo iniuria circa pecuniam uersatur, sed circa corporis bona & honores, quæ qui aufert in se transferre nequit. Ob id ergo à latronibus iniuriam non recipimus. agunt enim lucri causa, nec quos lædunt agnoscunt. At uerò iniuriã hic nõ definio quemadmodũ Aristoteles, sed arctius, atq; ad propositum iniurij hominis contractam. Iniuriã ergo à priuatis magis accipimus, & magis ab his quib. benefecerimus. Et à parib. atq; paulo humiliorib. grauiorẽ: nã ab humillimæ sortis hominib. iniuriã nõ recipimus. quoniã ulcisci facile ac promptũ

est.

est. Nihil est quod in humanis cõmouere nos magis soleat iniuria. Labienus, ut ait in cõtrouersijs Seneca, cũ in alios nimia dicẽdi licẽtia uteretur, hoc passus est ut monumenta sua cõburi uideret: quo dolore perculsus, uiuũ se sepulchro maiorum iussit inferri. Hunc scripta sua magis quã patres filios diligere soleãt dilexisse constat, seu cupiditate gloriæ æstuãs seu iniuriæ dolore, seu ira aut omnib. his, incertum est. Nũc hoc nõ quæritur, sed Aristoteles Quinto de Repub. plures enumerat qui iniuriam passi ita sæuierũt in autores, ut salutis propriæ obliti uiderentur. Inter reliqua durissima legis nostræ præcepta est remissio iniuriarũ, cũ dicat: mihi condona iniuriã & ego retribuam. Itaq; de hoc nunc agendum est, tametsi multa in libris de Aeternitatis Arcanis de huiusmodi scripserimus. Non hic de diuinis præceptis disputare propositũ est. Quid. n. Christiano homini fortunatius euenire põt, quã ut ferat iniurias? Hoc enim salutare illi, et in quo animus cõquiescit. Unde etiã Paulus id suadet. Adiectæ etiã sunt in hoc cõsilio promissiões tãquã in difficillimo. Paulus. n. inquit carbones accẽsos super caput illius cõgeres, quasi, sauciæ tuæ mẽti hoc condonãs. Diuina uox retributiones pollicetur, hoc solo in præcepto homo humanã exuere naturam cogitur, ac conditionẽ sortis suæ superare. Sed quid diceres, si philosophus uir satis pulchrè hoc comprobaret ratiõe? Seneca quidẽ, Deus (inquit) nõ ulciscitur iniurias: aut ergo nõ põt aut nõ uult: si nõ uult, non

par est nos uelle. nam ille optima eligit, illum imitari decet. Est enim sapientißimus. Si non potest, ut qui lege æterna teneatur, cum sit felicißimus, iniuriam non ulcisci non oberit felicitati. Quorsum ergo ulcisci? Sed uerius dicet quispiam non ulciscitur, quia inferri non potest? nam ille beatus est nec quicquam ab illo auferre licet boni. non est ergo iniuria, sed iniuriæ meditatio. Quin etiam pauci admodum sunt, nisi prorsus insani, qui Deo iniuriam inferre meditētur, quorum certè maior pars aut omnes forsan pœnas dant. Grauior enim est ultio, dum animo pacato ac quasi obliterata iniuriæ memoria ultio superuenit. Vt enim si quis scabiem acrius scalpat dum pruritus sæuit parum dolet, si iam pruritu ceßāte multum afficitur: ita ultio sera semper grauior est ea quæ nobis dudum delinquentibus aduenit. Verùm etsi Deus ulciscatur quòd iniuria fiat ab ingratis, non tamen nos ulcisci decet, quibus gratia non debetur. Itaq; sicut Deo nihil affert commodi ea ultio si modo ulciscitur, nam statim ulcisceretur, ita nec homini ad felicitatem. Sed uelut sedato quodam furore ac pruritu homo sibi beatior uidetur, cū nihil habeat amplius, ita in iniuriarum dolore accidit: Quamobrem Cum Satyricus dixisset:

At uindicta bonum uita iucundius ipsa.

Satim subiungit:

Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulciq; senex uicinus Hymeto:

Qui

Qui partem acceptæ sæuæ inter uincla cicutæ
Accussatori nollet dare.

Itaq; constat etiam philosophorum sententia, quan quam durum uideatur, ultionem non esse utilem homini. Vltio ipsa doloris confeßionem exprimit. Etsi in debiliorem te dirigitur, parce illi: si in potētiorem te, parce tibi, dicebat Seneca. Quin etiam omnes hos ultores infelicißimos fuisse uides, nec stirpem suam superesse. Declarantur exempla maximè in Pelopis & Oedipi descendentibus. Pelops namque cum regnaret, tres reliquit filios Atreum, Polysthenem & Thyestem. Primus ergo cum regnaret Atreus, quia natu maior absensq; esset, Thyestes uxorē illius Meropen corrupit, potitusq; regno sustulit ex ea tres filios, Tantalum, Philistenem ac alium cuius nomen non memoratur, Pelopiamq; filiam. Atreo reuerso Thyestes in exilium perrexit cum filijs. Atreus dißimulata re, illum reuocat cum filijs tanquam regnum illi communicaturus, uxorem amplectitur. Atreus iugulatis filijs sanguinem cū uino bibendum tradit, et carnes in conuiuio apposuit, quo tempore Sol maximum deliquium passus est. Thyestes re cognita consulit Apollinem quonam pacto iniuriam posset ulcisci, consulit ille, ut cum Pelopia filia cō cumbat, ex qua sustulit Aegisthum. Interim Atreus filios Polysthenis iam mortuos multo ante in filios & regni succeßionem adoptat Agamemnonem Menelaūq;. Agamemnō præficitur exercitui Græco Troiam pro-

ficiſcenti ut nobilior atq; potentior: dum abeſt Aegiſtus cum Clytemneſtra uxore Agamemnonis concũbit: reuerſo ex Troia Agamemnone prætextu quòd cum captiua rem haberet, ex inſidijs illum occidunt. Electra Clytemneſtræ ex agamemnone filia Oreſtem nuper natum Strophilo Phocenſi Pyladis parenti educandum tradit: quod cum patefacere nollet, ab adulteris interficitur. acta ſunt hæc ſub fine primi anni quo Agamemnon à Troia reuerſus eſt, atque ob id procreatus & natus Oreſtes: hic ergo ubi adoleuit auxilio populi Mycenarum, mátrem cum adultero occidit regnúmque recuperauit. Verum ob paricidium inſanus factus eſt, tandem expiatus finem domui Pelopidarum ſine filijs moriens poſuit. Oedipus autem interfecto patre Laio, & ex matre genitis Etheocle & Polynice, cum alternis annis regnare deberent, quòd Oedipus regno ſe ob duplex ſcelus abdicaſſet atque etiam excæcaſſet, negauit primus Etheocles Polynici regni ſucceſsionem. Vnde cum Polynices in exilio Adraſti filiam duxiſſet, ſoceri & illius amicorum auxilio reuerſus eſt Thebas, ut urbe potiretur: cũ fruſtra uires hic inde abſumptæ eſſẽt, tandẽ conuenerũt inter ſe ut pugnarent fratres, & uictori urbs adiudicaretur. Mortui ſunt utriq;. Superfuit ſolũ ex ſtirpe Oedipi Theſſandrus Polynicis & Argiæ filius, qui in bello Troiano abſque ſobole iuuenis obijt. Hi ſunt fructus atque exitus ultionum. Sed

& tot

& tot aliorum Græcorum atque Romanorum Persarumq; qui tam ad ultiones prompti erant dũ uiuerent, ne uestigium quidem ullũ stirpis superest. Quid ergo Miloni Clodiũ, Cæsari & Octauio tot inimicos, Ciceroni Catilinã, Antonio Ciceronẽ perdidisse profuit? Omnia uanis stipulis aßimilãt. Est etiã ultionis cõtumeliosißimũ genus, dignum nõ esse uisum ex quo sumeretur ultio: ut Seneca ait. Ex aduerso tamen multa obijci solent, atq; in primis celebre illud Publij Mimi carmen: Veterem inferendo iniuriam, irritas nouam.

Quin etiã autor libri de Mundo, ut & hoc diuina autoritate fulciatur inquit: Deo ipsi comes adiũcta est ultio, quæ diuinarũ legũ uiolatores uindicat. Cuius sanè qui beatus fælixq; futurus est iã, inde à primis uitæ rudimẽtis particeps fuit. Sed quid clarius quã in 4. Ethicorũ: Qui nãq; nõ irascuntur pro quib. oportet, Et ut oportet & cũ oportet et quib. oportet, fatui sunt. nam neq; sentire neq; dolere uidentur. At qui non irascitur non est aptus ad ulciscendum: perferre autem contumelias & suos negligere, seruile est sanè. Exuperatio uerò per omnia quidem fit: Nam fit & in quibus non oportet, & pro quibus non oportet, & magis & uelocius, & longiore tempore quam oportet. Itaque ultionem esse necessariam ad felicitatem, ubi occasio detur circũscriptã his conditionib. quas Aristoteles definit haud dubiũ est. Scilicet ne personã pro persona mulctes: ut patrẽ pro filio, fratremúe delinquentis pro ipso delinquente,

delinquente: uel ob nimis leuem offensam, uel ut nimis excedas modum atque alia huiuscemodi. Itaque multis modis uidetur ultio in iniurijs cõuenire: primum cum egregijs factis ac uirtute ostendis te illa iniuria indignum. hoc autem semper licet. Secundum cum periculum est ne ferendo in contemptum deuenias, atque ita omnes ad inferendam iniuriam irrites. Tertium cum ille eo solo iniuriosus fuit, quòd potuisse tutò id facere sperauit. nam certum est illum in omnes bonos idem facturum, quamobrem ut pestem publicam & odisse & castigare licet. Quartum cum iniuria tuos attigit. nam ut aliena donare non licet propria licet, ita de iniurijs ac contumelia. Quintum, cum contumelia te contemptum reddit. reddit enim et tuos: quamobrem quod tui causa sublatum est, necesse est ut restituas. Sextum cum iniuria infertur sic ut prætextu criminis tui illata uideatur, nam præter iniuriam sontem te facit: quilibet autem tenetur se à suspitione criminis liberare. Septimum, cum iniuria à iudice proficiscitur. iniustus enim iudex pro proditore habendus est. His ergo in causis ulcisci iniuriam necesse est. Tum uerò magis si ille in contumeliã inferendo perseueret. Illud tamen præ oculis habẽdum in magnis ulciscẽdis iniurijs, prius ut cursum incrementi honorum tuorum decurras, etiamsi multis annis expectandum sit.

Sed numquid inter iniuriæ acceptæ & ultionis tempus iniuriam dißimulare conuenit. hic sanè distinguendum est.

dum est. Siquidem ulcisci decreuisti, bonum est dißimulare, ut incautos opprimas: quod uerò ex existimatione decessit, interim in ipsa ultione plenius restituitur: & quod insperata ultio nobilior est, & quod prudentiæ nomen assequeris. Sed si non speras ultionem quoniam cum potentiore multo res est, memēto illius Phocionis ad filium, cum per iniuriā dānatus esset ad mortem, inquit enim: Fili noli omnino obliuisci horū nec nimium recordari, nam in uno sciebat animum declarari seruilem, in altero non leue imminere periculum. nam qui inferunt iniuriam non minus oderunt eos quibus intulerūt, quam qui intulerūt eos qui acceperint, quoniam meritò se odio haberi intelligunt. Par est autem odisse inimicos. at cum potentibus inimicitias graues gerere periculosum est, cum uel necessarium sit ut uel populus te intelligat contemni, atque ita etiam ab illis qui è populo sunt contemneris, aut, ut qui læserūt, intelligant se nō esse à te tutos. Omnes autem homines in tuto uiuere desyderant. Quamobrem in his seruandus modus: sed si abesse poßis & te à dedecore & illos à suspitione liberas. Si nō potes, saltem ab urbe illa discede: nam durū est quotidie occurrere inimicis. Non adibis, non salutabis, deuitabis occursum, non maledices, imò nec prorsus de illis loqueris: ita existimationē retinebis, nec in te uulnus, nec illis suspitionem augebis. Sed si quid ante iniuriam acceptam nō eo nomine pollicitus es, præstabis absq; insinuatione. plus enim

enim debes fidei quam iniuriæ. non enim illos sed teipsum iniuria, fidē fallendo, afficeres. Iam uerò sermones illi Platonis de ultione negligēda à Socrate introducti loco & tempori & personæ & professioni accommodati sunt. nam ad quid laudasse conueniebat ultionem cū esset in carcere senex contra ciuitatem, perendie cū serius periturus atq; uir innocens, et tàm probatæ uitæ ac super uitā ciuilē constitutus, de diuinis semper meditās? Propterea secus in legib. loquitur, optatq; nō offerri causam necessitatis ultionis in qua si peragas non sanaris: si nō peragas unus pro multis, id est, pro Repub. perit. Etenim bono Reip. est nō esse in usu ultionē. Aristoteles uerò in Ethicis cōsuluit quid cuiq; esset optimū & honestum. Vtrū uerò de Regibus ac magistratib. iniuria accepta grauissima ultio sumenda sit? Antiquo tēpore ut dabatur occasio de omnib. sumebant ultionē. Et nunc etiā in Italia et apud Scotos plurimi principes suos occiderunt. An tamen liceat sic est consyderandū. Propter priuatā quidem iniuriam, cū non prospicitur securitati sui nec suorum, minimè licet: nam qui principum occidit Rempub. imò plures excindit Respub. at non par est tot insontes ob unius necem quamuis iniustam plecti. At boni publici causa ut caueant principes ab iniurijs olim obseruabatur, ut etiā tyrannicidis premia proposita essent. Verùm quoniā plures & maiore detrimento occiderentur quā par esset, non licere uidetur. In omnib. enim decretis circa leges ac mores, quan

doquidem

doquidē nihil semper optimū esse potest, cauere oportet ab his quæ deteriora sunt ac periculosiora. Est etiā alia causa, quod boni principes indigni omnino sunt nece: mali aūt sunt diuinæ ultionis ministri. quãobrem nullo modo uiolandū est Regis caput. At magistratuū alia ratio est, nã legib. et iudicio principū subijciūtur: ob id exigere licet quod iustū est, si illi certã iniuriã intulerint. Quomodo uerò deuitãda iniuria sit, nã hoc est optimū in hoc genere: quãdoquidē, ut dictū est, ubi acceperis æquè malū fermè tã sit ulcisci quã ferre, nūc dicēdū est. Atq; in seipso facilius est, sed ob filios, parentes, fratres & famulos: horū enim iniuriã ad nos pertinere putãt, difficile est. Videamus ex quib. iniuria producatur, in alijs quidē præcipuè ob ambitionē, irã immensam, auaritiã et improbitatē atq; consuetudinē. Ex te cū iniustus fueris in alios, aut maledicus, irrisor, contemptus, aut pertinax. Ex urbis legibus ubi plus potentia ualet quã probitas, opes quã ius et æquū possūt. Ergo & in urbibus bene cōstitutis, & sub iustis magistratib. (sunt enim actus legū) habitare decet. Et comitatū ducere secū ex uiris qui autoritate apud ciues præstēt, et uitare hoīes, ut diximus, petulãtes & iracūdos: ob id à iuuenib. maximè qui paulo adolescētiã excesserint cauēdū est. Nihil agas quod à cōsuetudine generali hoīm loci et incolarū discrepet, ne sis iactator, cōtentiosus: si quid præter cōsuetudinē agere cogeris, clanculū et inter nos age. Solitudo his qui minus possūt, et ubi solutis

legibus ui-

uiuitur, proxima est societati. Imitare Iudæos qui despe-ĉti ab omnibus, quantum licet iniurias deuitat. Cum cõtemneris non tam labor est in deuitando proprias iniurias quã tuorũ. Ob id eos in maxima obediẽtia et metu cõtinere oportet. Animaduertere etiam decet, quòd cũ omnium rerum sint quædam semina antequam prodeant, idem etiam de iniuria statuere oportet. Quare prima irritamenta succidere bonum est, uel tacendo, uel cõmutando sermonem, uel abeundo: idq; facere decet, cum nondum iniuriã accipere uel inferre cogeris. horum enim utrumque malum, atq; adeò malum iniuriam inferre, ut Aristoteles in quinto Ethicorum deterius existimet esse quam accipere: nam qui infert flagitium admittit, qui accipit culpa caret. Attamẽ quoniã plerũq; cum accepta iniuria etiam damnum recipitur atque cõtemptus, ob hoc homines malunt iniuriam inferre quam accipere. Cum ergo Initio nullum iam sit detrimentum nec expressus contemptus, utile fuerit iniuriæ causas statim præcidisse. Intelligitur autem facile iniuriæ origo tum ex natura hominis, ex odio uel inuidia, ex admiratione astantium: nam cum ad risum iã peruentum est, iniuriam iam tibi illatam esse existima. Definiendum est igitur quod deterius ac periculosius sit inferre iniuriã quam accipere: turpius uerò & damnosius accipere quam inferre. Vtrum uerò simpliciter deterius sit inferre iniuriam quam accipere? Mihi sanè non uidetur rectum, ut simpliciter rem definiamus, sed

distinguamus?

distinguamus, nam si inter æquales res est, aut etiam minor maiori iniuriam inferat, deterius est iniuriã inferre quam pati, tum quia qui infert flagitium admittit, & in timore est: timor autem affectionum animi, ut iã diximus, maxima est: at si iniuria à potentiore proficiscatur, ita ut à timore poßit esse liber, deterius afficitur qui iniuriam patitur: non solum quòd qui infert à timore immunis sit, sed etiam quòd ob potentiam & quia mala ipsa non sentit nec experitur quæ qui patitur magna existimat, qui infert exigua esse credit. quare etiam parum afficitur. Cauendum est etiam ab his omnibus quæ contemptum præ se ferunt, cuiusmodi sunt risus is quem uocant irrisionem, dißimulatio qua Socrates & Scipio Aemilianus utebantur, nã tametsi uenustè hoc sermonis genere uterentur, quòd ad opes parandas non dirigeretur, nihilo secius multos illis hoc inane studium ambitionis inimicos comparauit. Nunc sublata est ex uitio uitiosa res: namq; cum plerique sermones ad lucrum dirigantur, dißimulatione in loquendo non opus est. Comparant & odium, & ad iniuriam præparant scõmata & ueri nimis exquisita seu indagatio seu expreßio. Si uerò iniuriam inter eũdum ab ignoto fermè acceperis, si sine teste negligere potes, Memento exempli Diogenis cum colapho percussus est, si corã testibus dißimulare uerba potes, & facile ulcisci. Vtilitates autem quæ ex iniuria accipiuntur proximæ sunt his quæ ex contemptu & infamia: nam iniu-

riam nocere ob id maximè diximus, quod hominem cõtemptui exponat et iacturam inferat, docuimus etiã ex agnatis sumendã utilitatẽ. Vt ergo aspersus aqua ignis ualidus uehementius insurgit, ita ægregius uir ex iniuria accepta nobilior exurgit : colligit semetipsum uiresq; suas, amicos, adulatores & infidos amicos quorum pondere atq; consuetudine grauabatur reijcit, maiora mollitur: dum sarcire contemptum & damnum parat sæpius plus reparat quã amiserit, industriã, prudentiam, patientiam, constantiam animi atq; uigorem ostẽdit. Duobus Nicolais Siccis nihil plus profuit iniuria à potentiore fœmina accepta. Cum me Xenodochij præfecti olim lucello septem coronatorum in singulos annos priuassent, effecerunt ut intercessione Francisci Strondati uiri illustris & Francisci ac Lucæ crucei fratrum quorum alter Iurisconsultus, alter medicus in collegiũ medicorũ, cum aliàs causa illa sæpius iugulata esset reciperet. Licebit uerò tibi eius qui iniuriam intulit etiam inimicos adiungere. Sed quia hæc eadem referentur ubi de utilitate capienda ab inimicis tractabitur, ideò ad eam recurrere licebit. Nunc peculiaria iniuriæ commoda prosequimur, è quibus unum etiam est quod tu moderatior ac cautior efficeris, aliud quòd omnibus innotescis. At dices non sic uellẽ innotescere. Falleris res eadem nõ eodẽ modo ab omnib. recipitur atq; intelligitur. Qui cõmiserantur amant, quidã ad uirtutẽ tuã referunt: alij te laudãt quod illũ oderint: alij cõcursum

amicorum

amicorum tuorũ admirantur: multi apparatum tuum industriamq́; qua ad ultionem te præparas spectant. Plures nisi te supinum præbeas aut nugacẽ, magis laudabant quam eum qui tibi iniuriam intulit. Et præsertim si sine causa tua & repente intulerit. Plures etiam excusant uel ætatem, uel armorum defectum, uel solitudinem, uel locum uel metum magistratus, nunquã causa deest ubi uel illum oderint, aut te ament uel tui misereãtur. Ex accepta iniuria multa licẽt quæ antea non licebãt: ferre arma, colere societates, maiorẽ existimationẽ retinere aut exuere, ac quasi cõtra niti contumeliæ uel eam spernere. Si deliqueris magis dignus es uenia. Vltimũ est, ut uideamus iniurijs quomodo sit satisfaciendum, & an omnibus satisfacere liceat? & quomodo ulciscendæ. Est enim duplex satisfactionis genus, uoluntarium & coactum: alia enim erit fortuna exigendi ultionem, alia exhibendi satisfactionem. Ergo & ex his oritur quæstio, quod sint genera exigendi satisfactionem? uidentur autem tria, priuatum, publicum & medium monomachia. Ergo exigitur satisfactio apud iudices honestiore modo, sed non tutò. nam uel propter defectum testium, uel legum segnitiem, uel gratiam inimici, uel probitatem iudicis irrita iudicia euadunt. Quod uitium apud Christianos mamagis quam uel Romanos olim, uel Turcas nostra ætate uiget. Quocirca quod impium per se erat, factum est necessarium, scilicet Monomachia à

Lōgobardorum temporibus initiū ducens: antea enim apud Romanos ſolum contra hoſtes uiritim pugnare licebat & conſuetum fuit. Pugnauit Romulus ipſe Rex Manlius & M. Marcellus. At uero citra indictum bellum & cum alio quam cum hoſte inuſitatum fuit. Licet & præterea etiam ſine iniuria repetundarum pecuniarum quas quis negat accepiſſe, ad monomachiam uocare hominem, ſi res magna ſit. Ob id etiam ſingulare certamen iudicium publicum antecedere debet, quo ſanciatur cauſam pro quo ille in certamen uocatur tanti momenti eſſe, ut nobilis pro ea ſe exponere morti honeſtè poßit, alter uerò teneatur. Et periculum eſſe de iniuria ubi accuſatio uera ſit. Appello nunc iniuriam more Ariſtotelis iniuſtam quamlibet offenſam. Ergo honeſtam reddit prouocationem eligendi arma facultas in eo qui prouocatur: neq; enim ueriſimile eſt, ob iniuſtam cauſam tanta in armorum tractatione inæqualitate illum prouocaturum. Quare uidetur legitima prouocatio, ne homines fiant adeò iniurioſi. Sed ſi iuſtitia omnibus ex æquo faueret, melius eſſet omnem litem iudicijs finiri, quod in uſu fuit nō ſolum apud Romanos, ſed apud omnes Reſpub. bene ordinatas, ac etiā regna rectè conſtituta. Exigere autem oportet ſatisfactionem æqualem aut paulo iactura maiorem, non infinitam iuſtius atque honeſtius. Sunt autem offenſæ iuxta bonorum genera quatuor, iuxta quæ libros hos diſtinximus. Sed animo offenſa inferri non poteſt,

uerum

uerum corpori uulnera,uerbera, amputationes membrorum,Fortunæ,opes,honos,amici,externa,uxor, filij,parentes,familiares. Honor igitur sola uictoria aut confeßione inimici restituitur: opes tanti quanti fuere cum expensis pecunijs. At corporis uulnera & uerbera uulneribus, amputationes membrorum & syderationes morte, aut ut apud Indos pœna talionis rependuntur. Mortes autem parentum & filiorum & fratrum non nisi morte sarciri possunt. quoniam non decet nos uitæ alienæ prodigos esse, tum minimè filiorũ, partes enim sunt patris, ut Aristoteles inquit.uerùm adijcit dum pueri sunt, cum enim iam ad iuuentutem peruenerint æquales dicit esse patri. at æquales sunt et fratres & alij.Ita ergo æquales intelligit quemadmodum si pars ipsa cresceret.Parũ ergo differunt,sed non est ausus proferre adulti filij,ab ipsis parentibus. Pars enim ubi toti æqualis reddatur, uelut in arborum ramis,magis eadem est toti quam si sit æqualis solum,nec tamen eadem prorsus. Sed inter simile & idem mediũ quoddam. ob id ergo & in satisfaciendo & exigendo aut idem aut quod magis urget recipere oportet. Dignum ergo rursus est dubitatione an maior sit iacturæ filij an patris? Et quis eorum maiorem exigat ultionẽ? Et unde maior proficiscatur iniuria, an perempto patre an filio? Ergo quod ad iacturam attinet,si unius sit filius,maior est iactura in amißione filij:quoniã parẽtes propter filios sunt,nõ filij ob parentes.dignior aũt

est finis. Et quoniam stirpis spes affertur, & quoniam plus aufertur. nam filius iunior est patre: ergo maior est iactura auferre filium unicum patri quam patrem filio. Sed de iniuria secus est, quoniam & dignitas semper & opes plerumque patre sublato à filio auferuntur, non autem à patre sublato filio. Vbi ergo plus aufertur de honore ibi maior iniuria fit: si autem patri sint duo filij, atque etiam supersit patris ipsius pater, quoniam tum pars spei sobolis aufertur, maior adhuc est iactura filij quam patris. Eademq́; ratione etiam si plures sint. Plus tamen tenemur patri quam filio. Ergo honestum magis residet in parente, utile autem & spes in filio. Si cui ergo unicus filius & pater in uinculis sint? constitutum autem sit ut decem millibus sestertium alteruter liberetur: ambo autem XXM. non habeat autem ille nisi X. millia, quem redimere debet? Ex altera parte est honestum ex altera utile, ut diximus. Ergo si ad generandum potens sit, pietatis ratio & honesti haberi debet. Sin autem ad generationem aliqua ratione sit impotens, redimere debet filium. quoniam uinculum illud cum spe æternitatis coniunctum est. Etenim & hoc aui ipsius interest, si nullos alios habeat descendentes: Quid enim pauci illi anni aui ad tantam spem? Sed si auo sunt alij filij scilicet fratres tui, hi loco filij tibi erunt, quamobrem melius erit seruasse patrem tuum: in huiusmodi autem multum re-

fert uo-

ſert uoluntas eius, id eſt aui, nam ſi ille uelit condonare uitam ſuam poterit ſeruari nepos. ſi nolit, ipſe dominus eſt. Attamen ſi non ſuperſit ſpes prolis amens eſt: amentis autem iudicium non magnifacere oportet. De ultione uerò par ratio eſt habenda? neque enim in ultione redimitur res, aut damnum reſtituitur, ſed ſolum tollitur iniuria & honor recuperatur, dolorq; ille tam immenſus acceptæ iniuriæ ſedatur. Ergo dolor in filij ultione magis irritat, in patris aũt ratio: quare temperãdum eſt inter utrũq; & par ultio utriq; debetur. De patre aũt neq; pro patre neq; pro filio iniuſtè peremptis ſumere uindictã licet: nã iniuſtè nos nihil agere decet propter id quòd iniuſtè iniuria affecti ſimus. De filijs aũt pro patre aut filijs, quanquã inhumanũ ſit ſi ſumatur ultio, hoc habet excuſationis, ut diſcant homines ab iniuria parentũ et filiorũ abſtinere. Semper aũt ſatisfactio leuior eſſe debet, quã extorta per uim ultio: qui enim ſatisfacit, uidetur uel non iniuriã omnino intuliſſe, uel animo in iniuria nõ perſiſtere, quòd eã ſatisfaciẽdo dãnet. Inter damna ergo maximũ eſt filij mors, inde cæcitas propria aut filij, poſt ſurditas & eliſio dentiũ, reliqua ad deformitatẽ pertinẽt: poſt eſt ereptio bonorũ. Euiratio aũt morte ipſa deterior eſt. quoniã etiã dedecus adijcit. Si tamẽ ex morbo accidat tantillo minus mala, quantũ eſt quod ſupereſt uitæ. Fratrũ uerò iniuria, parẽtũ ac filiorũ minor eſt, ſed filiorũ utilitati magis frater accedit: iunior

robustior & in spem magis stirpis quam pater: parentum uerò honestati quoniam digniores, neutrum tamē æquant. Iniuriam autem nobis illatam familiarium iactura & dedecore, proprio duorum aut filiorum eorum sanguine redimere non licet, quamuis hoc multi agant, ut multa reliqua stultè. Sed nec familiariū illius, quid enim illi potuerunt? sed iure agere oportet: nisi ille aduersus te aut tuos aliquid pernitiosum attentauerit, similiter nec de fratibus ultionem sumere etiā amisso filio licet. Soli enim filij tam malorum quā bonorū hæredes sunt patris, sed bonorum ex lege: malorum autem ex ira & impetu inimicorum. Quocūq; ultra processeris iniuriam immerenti facis, quæ nec iusta est nec te eximit à dedecore. Propterea in parentes, fratres, familiares sæuire, est impotentis ac insani uiri. Verum quicunq; participes sunt iniuriæ aut de ea lætantur, iniuriosi sunt. adeò maximum malorum inter mortales iniuria est, propter quam facta immania subsequuta sunt, seditiones in Repub. euersionesq; regnorum.
Verum cum ut dixi res æstimandæ sint uel ipsa ex substantia propria, uel opinione, uel ratione, uel ordine uniuersi: hæc uerò duo ultima adeò paruo sint in precio popularibus ipsis ad quos sermo dirigitur, ut uix ulla sint in consyderatione, dubitandum de duobus primis meritò erit. Duo sunt, exempli gratia, uiri senes annorum septuaginta, uni sunt sex filij natu grandes, morigeri, præstantes, aliquotq; ex illis nepotes, diuitiæ ad

HS

HS uicies, alteri unicus, infans, æger, in censu ne trecẽta quidem sestertia: ubi obierũt, huius infans adoleuit, filios multos suscepit HS. decies lucratus est: alterius peste tota familia cum filijs sublata est atq; nepotibus, ne uno quidem superstite. cõstat hunc tamen qui hos progenuit antequam periret feliciorem fuisse multo alio, cui exiguum spei non solum in opibus, sed de prole superer at opinione ipsa: aliũ uerò re atq; successu ut cuius maneat stirps decora, quem ergo dũ uiueret uterq; feliciorem dicemus? nam pronunciare priorem ante obitum, alium post obitum feliciorem, absurdum. Qui enim fieri potest ut qui iam nõ est, aut saltem inter nos nostra poßit dici gaudere felicitate? Quòd si nihilo secius, hic alter ob bonum successum atq; felicem felicior est. ergo futura felicitas nihil ad nos pertinebit, quare neq; spes futuræ felicitatis. At prior si ob spem ingentẽ felix esse non potest, neq; ob præterita quæ diffluxerunt, nec ob præsentia quæ plena sunt acerbitatis: nullus enim uellet perpetuo mori & toti orbi dominari, nam quid ad illum primum potentia illa qua frui non potest? deinde quoniam nemo morienti paret, sed pro mortuo habetur: demum quòd tam acerbi sunt morientis dolores, ut omnes uoluptates mortalium omnium, si in unum cogi posset, ne decimam quidem doloris illius seu molestiæ, ut exquisitiore utar nomine, extinguere possent: nullo igitur modo felicior erit altero, nec dici merebitur, contra id quod propositum erat. Est ergo

pater felix perseuerante stirpe. quoniam filius patris pars est, & quicquid pars partis etiã totius pars est: quamobrem ego millesimi maioris mei atq; usque in infinitum, si tantum procedere liceat pars sum. Viuit ergo ille iam in me à quo tam longa licet serie sum procreatus. Re ergo alter felicior est, alter opinione: quis autem felicior dubitatur? Si anima superest & hæc memoratur, proculdubio secundus & absque contentione. Sed si hæc non cognoscit aut omnino negligit, tunc rursus quærendum: nam si aut diutius aut sempiterno tempore mansura est progenies, felicior erit is cuius manserit ob rationem dictam: aliter qui cum maiore spe moritur.

Videtur enim spes tametsi inanis, ubi euentus deprehendi non poßit, facere ad felicitatem. quoniam uoluptate afficitur. Vnde miseremur eorum qui orbati filijs ac omnibus bonis, ac desperati prorsus intereũt: cõtra congaudemus illis qui alacriter, magnaq; cum spe moriuntur. atque id iurè, quandoquidem omnia relinquant morientem præter spem: seu illa in beata uita futura reposita sit, seu in gloria relicta hic apud nos, seu in filijs ac nepotibus fratribusue. In his enim morientes consolantur. Quocirca qui animi immortalitati uale dixere, magno comodo priuati sunt: nam seu superst animus, seu non supersit, deterius longè afficiuntur pijs hominibus. Propterea rectè scriptum est: Mors impiorũ misera. Atq; hæc de spe, cuius exitus nobis ui-

uentibus deprehendi nequit: at de illa quã qualis fuerit deprehẽdere licet, dubiũ est an melior sit metu? Vbi enim fefellerit uehemẽter tristamur, ut cõtra liberati à metu multũ gaudemus. Et si quod metuimus euenerit, longè minus tristamur: si quod speramus successerit minus lætamur. Melius ergo est timere ac malè sperare quam bene. At contra qui bene sperat dum sperat felix est, qui metuit infelix. Et longiore tempore durat utrumque, quam ut digna sit tanta expectatione euentus, lætitia, aut tristitia. Quamobrem neutrum facere melius est: rem uerò ipsam inter indifferentia collocare, spe si sperandum est quasi exinanita tũ metu, ut cum euenerint prospera existimatione elata, plurimũ gaudeas: cũ aduersa, nec expectatione fraudatus, nec magnitudine territus, cum non augeas existimationẽ sed retineas: in uniuersum de his cum quibus læto animo uiuere licet, melius est sperare re aduersa, cũ quib. necesse est mœrere si longa sit expectatio prospera. Sed tota ars in minuẽda de re existimatione collocata est. Sed de his hactenus quod ad propositum pertinet, nam posterius suo loco dicetur.

Illud potius prosequamur quod huic quæstioni cõiũctum est. Nã diximus felicẽ dũ moritur, si sine spe moritur. i. absq; sobole, infelicißimã mortem subire: eos autem qui miseri sunt in uita dum ærumnas exuunt, minus dolere in morte. Quærendum est ergo quid sit miserius horum duorum, misere ne uiuere an mori? an durior inse-

rior infelicis uita, an felicis mors? omnes scio quid dicturi sint, quid pari temporis spatio accepto infelicior est mors felicis quam uita miseri: sed quoniã hæc multis annis durat, illa momento finitur, omnes mortem miseram minoris faciunt quam uitam. Atque hæc uera essent, si mors momento illo finiretur, & re ipsa constaret solum: uerum mors multo antea incipit quã mortis causa incipiat. Morimur cogitatione, morimur exemplo atque metu. cum enim uel leuiter ægrotamus, uel in periculo sumus aliquo, mortis recordamur. Similiter cum uidemus incommoda senectutis, cum inter loquendum aut legendum illius memoria subit, aut cum alios præcipuè ætate pares, aut ualde nobis familiares: aut cum multos, ut pestis tempore, interire uidemus, iam subit recordatio mortis. Itaque sæpius in die morimur, & sæpius hanc nostram felicitatis dulcedinem amaritudine supremæ diei inficimus. Quamobrem hoc tantum malum est, quantum etiam illorum qui iniurias, quòd humilioris sint coditionis, perferre coguntur. Sed iam ad alia transeamus.

DE AMICORUM paucitate.


Offert se pro incommodo non leui amicorum paucitas, familiaris, ut dixi, his qui parum possunt. De qua re Plutarchus pulchrum suo more librum scri-

psit

psit περὶ πολυφιλίας sed & nos aliqua superius diximus. Quia tamen locus hic proprius est, quæ oportuna sunt adijciemus. Eò spectant libri de officijs pulcherrimi Ciceronis, quos quilibet qui uel amicos parare uel retinere, uel copia eorum affluere, uel etiam ornare, uel ipsis uti cõmodè uelit, perlegere sæpius debet: Plus uerò hac in re Ciceroni, quam uel Aristoteli, uel Senecæ, uel alij ulli tribuo. non solum quòd elegantißimè & ad filiorum, & in republica florẽtißima ubi maximè opus amicis erat, & ubi omnes huic negotio quã diligentißimè operam dabant, quòd in eo opes, magistratus, potentia, reliquaq; omnia bona sua essent scripserit, sed quod homo nouus cum esset, nemo tantum amicorum potentia ualuit, nam & amicorum testamẽtis locupletatus est, adeò ut inter primos ciues numeraretur, poßideretq; plurimas uillas, inter quas pompeianum, Tusculanum, Formianum Arpinatem, Ancanam, Academiam, habitaret in domo cuius area sola uicies sestertium etiam ab his qui illum in Repub. crescere nollent, æstimata publica pecunia redempta sit: cumq; urbe pelleretur, uiginti millia hominum uestem mutarint. His effecit ut quintus Romæ uir autoritate esset dum uigeret Respub. scilicet post Cæsarem, Pompeium: Crassum atq; Catonem: pulso Antonio autem primus, cui ergo credamus magis in Arte, quam ei qui tale exemplum de se præstiterit? Quamobrem illius libros suadeo, ut semper in manu habeas atq; euoluas,

sic ta-

ſic tamen utaris ut omnia ad noſtrorum temporum conditionem accommodes, ne alter longolius euadas. Chriſtophorus Longolius Iacobo Sadoleto Pontifici. Cui nam Pontifici? Decet ſanè loco ac tempori ſe accommodare. Dicebat Seneca res præſtantiſſima eſt amicus cum ſit alter ipſe, ideo ſi uis eum tibi parare, ama. Eadem fuit Platonis, Ariſtotelis, Ciceroniſq; ſententia. Ego olim puto fuiſſe amicos quandoquidem tot præclaros uiros de Centauris, qui non extarent, aut Satyris locutos fuiſſe non exiſtimem, noſtra ætate nullum uidi: quominus certè laboro eum, qui non habeat quod nullibi inuenitur ut conſoler. Facit &, ut hoc credam, paucitas exemplorum in tanto tempore, quandoquidem uix ſeptem paria numerentur amicorum, atque inter hæc pleraque fabuloſa. Sed modo ſi fuerunt, quid magis abſurdum quòd queraris de paucitate earum rerum, quarum uix uno aut altero ſæculo in toto humano genere unum extat exemplum. Queraris quod non habeas plures phœnices aut opalos? Sed non exquiſitos illos amicos deſyderas ſed gregarios, qui mutuo dant & accipiunt, benefaciunt ſi poſſunt, plorant cum plorantibus, gaudent cum gaudentibus, ludunt, exhilarant, ſolantur, adiuuant, comitantur, conſilium præbent, admonent de periculis, de inſidijs, communia habent ſtudia, & penè etiam facultates.

Quantum ergo primum eſt difficultatis & prudentiæ

dentiæ hos parare, quam arduum est retinere, quam operosum uti? ut simul gaudeas cum gaudentibus, cum flentibus fleas, atque ita dispari semper animo inter contraria uerseris? Reprehendit Plutarchus hanc multitudinem, reprehendit Franciscus Petrarcha in libro de Remedijs utriusque Fortunæ, nec probat Aristoteles. Si illorum incommodis succurrere uelis quantus labor? si inopiæ, quæ diuitiæ tibi satisfacere poterunt? Præterea horum non deest copia cordato uiro atque prudenti. Quondam cum unum talem amicum amisissem, quinque pro illo recuperaui. Cum etiam ex illis duo aut tres essent eo præstantiores. Sed & ille ad me redijt melior, cum uidisset non deesse mihi facultatem amicos parandi, sed uoluntatem. Pater nescio qua ratione nullos amicos reliquis, utinam non maior fuisset in paupertate atque alijs rebus iactura? Cum uerò amicitia fiat ac constet delectatione quadam, delectatio autem coniunctione aut uirtute: aut utilitate præsenti aut futura, uel uoluptate gignatur, erunt totidem scilicet quinque causarum genera conflandæ amicitiæ atq; retinendæ: ab eorum quoque contrarijs abstinere oportebit. Coniunctio igitur firmißimum amicitiæ uinculum, & ansa tuta: ut inter patrem & filium, fratres, maritum & uxorem. Primum ergo ab affinibus, agnatis cognatisquè amicitiam tamq; à faciliori inchoare docet: tùm uerò etiam ab illorum rursus agnatis, cognatis, affinibus atque amicis.

amicis. Senum morosa & tristis, ac caduca est amicitia, puerorum, adolescentium, mulierum instabilis ac persæpe minus decora. Iuuenes ergo & uiri maximè apti sunt. Vitare oportet ex his auaros, iracundos, ambitiosos, perfidos, ingratos, infames & dispari gradu nimis inæquales, pauperes, inuidos, segnes & luxui deditos. Dices nimis multa excipis? uerte orationem breui absolues: Elige uiros honestos, probos, non omnino pauperes. Reliquos ita abige, ut si amicos nũ habeas, nec habeas inimicos, saluta, alloquere, leuioribus officijs gratiam quærito. Virtute & communibus studijs parantur firmæ ac stabiles amicitiæ. quoniam uirtus benefica est, angustisq; terminis continetur: contra uitiorum lata est area, & in offensa constant. Propterea cum magnas mutationes in uita efficiant, odia etiam progenerant. Omitto nunc pertinaciam, auaritiam, inuidiam, ambitionem, iram, toto genere odiosa & inimicitiæ potius quã amicitiæ aptiora: nónne prodigalitas pro liberalitate, dum immerẽtibus das aut iusto plus inuidiam apud alios moues: apud ipsum cõtemptum? Scurrans euehit nimio hominem ut existimet te illius indignum amicitia. Propterea Plato suadet ne nimium laudemus amicos, facimus enim nostra consuetudine indignos, ut contra ambitiosus nimium spernit. Amicitia ob uoluptatem turpem fœda est, ideò & parum pura ac decora. Est memoria pluribus odiosa, at propter honestam uoluptatem: ut iocos, carmina, mu-

ficam satis stabilis, donec amor eorum studiorum manserit. In utili autem maior est amicitia, ob spem quam usum & possessionem. Qui enim amant ob utilitatem etiamsi fruantur ob spem amant, non ob id quod iam perceperunt. nam quod perceperunt iam suum est: & si ament ob id ad gratiam refertur, neq; enim, etsi utile est quod percepimus, utilis est amicitia ad id quod iam percepimus: quoniam amicitia utilis fuit ad percipiendum, ergo ubi percepimus usus iam amicitiæ cessat. Verum propter alia quæ successura sunt amicitia est utilis, & ob id etiam propter sperata & lucri continuationem, non propter id quod lucrati sumus. Est igitur hæc amicitia cum spe coniuncta, non cum acquisitis. Quamobrem & principes & amantes, et mercatores etiam in hoc decipiuntur, quod putant se amari ab his quos ditauerint: qua in re bifariam decipiuntur, & quod amari se existiment si non adsit spes, & quod si adsit spes propter ea quæ acceperint nõ propter spem amari se putent. Vt ergo spem alant oportet ostendere, & quòd poßint & quòd uelint, & quòd illi à quibus amari se cupiunt huiusmodi auxilio indigeant. Videtur ergo in huiusmodi rebus præsens cum præterito comparari.

Iure igitur dubitari potest cuius temporis potius pars sit, præsens an præteriti, an futuri? Siquidem cum præterito tribus modis conuenit: & quod in illud statim transit, & quod necessarium est non dubium ut fu-

turum, & quod leuem tribuit ac labilem uoluptatem. nam quæ stabilis est ac solida, ad futurum quod succedit spectat. Futuro autem aßimilatur eo quod nō perijt, nam præteritū perijt, et quod futura in præsens ipsum ferūtur, ut præsentia sint potestate, & quod pruritū quendā mouent ac titilationē præsentia uelut & futura. Nam, ut diximus, uoluptas ex præteritis tametsi secura sit & purior, nō tamen gliscit nec prurit, sed quasi mortua est. Memoria enim harū uoluptatū etiā ad mortuos retro fertur. Dicemus igitur quod præsentia specie cum futuris magis conueniunt, cum dico specie cogitatione etiā intelligo: sed re cū præteritis, præsensq; est præteriti potius pars quam futuri.

Sed ad institutū redeamus, uera ergo amicitia difficulter hac uia retinetur, nisi à potentibus aut qui quæstuariam operam dominis exhibent, nec tamē uera est. uera enim amicitia amantium amori similior est quam uulgari. quoniam amicum non propter nostrum commodum amamus, sed ob suum. Et ut illorum multitudo grauis est, ita illis prorsus carere non debemus. Quamuis enim sapiens in seipso sit beatus, attamen eorū quæ extra nos sunt optimum est amicus, filius & frater aut soror.

Rursus ergo dubitare licet, quid nam melius frater, filius an amicus? Amicos quidem eligere licet non fratres aut filios: amici etiam mutuis beneficijs sunt coniuncti, illi lege naturæ. Amicorum præterea

rea laudibus & amicitiæ ipsius pleni sunt libri, non adeò filiorum aut fratrum. Qui etiam filios habuerunt & fratres, quæsiuere ac parauere nihilominus amicos, ut Cicero: nam & Atticum habuit amicum & Quintum fratrem, & filium Marcum. Videtur etiam minus coluisse filium, ac de illo curasse quam de amicis, potentia, gloria. Amicus etiam res rarior est fratre aut filio, & ad potentiam & gloriã parandam aptior. Amicitia etiam est animorum coniunctio, & sicut filij corpore nobis iungũtur. Fratres etiã fratres esse scimus, filios scire non possumus. quamobrem, ut aliàs diximus, non absurdum Indorum consilium, qui sororum filios proprijs in hæreditate præferunt. Ipsi quoque magis pares filijs, ætate, moribis, nobis etiam magis auxiliari possunt. Plura etiam fermè pietatis fraternæ exempla memorantur quam parentum in filios: plus autem certè quam filiorum in parentes. Scipionis Africani iudicio oppugnato Lælio cum quo amicißimè uixit (adeò ut inter exempla rara Lælij & Africani amicitia numeretur) prælatus Scipio frater, quamuis ei prouinciæ minus aptus, ad Asiam occupandam missus est. Nec erubuit maior natu minori triumphalis, non triumphali legatus accedere, nec solum Lælium ex hoc munere fratris gratia, sed etiam ex consulatus petitione deijcit. M. Fabius triumphum ob fratris mortem reiecit, cum Paulus Aemilius quarto ab obitu

maioris filij die triumpharit. nescio quo uultu, si lætantis? funere filij, si tristi, in triumpho. Miles quoq; Cn. Põpeij cum fratrem nescius in Senorianis castris militia fungentem occidißet, execratus funestam uictoriã gladio se in funere transfodit, cuius rei in filio exemplum nondum inueni. Quid de Thimoleonte Corinthio, de Ithaphernis iudicio, de quo aliàs diximus quæ fratrem coniugi & filijs prætulit? Quid de Clitaco & fratre Cappadocibus? res supra omnem prorsus fidẽ? sed nec ego tametsi non monumenta absoluenda obstitissent, pro filio meo quamuis contumace mori recusassem: sed illud maiore miraculo agitatum, & inter iuuenes euentum rei habuit, cum minor natu frater pro maiore dolo fallens mortem subierit: hic senex pro iuuene nec euentu res cõfirmata, imò nec oblata, ne uiderer iactantiã ostentare, cum scirem per leges non licere impetrari, nec ut ego occiderer, nec ut ob id ille liberaretur. Quid rursus de P. Rutilio, ac ligarijs fratribus, alijsq; duobus eodem modo proscriptis. Iazates quoque Adiabenorum Rex, cum uigintiquatuor haberet filios, omnes præteriens regnum Monobazo fratri moriens reliquit. Elidurus quoque pius cognomine Britãnorum Rex, Artagalum fratrem regno pulsum, & in syluis abditum, in regnum etiam non sine magno periculo nec meritum restituit. Inter Io. Camillum etiã & Vitellotium fratres tantá fuit charitas, ut exemplũ par inuenire difficillimum sit. Quamobrem non illud Val.

Maximi

Maximi subijciemus: In eodem domicilio antequam nasceretur habitaui, in eisdem in cunabulis infantiæ tempora peregi, eosdem appellaui parētes, eadem pro me uota excubuerunt, parem ex maiorum imaginibus gloriam traxi. Chara est uxor, dulces liberi, iucundi amici, accepti affines, sed postea cognitis nulla beneuolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat. Mihi sanè hanc uoluptatem experiri non licuit. At etiam quanquam repudiatis filijs atq; patribus, regna per amicos fidelius quandoq; administrata sint: ut Darius qui socijs Midæ atq; Eunuchi regnum septuplo Sicilia maius diuisum administrandum tradidit. nemo tamē amicos filijs aut fratribus prætermißis hæredes instituit. Paucißimi etiam fratres filijs prætulerunt. Ex filijs etiam ac fratribus amicos facere licebit: ex amicis autē fratres aut filios facere nūquam poterimus. Ergo amicum filio supposito, sed ita ut non resciscat alumnus, fermè comparabimus. Erit itaq; coniunctio filiorū ac fratrum propter æternitatis spem præstantior, in cæteris securior & utilior frater, charior filius: amicus tamen omnibus numeris absolutus utrisq; præferendus. Atq; inter rara etiam amicorum exempla referemus Mutianum cum Tito atq; Vespasiano. Quòd si filius sit cōtumax, aut patri inimicus uel stultus, aut frater eiusmodi? uterq; tamen præponi ea ratione amico debet. Frater tamē filio si malus fuerit, filius aut insanus: frater autem bonus ac sapiens. nam certior est frater, &

maioris filij die triumpharit. nescio quo uultu, si lætantis funere filij, si tristi, in triumpho. Miles quoq; Cn. Pōpeij cum fratrem nescius in Senorianis castris militia fungentem occidißet, exceeratus funestam uictoriā gladio se in funere transfodit, cuius rei in filio exemplum nondum inueni. Quid de Thimoleonte Corinthio, de Ithaphernis iudicio, de quo aliàs diximus quæ fratrem coniugi & filijs prætulit? Quid de Clitaco & fratre Cappadocibus? res supra omnem prorsus fidē? sed nec ego tametsi non monumenta absoluenda obstitissent, pro filio meo quamuis contumace mori recusassem: sed illud maiore miraculo agitatum, & inter iuuenes euentum rei habuit, cum minor natu frater pro maiore dolo fallens mortem subierit: hic senex pro iuuene nec euentu res cōfirmata, imò nec oblata, ne uiderer iactantiā ostentare, cum scirem per leges non licere impetrari, nec ut ego occiderer, nec ut ob id ille liberaretur. Quid rursus de P. Rutilio, ac ligarijs fratribus, alijsq; duobus eodem modo proscriptis. Iazates quoque Adiabenorum Rex, cum uigintiquatuor haberet filios, omnes præteriens regnum Monobazo fratri moriens reliquit. Elidurus quoque pius cognomine Britānorum Rex, Artagalum fratrem regno pulsum, & in syluis abditum, in regnum etiam non sine magno periculo nec meritum restituit. Inter Io. Camillum etiā & Vitellotium fratres tantá fuit charitas, ut exemplū par inuenire difficillimum sit, Quamobrem non illud Val.

Maximi

Maximi ſubijciemus: In eodem domicilio antequam naſceretur habitaui, in eiſdem in cunabulis infantiæ tempora peregi, eoſdem appellaui parẽtes, eadem pro me uota excubuerunt, parem ex maiorum imaginibus gloriam traxi. Chara eſt uxor, dulces liberi, iucundi amici, accepti affines, ſed poſtea cognitis nulla beneuolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat. Mihi ſanè hanc uoluptatem experiri non licuit. At etiam quanquam repudiatis filijs atq; patribus, regna per amicos fidelius quandoq; adminiſtrata ſint: ut Darius qui ſocijs Midæ atq; Eunuchi regnum ſeptuplo Sicilia maius diuiſum adminiſtrandum tradidit. nemo tamẽ amicos filijs aut fratribus prætermiſsis hæredes inſtituit. Paucißimi etiam fratres filijs prætulerunt. Ex filijs etiam ac fratribus amicos facere licebit: ex amicis autẽ fratres aut filios facere nũquam poterimus. Ergo amicum filio ſuppoſito, ſed ita ut non reſciſcat alumnus, fermè comparabimus. Erit itaq; coniunctio filiorũ ac fratrum propter æternitatis ſpem præſtantior, in cæteris ſecurior & utilior frater, charior filius: amicus tamen omnibus numeris abſolutus utriſq; præferendus. Atq; inter rara etiam amicorum exempla referemus Mutianum cum Tito atq; Veſpaſiano. Quòd ſi filius ſit cõtumax, aut patri inimicus uel ſtultus, aut frater eiuſmodi? uterq; tamen præponi ea ratione amico debet. Frater tamẽ filio ſi malus fuerit, filius aut inſanus: frater autem bonus ac ſapiens. nam certior eſt frater, &

& securior expectatio, quæ duo maius unitatis uinculum superare possunt. Si tamen nepotes incolumes adsint, eos omnibus prætulero: fratri quidem ob coniunctionem, patri suo ob probitatem. Sed ad institutum redeo, non tam amicum parare opportunum est quam eo uti scire. Id ergo agamus primum, ne plus intelligat nos posse quam præstemus. id enim amicitiæ maximè aduersatur. Deinde ne rogari te permittas, sed sponte accedens exhibeas non offeras: neq; consilijs incertis abundes, nec ubi beneficio affeceris commemorabis quæ præstiteris, aut ipsi aut alijs, quod etiã deterius est: sed nec recepisse te coram illo (adulationis enim species est) beneficia referes: apud alios autem nõ nisi aliquo iam cæpto sermone, atque id breuiter, sed amplè. Non tristis, morosus, reprehensor, castigator, irrisor, sed nec multo minus quæ ille peregit turpiter, aut quæ minus honorifica ei contigere, etiãsi non sua culpa, commemorare decet. Non ergo illi imprudẽter acta, aut per desidiam omissa, aut iniurias aut dedecora quæ passus est, aut luctus tu ipse commemorabis. Sed si ipse iam cæperit de aduersis conqueri, aut errata propria coarguere, non leui prudentia opus est. Primum igitur synceram mentem erga amicum declarare oportet, sed nec minus prudentem esse: pleriq; enim dum alterum nimis ostentare uolunt, delinquunt in reliquo. Propositũ est aũt in utroq; doloris memoriã minuere, id fiet si duo effecerimus ut rẽ ipsam minuamus,

& ut

& ut futuri expectationem parum utilẽ ostendamus. Res præteritas minuemus, uel mortalium conditione extenuata. nam in paruis paruus est excessus: uelut si ostendamus, nos in luctu æternitati nõ esse cõiunctos, quòd semen nõ sit millesima pars hominis: ergo millesimus ab hinc prognatus, millesimæ partis erit millesima. At licet quantitas in infinitũ diuidi poßit, non tamen res nantes sic diuidi possunt, quare necesse est aliquãdo hãc cõditionẽ finiri, ubicunq; finiatur et quãdocũq;, post modũ nihil interest: cũ 10. annorũ myriades nõ maior pars sint æternitatis quã diecula una, uel cõparatione ad nos ipsos nostraq;: nam si in iuuẽta, ut uerisimile fuit, absumptus fuissem tabe, nec filij alij qui supersunt superessent nec nepos, nec qui obijt ea uita qua fruitus est potuisset frui: nec illius nec mei ulla memoria mansisset, nec spes ulla perpetuitatis, luctũq; maximum materteræ Margaritæ quæ me non minus filio diligebat attulissem, tum etiam ipsi matri. Similiter casus aliorum miseriores ostendemus maximè, si uel uoluntarij fuerint: ut in Felicitate Romana muliere, quæ pro Christi fide quinq; filios corã se crudeliter occidi permisit, cum posset dehortando illos liberare. Ita ex causa, conditione rei, genere euentus rem ipsam minuemus. Ad futura quoq; cõferendo ostẽdemus quã parua primum in omnib. spes: inde in illos cõmemorã tes omnia quæ ad illius uituperationẽ faciunt, ut malo malum depellamus. In his nihil absurdum, humile, uel

cum affectu coniunctum:talia enim à præficis ad excitandum uehementem fletum populari more cõminisci solent, sed tanquam ab irato proferri debent: augenda sunt impedimenta & spes æternæ illius felicitatis animorum,atque ita agendum ut uultum amici intuearis, atque in eo perseuera sermone, in quo uultum ad minus tristem speciem effingi animaduertis. In huiusmodi à salibus ac iocis facetijsq; omnino abstinebis,nisi admodum graues fuerint. Cuiusmodi illa Senecæ,licet ad sermonem hic institutum minimè accommodata,de eo qui cum audisset carmina à quodã recitata, satis nutante lingua,sua esse dixit. Ventum est ad iudicium,qui audiuerat securius & melius recitabat aliena quam ille sua. Huiusmodi conueniunt quæ animum cum grauitate mouere possunt.

Vtrum uerò liceat cum improbis amicitiam contrahere atque retinere non læsa existimatione? haud dubium est de uulgari hac amicitia: nam læto uultu illos excipere, cum illis uersari, blanditer, officijsque mutuis iuuare se inuicem licet. Proditores tamen excipio, quorum etiam odorem fugere decet. At nunc fallere in delicijs repositum est. Siquidem autem impium aut improbum exigat amicus, non iustè irascetur si denegaueris,cum intellexerit te iniustis causis illi non deesse.Ergo qui malos amicitia sibi uincire desyderat, huic uni rei tanquam maximè incumbant. est enim arduum. Cæterum de utilitate ex hac amicorum

paucitate

paucitate decerpenda, ſatis antedictis tractatum eſt. Strictim colligendo, nec temporis nec laborum, nec rei iacturam facies, ſi paucos habueris amicos. Quodq; maius eſt et admirabilius, multo melius quæ optas conſequeris: multitudo enim amicorum incertum hominē reddit auxilij, ancipitem conſilij, dubiumq; quid agat aut eligat. Sed hoc omiſſo, de uſu illorum ac gratia nunc dicendum eſt. Scripſit nō pauca Cicero in hoc argumento in eo libro, qui Lælius ſeu de Amicitia inſcribitur, & in libris de officijs. Sed & Seneca in libris de Beneficijs, quæ ſi eſſent exacta & lucernam olerent, parum nobis ſupereſſet. Nunc non querimur quicquā deficere, multa imperfecta, alia nimis breuiter explicata, nōnulla minus certa ordineq; confuſo, uerioribus intermixta. Et tamen conſulimus ut eos libros perlegas, forſan quippiam magis quam nos inuenturo. Itaq; hoc primum cogita, in amicis repoſitum eſſe decorū ſimul utile atq; honeſtū, adeò ut etſi omnia arcana rerū cōplexurus contēplationi hæreas: ueniat aūt nūcius de periculo amici te certiorē faciens, nō iuſtū aut honeſtū eſſe exiſtimabis, ob quantācunq; ſapientiā officiū pro amico, uel tēporis momēto differre. Quamobrē cōſpicuū eſt officia iſta in amicos, in cōiuctos quouis ſtudio præſtantiora eſſe. Quod ſi uel ob ludos ſpectandos, uel perſuadendā mulierē id egeris, ut ſcilicet morulā interponas, nō ſolū iniuſtè atq; ſtultè, ſed etiā turpiter ac flagitioſe te geſſeris. In omnib. aūt præſtandis officijs ita

nos tēperabimus in animi atq; corporis motionibus, ut intelligant homines nobis nō deesse cōstantiā. Ea enim sublata, nullū officiū suā retinet dignitatem, nullus homo magnifaciendus est. Videas hominē accurrentē in amici periculo uel etiā parentis, cogita si nō tā hoc ex animi affectu est quā necessitate casus: ut in pugna aut rixa, nō nisi laude dignus est: secus uidebis hos tā feruidos ab initio defensores, in officio ipso languescere, in cōsilio uacillare, in exequēdo minus quā deceat esse liberales. Quocirca præstantiā & exhibere in amicorū officijs & exigere, et in eligēdis amicis requirere oportet, ne nos amicitiæ uinculo operā seruā habeamus nō recipiamus. Quapropter et à sordidis uiris cauebimus, qui uel operas suas locant, aut artis excellentiā in opera repositā habēt: ut sutores, carpentarij, fabri, aut quorū officia ad uoluptatē spectāt, ut tibicines, unguētarij, talarij, aut qui mercaturā uilē aut tenuē, aut non longius auctam exercent. Verū qui splendidā, magno ære atq; multiplicē longiusq; petitā, per ministros potius quam per seipsos auehunt, hi amicitia digni sunt. Quiq; celebres quasdā artes nō uulgari more, sed ingētib. precijs ac premijs tractāt: ut pictores egregij, architectiq;, nā sculptores nō receperim ob operā nimis seruilem, sed statuarios et aurifices quosdā qui non per se metalla liquant nec uasa formant aut poliūt, sed potius per discipulos atq; ministros. Et equites strenuos uita & morib. probatos: et qui rura colunt ac curāt, opera

tamen

tamē seruorū. Et professores liberaliū studiorū, nō aūt eos qui quæstū faciūt ex diurna aduocatione, multo minus ex medica arte, quid. n. etsi Craterus sit, differt ab his qui in officina artē exercēt? Et nobiles omniū sunt optimi, ut qui nulli alij rei incumbāt, nec artiū sorditie ulla sunt coinquinati. Sacerdotes quoq; splendidos, & Principes sapiētiæ studiosos, & recti tenaces colere decet. Ab alijs cauendū, ne nimiā cōtrahas familiaritatē: nā quāuis fieri poßit, ut aliquē bonū inuenias, quia tamen rarò id euenit, melius est nō tētare fortunam in tāto periculo, tātaq; bonorū copia. Vndecim genera illorū descripsimus. Cauendū tamē est in amicitia potētiorū deligēda ne fallaris: nā uelut qui arduos ascēdūt mōtes ut feras assequātur, si nō periti sint admodum itineris, maximo periculo atq; labori se exponūt: ita si imprudenter patrociniū unius delegeris, facile omniū iacturā feceris, quemadmodū ego, qui uel hoc uno exemplo admoneri potuerā: cū exēplar Geometricorū elementorū dixit se amisisse, quod unicū mihi erat, decuit sanè me quod facere uolui, aspernari munus illud cētū aureorū coronatorū, existimans quale periculum esset aulæ nō assueto intermiscere me his, qui dū cælū capite tāgunt, omnia hæc humilia paruifaciūt. Neq;.n. solū spectāda est natura in principib. propria, sed eorū qui apud illos plurimum poßunt. Ego sanè si munus illud quod quam inuitus acceperim Deus nouit, sed iactura, quā fecerā fores obsidēdo ut librū reciperē, me flexit. accepißē, quāquā minꝰ beatè uicturꝰ Mediolani fuißē

Quid ergo? non cuiq; datum est adire Corinthum. non tàm est spectanda principis potentia, quantum tibi utilis esse poßit, nec natura illius quam bona sit, quã quibus ille delectetur studijs atq; hominibus, qualibusque ingenijs illi præditi sint, & tu quam aulæ moribus sis accommodatus. Itaq; si ego demens hæc spectassem, nõ magis illius quàm præcedẽtium prouinciæ præsidum, quorum longè mihi locupletiorem conditionem asper natus fueram, amicitiæ me insinuassem. Sed retenta quam mihi uirtutis atq; fortunæ beneficio paraueram, autoritate et lucro per quam magno dona quieuissem, nullis fortunæ procellis iactatus. Nunc pro hoc beneficio in prima lucrum & nomen amisi, cum etiam urbis mœnia horream, tanquam tantæ cladis cõscia, Senatus & ipsius Principis amicitia priuatus sum: Filium unicum, spem inclinantis ætatis meæ crudeli morte ac infami perdidi. Ego quàm parum abfuerim ne dolore interirẽ, ni Deus specialibus auxilijs me tutatus esset, quilibet intelligere potest, qui præter casum ipsum per se acerbißimum, tot causas quæ illum miserum filium impulerint, quas in fine operis annexi, nihil cõtulisse animaduerterit. Itaq; hac egregia amicitia, hoc tam splendido patrocinio, funditus pro meritis euersus sum. cogorq; pendere Senatus arbitrio, ut profitendi muneri incumbam, si propè patriam manere uelim. Nec est quod me solari poßit, nisi quod etsi hoc etiam sustulerint quamuis inops, quem deseruerunt ingrati animi,


& cum

& cum eis humanum genus Deus non deseret, pro cuius ueneratione ac nomine omnia hæc mala libenter sustineo, nec piget me perpeti, nec si poßim mutare, mutasse uelim. Cæterum quod ad mortales attinet & principum amicitiã, hæc fuere quæ pro tot illius laudibus quas in fronte librorum de subtilitate uerè (ut meo iudicio uisum est) scripsi, mihi euenere. Verũ in aliorum ordinum amicitia obeunda ut non tanta spes est: ita facilior aditus ac longè minus periculum. In his etiã magis spectabis illorum indigentiam ac neceßitatem quã potentiam, quod pauci nostra ætate faciunt: in collocandis beneficijs, atq; ea hilariter promptè, ac maiore cum fœnore, si quicquam accepisti sunt retribuenda, fœcundorum agrorũ exemplo, ut ait Cicero. Ita tamen alij non contuleris, ut tibi uel alteri amico plus noceas. Vel in præsenti gratificeris ea in re, quæ postmodum successu temporis plus obfutura sit; uelut improbi & imperiti medici facere cõsueuerunt. In amicitia autem quæ utilitatis causa solum contrahitur, illos sequere (quanquam non ex his sint ordinibus) qui in parandis diuitijs sint fortunatißimi; tametsi etiam fœneratores sint. Secundo loco gratos ac beneficos: tertio autem liberales. Cæterum cum studia hominum quatuor sint, sapientiæ, administrationis rerum ciuilium, negociationis, & uoluptatum, iuxta singula genera horum sunt amici. Sunt etiam eo ordine quo scribimus præferendi. optimi enim qui ob uirtutem & sapientiam commu-

nem

nem amicitiam iniere, inconstantes maximè qui ob uo luptates. In omnibus sanè officijs eorũ atq; actionibus, etiam uitæ humanæ consyderatè agere pluris est quàm cogitare prudenter: cumq; in ipso beneficio conferendo, in præstandisq; officijs summum bonum sit in ipsa actiõe, id tamẽ cauere debemus, ne omnino in ingratos conferamus. Nam gratiam sperare tametsi minus honestum est, est tamen adeò utile ut apud uulgus sit officij præstiti finis. Illud maius est quod cum facultas nostra, seu in potentia, seu in operibus exigua sit, quicquid impenderimus largitiq; fuerimus in ingratos, id totũ illis qui natura gratiosi sunt detractum puta. Præterea turpè est falli atq; indecorum, aliorumq; mentes talia exempla ingratis impertiendi, à beneficijs bonis præstandis, & à liberalitate deterrent. Quo circa si in hos impegeris, quid agendum sit dicere nunc aggredior.

DE INGRATIS ET PERFIDIS.



ILlud ergo primum consyderatione dignum est an uerũ sit, quod Seneca ait: Parua beneficia gratos homines reddere, magna ingratos, quòd homines reddere parem gratiam non nisi maxima cum difficultate, aut magno cum damno posse se intelligant. Quòd certè dictũ omnes à magnis beneficijs conferendis absterrere posset: mihi autem tametsi non inutile sit præceptum, et na

ture

turæ illius accommodatum, tamen multis modis astringendum uidetur, atq; primo in amicis ueris haud obseruandum erit. quandoquidem idem sit ac si in te illa conferas. Secundo cum nullius gratiæ spe confertur, quod maximè contingit cum homines potentes in suos clientes beneficia conferunt: neq; est ut illi ingrati euadant, cum sciant quantulamcunq; gratiam sint relaturi, eum qui beneficium cõtulerit, æqui boniq; consulturũ. Tertio si casus id exigat, ut uel cogaris periclitari amicum sinereue maius spe beneficiũ afferre: quo in casu Princeps ille erga me erat cum neglexit. Tametsi enim non par reddi beneficium posse sperabat, quod tamen Deus nouit: nam maius forsan futurum erat regi ac genti suæ, tùm maximè quod postularem, denegare non debuerat. Quinimò etiamsi non petat ob uerecundiam, tantum ualere debet uerecundia, quantum perfrictæ frontis, aut miseri animi lachrymabiles supplicationes. Quarto cum in probos ista conferuntur, aut uirtutis causa, tametsi enim non reddent par, tantum tamen reddere possunt quantũ pro illorum uiribus sperare licet. Iuuare enim sapientem aut probũ ipsum per se bonum est. Seneca autem omnia refert more suo ad dantis gloriã, cũ magis personas spectare debeamus. neq; paruum est sapientẽ aut probũ fuisse, quandoquidẽ tam rari sint in alterutro genere. Demũ cũ beneficij collatio non à te sed ab illo incœpit. melius est enim restitutionẽ amisisse quã ingratũ uideri, ideo probo uiro ac grato multo

to multo magis perspiciēdum est à quibus beneficia expetat aut suscipiat, quam quibus tribuat. Velut magis consyderandum quid tibi furto subripiatur quam quātum dones. Qui enim donat scit quid donet & quantum, cui aliquid furto surripitur tametsi exiguū sit, nescit quantum esse possit, tantum ergo esse existimare debet quantum esse potest: at quod surripi potest infinitum est: itaque qui furum arbitrio uiuit etiam si exiguum auferant, nihil habet: qui donat etiam si magna donet diues esse potest. Ita ergo qui beneficium impertit etsi immerenti scit quid perdat: qui suscipit ac recipit nescit pro quanto se obliget. Ergo cum recipis an recipere debeas diligenter consyderare decet. Sed si uitijs non ἀχαριστίᾳ amici laborent, ira, dolo, contumacia, negligentia, mora, id persæpe utilius tibi erit quā si omni officiorum genere erga te promptè utantur. Cogita enim illa eadem in te esse, & uide quam grauiter alios afficias: itaq; ex illorum erroribus optimus & officiosus euades. cum enim aliorum gratiam experieris, uel temetipsum consyderaueris facillimè temetipsum falles, & dignum amicitia existimabis, cum in multis delinquas. Sunt autem gratiæ duo generu, quorum unū est, ut in eos qui nos beneficijs affecerūt benefici & ipsi simus: alterum ut pro his qui pro nobis mala perpessi sunt & nos mala perpeti non recusemus. Est autem hoc genus certè præstantissimum ac nobilissimum, cōmuneq; omnibus esse potest. Quandoquidē

nihil

nihil nos prohibere poteſt quin mala ſubeamus, nec ad hoc opibus aut potentia indigemus. Vnde rectè admodum hoc in uno genere gratiæ tota lex noſtra fundata eſt. Neq; enim ſi quis propter tot beneficiá quæ à Deo accepit, aut alijs benefaciat: aut propter gloriã, aut uirtutem aut conſuetudinem, uel etiam mala æquo animo perpetiatur, aut ſpõte ſubeat, cœleſtis regni particeps fiet. Sed ſi ob Chriſti amorem qui noſtri gratia mortem acerbã paſſus eſt, ob Deiq; beneficia et dignitatẽ facere aut ferre nõ recuſet. Optimũ igitur gratiæ genus pati uelle pro his qui pro nobis ſponte paſsi ſunt. Et qui hoc agit optimus, & ad omnia bona facienda paratus eſt. Quippe cui plus debetur ſatisfaciat, & maiore precio, quanto maius eſt mala pati quã benefacere. In primo igitur genere ponẽdi ſunt qui pro his qui paſsi ſunt & ipſi pati nõ recuſant, ut Martyres. Poſt qui his qui paſsi ſunt, aut pro his benefaciũt, ut Paulus et Hieronymus: Tertio loco qui pro his à quib. beneficium accepe rũt pati non recuſarunt, ut Macchabei, quorũ feſtũ etiã eccleſia celebrat. Vltimo loco eorum qui benefactoribus benefaciunt, è quorum numero maxima eſt turba etiam Idololatrorum & aliarum gentium: præcipuè tamen eorum qui ſancta philoſophiæ præcepta intimè hauſerunt. At illorum qui beneficia non reddunt peſsimi ſunt: qui parentibus infenſi ſunt quibus maximè debemus. Deteriores etiam ſi matri quam patri, & ſi uerberent aut eos iniuria afficiant, quam ſi ſolum ſint eis

insensi. Qui ergo pro Christo multa nolentes patiuntur, in his omne uirtutis genus relucet. ideoq; ad rem pub. constituendam ac continendam optimi sunt. Sunt enim admodum iusti, benefici, pij, mites, misericordes, synceri atque constantes amici. Quamobrem lex nostra optimos esse nos uno uerbo docuit. Sed cum non facile sit his temporibus in tam amplo Christiani nominis ambitu, Christianos pauculos inuenire. ideo saltem iustos & gratos quærimus. Est enim iustitia rebus in humanis adeò necessaria, ut uelut Cicero ait, etiam in his quæ iniustißimè fiunt, ut latrocinio, pyratica, circũuentione, iustitia opus sit. Et qui omnino administrare & ex sententia cuncta uoluerunt, à suis sint deserti aut etiam obtruncati. Bargulus autem & Spartacus, ac Viriatus & Sertorius in latrocinio iustè administrabant cuncta, atque secundum latronum leges. Ingratorum autem admirabilis quædam est natura, qui omnibus diuinis, humanis ac ferinis legibus relictis, exitiale & detestandum crimen exercent, in quo omne sceleris genus cumulatim continetur, dolus, proditio, sæuitia pietasq;. Res profectò fœda auditu, horrida uisu, memoria molesta. Latius patet hoc malum quam quis credat, undiq; ingratorũ numerus est infinitus. Nec parua pars mali est ingratis benefacere, alereq; hoc tam funestum malum in republica re non solum sed etiam exemplo. Itaq; fouere ingratum ingrati est. Maleq; consulit Seneca, ut etiam in illos simus

hos simus benefici. Sed quoniam, ut diximus, nunc atq; olim ingratis omnia plena erant: gloria autem constat multorum in nos beneuolentia ac fide, existimationeq; dignitatis, quomodo hanc multorum beneuolentiam assequemur si non pluribus, pluribusq; ingratis ob id necessario benefecerimus? Ergo aut à concupiscenda gloria prorsus abstinendum erit, aut ingratis benefaciẽdum? Difficile quoq; uidetur ingratos hos secernere, quòd ijdem homines in quosdam grati sint, in alios ingrati. Cn. Pompeius in Cn. Carbonem ingratus fuit, in multos alios gratiosißimus. Ingratus & Augustus in Ciceronem & C. Toranium. Itaq; cum res humanas æstimo, nihil tam syncerum in eis statuere licet, ut generalem rationẽ de illis constituere poßis: mutantur ætates & cũ illis mores, ita tamen ut nunquã ex uipera agnũ, aut ex agno uiperã fieri speres. Adolescẽtiũ & puerorũ ut sunt animi instabiles & à ratione ac cõsilio magis alieni, ita etiã rara ab illis gratia rependi solet. Senes uerò ob timorem & auaritiam & ipsi parum grati esse solẽt: multa interim occurrunt quæ etsi naturã nõ mutãt, mentis tamẽ deliberationẽ uertũt modo in hoc modo in illud. Cogita oẽs homines quicquid faciant sui causa nõ alterius cuiuspiã facere. Siue gratias reddat, siue sit ingratus, liberalis, auarus, ac eiusmodi omnia propter seipsos faciũt. Colimus deos, nõ illorũ causa, nisi admodum sapientes, sed ut bene nobis sit, aut ut pietatis nomen consequamur, solum in cru-

delitate & misericordia potius naturæ uim sequimur quam nostram deliberationem. Ergo cum hominũ uariant mores, illos à natura & deliberatione proficisci puta, quos habet dum maximè liber est & prudens, & quos quasi sponte exercet, tum uero in maximè necessarijs. Quos ergo ui potius quam natura uel consilio ingratos esse animaduertis, in hos conferes beneficia. In eos autem qui ob inuidiam ingrati facti sunt, aut qui consiliò & improbitate, conferre beneficia stultum fuerit. Sed si ab his tu beneficia acceperis clam alijs reddes, ut re non exemplo gratus in eum sis. Iam uerò ut uideas ingratorũ numerũ, quotusquisq; non iniurius est in Deum, à quo ipsam uitam, mentem, incolumitatem, ipsum, hoc frui mundi pulchritudine adeptus est. Quædam etiam gentes non tam illum ignorant, quam nescire nituntur: ut qui amplißimam regionem Tartariam appellatam sub Borea incolunt. Et Indi occidentales. Inde in reges qui stipendia, dignitates, potentiamq́; cõsequuntur, nihil minus quam illius causa faciunt. Hinc auaritia, ambitio, inuidia, amicitia, odium, spes, amica omnia regis uoluntati atq; utilitati præponuntur. Cicero homines septem rebus ad deliberandum comoueri tradidit: Beneuolentia, beneficiorum magnitudine, præstantia eius de quo deliberant, metu, spe utilitatis, nec non largitionis et ipsa largitione: ijsdem etiam causis ad parendum alicui incitãtur. at ex omnibus his nulla non prior est regis utilitate, ubi mentem alia ex his

causis

causis occupauerit. nam nō omnes ab omnibus irritantur. Multi enim sunt qui neq; spe paruarū rerum, neq; exiguæ largitiōis, nec ipsa exigua largitione tāgūtur. In parentes quoque quam rari grati? in reliquos multo minus.

Est etiā perfidus ingratus, ingratusq; perfidus: quod eo nomine quisq; beneficium recipere creditur, quòd ubi occasio euenerit repensurum sit. Iam qui fidem frāgit eo ingratus est quòd ille confisus est in eo, ipse autē gratiā non reddit. Hæc igitur cum sint summa mala, nil mirum si sint affinia. Quis autem eorum deterior? certè ingratus, nam ei beneficium credidit atq; in eū contulit: ille uerò solum ei credidit. Quocirca ingratus perfido deterior. Vt facile sit paululum mentem adhibenti perfidos cognoscere, sed de his infra. Verùm cum sæpe contingat ut in uita humana fieri solet, ut uicißim multi multa conferant atq; recipiant beneficia ab ijsdem, mutuoq; se ingratos appellēt. ob id scire oportet à quo prius benefaciendi initium duxit, & quænam maiora, & quas ob spes. Sæpe enim multi benefacere incipiūt, non ut benefaciant, sed ut recipiant: cuiusmodi ille grāmaticus fuit qui & prius carmina in Augusti laudem scripsit, & pro acceptis carminibus stipem obtulit: nemo enim sane mentis aut in carminibus offerendis, aut stipe beneficium grammatici laudarit: quòd nullū esset tum ob paucitatem muneris, tum accipiendi potentiā tū quia præstabat ut acciperet. Ergo in ingrati officij

iactura quã maximã & frequentißimam esse docui, et prudenti consilio & statim occurrere decet. Captabit uerò ut apud Plautum Euclio occasionem seruandæ rei, si iacturam pepererit ingratus aliquis, ob idque dicat:

Quid si quispiam ignem quærit? Extingui uolo,
Ne causæ quid sit quo te quisquam quæritet.
Nam si ignis uiuet tu extingue extemplo:
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet,
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quæ utenda uasa semper uicini rogant,
Fures uenisse atq; abstulisse dicito.

Ergo nemini inseruiam? nulli quicquam accõmodabo? minimè. hoc enim esset omne officium ex humana uita, sine qua stare non potest, tollere, ac imitari Ambrosium Aliprandum Iurisconsultum ciuem nostrum, ad quem consulendi causa Bonromeus Princeps Philippus cum uenisset, atq; inter loquendum, ut multi solent, forficulam manu tractaret, Aliprandus inquit: omittite forficulã, nam diebus his cũ quidã ad cõsulendũ me uenisset graphium sustulit. omißit Bonromeus simplicitatem hominis admiratus. Dein cum inter loquendum credo cogitatione multum intentus uerbis, nam de re magna ut opinor tractabatur, rursus forficulam tractaret, quasi indignanti similis Aliprandus omittite inquit illam, si uultis ut rectè uobis poßim consulere. admonui enim uos quempiam his diebus

tum sub specie consulendi uenisset, furto sustulisse graphium. Omisit Bonromeus forsiculam, plusq; illius scientiæ iuris tribuit & negocio serio quam stultis interpellationibus. Scripsimus tamen de huiusmodi uiro multa risu digna in libro callidarum technarum. Sed ut ad rem redeam, hoc ipso mali ingrati officio habes quo poßis indignos à petitione repellere, dignis ac merentibus inseruire. Quibus uero nolis nec deceat, bonis uerbis satisfacies. durum enim est onerare hominem grauibus dictis quem factis iuuare nolis. quandoquidem etiam benefacientium (multi aspera dicta magis horreant) quam recipiunt gratam habeant: ut ergo syncera aqua uentriculo onerosa est, sacchаro mixta non ita, sic meliflua uerba pro facti dimidio sunt. Si ergo commodè inseruire te non posse ostendas, si exemplum prioris iacturæ, specie saltem amici manebunt, nec de te conquerentur: aut malam famam spargēt, nec multos pro uno amittes. Pura enim repulsa nō sine cōtēptu esse uidetur. ob id durior sanè quam ut animo beneuolo ferri poßit. Eam etiam hi qui amāt ueritatem difficilius effugere possunt. quamobrem uerax his temporibus maiores inter perplexitates uersatur. Grauior igitur repulsa, est contemptus & maioris æstimatur. caue ergo ne quenquam contemnere uidearis. Ego olim cū lyras quatuor mutuo dedißē, soluūq; tres recepißē, noui nil mutuo daturū, nisi his quib.

etiam si dono eadem dedissem haud pigeret. Sic eo uoto multis incommodis liberatus sum. Adeò enim quorundam impudentia creuit, ut etiam ignotis maiore uerecundia deneges quod petunt, quam illi flagitent. Nuper adolescens uadimoniũ à me triginta aureorũ coronatorum tam perfricta fronte, tam constanti uultu requirebat, ut frater à fratre non securius fuisset petiturus: cum tamen illum nec è facie agnoscerem. Quòd si alteri mutuum dedisse quis obiecerit, respondebis maluisse ut ille dono accepisset, postquam tantũ ei debueras. Ergo quibus mutuo dandũ, quibusq; beneficia impertiri deceat, paucis accipe.

Scripsit Lilius Grægorius nostra ætate libellum de de ingratis sanè acrem & elegantem, quo uitium hoc detestatur, adeoq; ut etiam homines ab hoc uitio absterrere conetur. Sed sanè luserit hic operam, seu ingrati natura, seu consuetudine consilióue fuerint. Horum enim uno tales fiunt: nam cũ uitia quatuor modis coërceri ac depelli soleant, religionis instituto, Gloriæ spe, legum seueritate, ac rationibus quibus id ostendamus quod laudare uolumus esse utile, quod uituperare inutile, nullo horum effici potest ut ingratos à suo proposito dimoueamus. nam quod ad fidem religionemq; attinet non eousq; (ut cætera omittam impedimenta) processisset ingratus, si uel minimam partem aut beneficiorum, aut pœnarum expectandã esse crederet? Gloriæ studium, uirtutis honesti decor adeò inter mortuũ

est, ut

est,ut ne chœnicæ lupinorum illud emerim. Omnia pecuniæ atq; potentiæ deduntur. Ex tribus temporibus duo amisimus,o grammatici,uobis certamen hoc relinquo. Neq; qui fueris curo, nec quid futurum sit curare debes,sed qui sis,quid habeas, impar pugna tanto errori euellendo,tali monstro fugãdo. Et si par esse potest, impar his armis gladiator(mihi ignoscat)futurus erat. Oportebat Ciceronem aliquem aut Cratippum uel Hægesiam declamare: sed uideo facilius posse expugnari uiuendi cupiditatem quam auaritiam, aut ingrato persuadere ut beneficiorum memor esse uelit: leges ipse in tãto crimine silent aut torpẽt, uel hallucinantur. Quãtumq; aduersus hanc beluã possent uisum est in Atheniensibus,qui cum de ingratis seueram legem tulissent, nulli eo populo magis aut sæpius ingrati fuere. Iam rationibus pugnãdum esset, sed quia ab utili honestũ,ab inutili turpe non secernũt,horum nullus ingratus erit, quia autem aliud utile ab honesto statuũt,nec conabor persuadere nec forsan potero. Quid etiam quorsum hic labor? in cæteris gratiam referre posse sperabam, ab ingrato gratiam sperare insanientis est. Est ingratus mortalium pessimus tribus præcipuè ex causis: prima quod omni genere uitij sit coinquinatus, auarus, ambitiosus,crudelis, infidus, mendax: deniq; nõ improbus,sed ipsa improbitas atq; nequitia. Secunda quod in eos maximè peccat in quos minus,etiamsi peccare liceret licet,scilicet in Deũ,patriã, parentes & beneficos,

Tertia quod ipsam hominum coniunctionem dissoluit qua omnia illi bona cõstant. trib. enim cum præstemus cæteris animantibus, intellectu, nam cõcordia hac ipsa tamen sola superiores sumus illis atq; hanc ἀχαριστία *euertit à Deo, ut ciuitatibus nihil pernitiosius esse poßit: fures, latrones siccarios ipsa ciuitas ferre potest, ingratos ferre non potest. Quis enim alteri auxiliabitur? quis filium alet? quis parentes fouebit aut nutriet?* Ergo *erit hic ciuium consensus? aut cui bono.* Reliqua *uitia omnia in inimicos, in incognitos, alienos, in eos feruntur quibus non constat ciuitatis ratio: hoc solum crimen contra eos sæuit quibus maximè sumus cóniuncti: dum iungit, dirimit, dum unit, diuidit, dum colligit, abrumpit, dum seruat, perdit. quid hoc ipso iniquius excogitari potest?* Itaque *gratiæ memorem inter tot pericula, sui uxoris, filij, gentis, fortunarũ,* Virgilius *sanum* Aeneam *facit:* Dum *neque sine sene parente* Anchise *discedere uult, & dum ille annuisset, sublatum in humeros per media penè inimicorum castra detulit ad naues. Sed quorsum in* Didone *ingratum facit falsa cum historia? quem præstitisset à tam nefando crimine etiam si uerum fuisset, uel silentio liberasse.* Existimo *nos docere uoluisse propter publicam utilitatem etiam proprij debiti nos debere esse immemores. Sed non sufficiebat hoc. nam publicæ utilitati per priuatum sufficere potuit beneficium: quomodo enim*

in Italiam peruenire potuisset, nisi refectis apud Didonem nauibus? ob id quatuor adiecit huic excusationi præsidia: primum quod apulsus eò fuit ui, non sponte, secundum quod mandato deorum discessit, & Dido etiam non sponte hæc peregit, sed à cupidine decepta: Tertium quòd nihil admisit contra illam; quartum non sperasse quod neq; uerisimile fuit illam sponte se occisuram. Ipsa queritur:

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas?

Iam illud Aeneas
Fassus sponte erat ante dicens:

Ego te quæ plurima fando
Enumerare uales, nunquam regina negabo
Promeritam.

Excusat aũt se in sexto, ut dixi, de ultimo hoc his uerbis: Nec credere quiui
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.

Et rursus:
Funeris heu tibi causa fui.

Hæc poterant ex uerace ore excusare ἀχαριστίαν. at inter heroas connumerari non meruisset, ni mendacio mortem prætulisset. Hac enim præcipua causa dijs homines gratos fieri docet Homerus, cum dixit:

—— Ἀλλὰ φρονίμῳ τε δικαίῳ ποίησας.

Et apud Sophoclem δίκαιος γόνος uerus filius.

Δίκαιος

Δίκαιος enim uerax est, & omnem complectitur uirtutem. Sed poëtis multa licent cum præter historiæ seriem: adsit orationis ornatus, affectuum motus, sapientiæ obumbratio, morum exempla, personarum decor, ac delectatio non parua. ad sapientiam enim peuenerunt uelut hi qui ex carcere exeuntes in dubia luce primum res inspicere gaudent, nam à claro prorsus obcæcantur: ita qui rudes omnino sunt uelut etiam pueri, in sapientiæ uestibula per poësim introducuntur, delectatione etiam adiecta. Ex quibus ad penetralia per philosophiam postmodum patet ingressus. Sed præter cætera personarum decorem poësis seruat, non solum excellentiæ, ut Deorum, Heroum, Regum & plebeiorum, sed muneris, ut ducum & militum, ac affectuum ut stultitiæ, timoris ac iracundiæ. Miscet tamē indigna dignis quapropter studiosè legenda. Et imitatione personarum uelut illud:

Aude hospes contemnere opes, & te quoq; dignum
Finge Deo, rebusq; ueni non asper egenis.

Euander Graius senex & rex loquitur inter sacra Alcidis qui fuit pauperrimus, quamuis diuitijs nescio qua ratione cum Iunone illum præfecerint. Itaq; multipliciter decoris ratio seruata est à Virgilio. Illud eos defendit quòd alij alia sentiãt. Crudelitas apud Tartaros uitium non est, formido maximum uitium. Quidam etiã parentes edere impium non putant: nos grauius scelus carnes humanas edere existimanus quam ipsos homines

mines occidere. Ita creditum est nullum esse uitium, nullum scelus, sed constare omnia legibus atq; consuetudine. Verum non hoc idem dubium est in ingratis, quos omnis lex atq; consuetudo damnat & aspernatur. In hoc solo discrepant quòd barbari ingratum neminem esse putant, qui beneficium alienigenæ non reddiderit: ciuiles homines in omnes eisdem sacris initiatos, in cæteros non ita: Probi in omnes gratos esse debere censent. Nam etsi in Scythas officia cōferre superuacuum sit, cum tamen ab illis afficeris beneficijs, iam ille nomine gentis suæ indignus haberi non debet.

Ergo summum studium, summa diligentia adhiberi debet in officijs præstandis, ac beneficijs impertiendis suscipiendisq;. quandoquidem si in gratos contuleris felix eris, si in ingratos infelix. Quāquam in gratis non sufficiat ipsa animi uirtus, sed etiam potentiam requirat. Decrepita ætate senex, & pauper inualidus tametsi grati sint, ab altero non expectare debes beneficium, alter uerò etiam tibi oneri futurus est. Non tamen illū qui suæ uirtutis speciem blandiente fortuna sæpius præbuit, despicere oportet. Cum enim non ut Timon in solitudine uiuere uelis: etsi nulli beneficium impertieris à nemine sis accepturus, necesse est in collocandis beneficijs maximam ponere diligentiam, summaq; prudentia uti. Id ergo quatuor rationibus constat: prima ne tu ipse ingratus sis, nam hoc deterrimum est & uitio ipso, & infamia, & iactura atq; in uita ciuili. Secundū

ne etsi

ne etsi tu gratus sis, ita tamen agas ut eos cum quibus uersaris ingratos reddas. Tertium ut ingratos à gratis discernere queas. Quartum ut poßis ipsa beneficia conferre: plurimos enim scimus gratos esse homines, in quos uel quia illis amicitia coniuncti non sumus, uel ob humilitatem fortunæ nostræ, uel etiam ob ineptiam quandam beneficia collocare nobis non licet. Est etiam cõsyderatione dignum scituq; necessarium, homines illos qui grati sunt plures plerunque habere amicos: cogiq; in plures ut beneficia impertiantur. quo fit ut nouis amicis operam dare non poßint. Quo fit ut multa sæpius nobis à mediocris fortunæ uiro beneficia consequamur, quam à principibus: non quòd plura non possint principes, aut quòd beneficiorum memores non sint, sed quoniam petunt tot, ut uel omnibus satisfacere non queat, uel non saltem æquè bene. Narrabat amicus noster Ioannes Petrus Buzius Medicus, ac artis professor insignis non inelegantem fabellam, quæ quia heri dum narratur hunc in locum aptè incidit, recitare illam hic non grauabor. Dicebat ipse contigisse quondam siccitatẽ magnam, adeo ut flumina, fontes, putei, cœlumq; nullas remitteret aquas: uillicus ne cum tota familia ac iumẽtis periret, recordatus aliquando magnam aliâs etiam contigisse siccitatem: uerum in radicibus montis fonticulum inuenisse, eo perrexit, nec frustratus spe, aquam sed non multam inuenit: rediit domum, & affinibus peculiaribusq; amicis conuocatis dixit,

xit, fontem inueniſſe, ſed ea lege deducturum illos ut ordine quiſque biberet: primum ipſe cum uxore filijsq;, inde amici atque affines, poſt boues equiq; ſui, tum armenta, itidem ſuo ordine & aliorum. Aſſenſerunt illi poſtquam non haberent, quod ſibi promptius occurreret, auxilium. Erat uillico illi domeſtica pica, quæ cum ordinem hunc audiſſet, ſecum dixit: dominus meus etſi me ducturus ſit ad fontem, cum tamen tot mihi præferantur, aut fons ipſe certè ſiccabitur, aut antequam omnes biberint ego ſiti inteream. Itaque aquam aliò quærere non niſi meliore fortuna poſſum. Multi cum cogniti ſint principibus, ſolum id cogitant quantum illi poßint, non quantum ſibi illos beneficijs deuinxerint, aut quod habeant illi apud ſe uel magis coniunctos, uel magis gratos. Quare melius forſan fuerit in fluuio exiguo piſcari quam in mari, tametſi mare longe plures piſces ac grandiores habeat. Melius eſt longè perſæpe in mediocris fortunæ uiros beneficia, aut paulo maioris quam mediocris collocaſſe, quam in ipſos principes ob quinq; cauſas. Prima, quòd princeps intelligit beneficium illud ſpe potius quam amore in ipſum conferri. Secundum, quod eo beneficio nõ ut mediocris fortunæ uir augeri ſuã exiſtimationẽ putat, nec magni fieri à te ut ille: nec ſi exiſtimet illud curat, aut credit alios hoc exemplo moueri debere. Atq; etiãſi id credat parum referre putat hoc. quoniã potentiam ſuam non ob id augeri ſperat, quæ omnia in priuatæ conditionis

uiro

uiro sunt. Tertium, quòd tot competitoribus aut nunquam par beneficium reddit, aut tam serò ut omnia expectatione illa diuturna tibi pereant. Quartum, quòd non audes ab illo repetere ut à priuato. Etsi modo repetas, non audes omnia illi tam ex ungue explicare ut amico familiari. Demũ quod maius omnibus est, quod hac spe fretus multa audes, multa audent tui quibus euerteris: dum neq; tu illis satisfacere potes, neq; princeps uult. Visum est nuper in filij mei miserabili casu, in quo bifariam Patrocinium principis Suessani nos perdidit. Filium quidem qui cum putaret iustè ulcisci, sperabat stultè quidem defensum iri ab illo: me autem non tam stultè licet infelici euentu qui in illo confisus certiorem salutis spem deserui. Quis dubitat si non me adeò in illius nomen pronum uidisset filius, non talia ausurum? nec de hoc conqueri dignum est. amentiæ enim illius fuit, non principis peccatum, nihilominus ex confidentia illa ortum fuit infortunium. At de mea in principem fide aliud statuendum esset. Sed, ut dici solet: Manum ad os apponere oportet cum de principibus loquimur. Interiere Augusti. Illud tamẽ sæpe me cum recordatus quod apud nos dici solet: umbrã principum stultorum pileum esse. Quamobrem consuluerim probis uiris, ne principibus inseruire omnino uelint? Sed sinamus eos illis qui uerbis solis & specie officiorum, non officijs & uirtute gratiam illorum mercantur. Quorum nihil interest quomodo domini sit,
sed

ſed ſolum curant ut ambitione atque opibus ipſi alios uincant, habeantq́; ſua labra lactucas. Odio me fuiſſe dijs non ob aliud eſſe exiſtimaui, quam quòd immerentibus fidem, uirtutem, conſtantiam, innocentiamq́; ſeruire uoluerint: Rectius Alciatus Curtiusq́;, tametſi libros de utilitate ex aduerſis capienda non ſcripſerint, præcepta illius tractare nouerunt, ſibi ipſis uiuentes: at mihi hoc infelicitatis etiam inter reliqua fuit, ut nihil ſciuerim ulla in arte aut negotio, antequam methodum in illa aliquem conſcripſerim. Quod non obiter contigiſſe exiſtimo, ſed ut ad communem utilitatem his in rebus quibus mihi uſui opus eſſet cōſcriberem. Sic Dialecticam totam Ariſtotelis, Galeni et Euclidis octo ſimplicibus chartis plenè ac ordinatim conſcripſi, quod utinam opus quod iam triginta annis facere potuiſſem, feciſſem. Sed non ſunt noſtra hæc, uerùm ut reor Dei munera. Medicinā uigintiſeptem: mores hoc uno opere, ludum latrunculorum quòd eò plurimum oblectarer, pluribus fermè quā oportuit chartis deſcripſi. Philoſophiam XXXVIII libris de Subtilitate & de Rerum uarietate amplexus ſum. Aſtrologiam quatuor commentarijs in Ptolemæi libros deſcriptis. Theonoſton ſex. Has ſeptem diſciplinas & neceſſarias, & in methodum deducendas ea ratione duxi, ut ad uoluptatem ueram Theonoſton conſcripſerim, ad uulgarem et familiarem de latrunculorum ludo. Dialecticam ad rectè conſcribenda opera, ad dijudicanda, ad explicāda,

ad inueniēdā quæ quærimus, & ad profitendas disciplinas philosophiæ libros, quod turpe existimarē nescire quidnā essemus & ubi. Medicinæ aūt præcepta ut in promptu haberem, quæcunq; essent ad ægrorū curā et prædictionem necessaria. Astrologiā ductus admiratione rei, libros hos tanquā totius uitæ peragēdæ honestè uiaticū. Quòd si quis expungere Astrologiā & latrunculorū ludū ex hoc numero tanquā minus necessaria uelit, nō reluctabor, modo sciat methodo exactißima illa conscripta esse. Cæterū minus necessaria, et tamen etiā diligētius scripta intelligat Arithmeticā, Geometrica elemēta, Musicā, septē libris de Arcanis Aeternitatis, et quatuor de Fato. Reliqua non methodo absoluta sunt, quāquā plures magnifaciāt ob ea quæ à nobis audierunt cōmentaria in Auicennā, in Artē medendi Galeni, in Aphorismos & cōtradictiones. Ergo si qui eruditi qui pauci sunt, aulas frequentant & his magistratibus grati sunt, è quorum numero Delphinus ipse est amicus noster uir insignis; nouit quātis laboribus rem ipsam sustineat. Ergo quandoquidem tam pauci huic negotio ex sapientib. probisq; apti sint, paucioribusq; etiam res bene cedat, unáq; sit hæc tantum uita, unūq; uiuere, ut beneficia in amicos potius collocet: atq; ut illis antiquorū more librorum nuncupationes dedicet quā potētiorib. uiris. Sed si nō re, uerū uerbis & opera seruili tū adulationib. paratus sit principib. placere, et meliore quæstu ut faciat consulo, & Neoptolemi uindicta.

Ergo

Ergo ut ad rem redeam, nihil cũ sit deterius quam ingratum esse, quomodo illos cauebis aut ne efficias prouidebis, si tu ingratus fueris? ipso scelere deterior factus, quam si mille ingratos fuisses expertus. Qui enim ingratus est beneficij accepti dulci memoria destituitur: & uirtute quæ ad gratiam referendam stimulat priuatur. Exemplo quoque alios docet ut parem gratiam referant: scilicet ut et ipsi sint ingrati. Itaq; primũ illud præstare hominem decet, ut neq; factis neq; moribus aut cogitatione se ingratum ostẽdat, si ab alijs gratiam expectare uelit. Verum animum illum quem à Deo nitidũ & pulchrũ accepisti, si nec sapiẽtia nec bonis moribus, sed sordidis affectib. repleas, quid aliud agis, quam si acceptã à rege pulcherrimã ueste̋ maculis totam fœdares & cœno conspurcares? Nónne in illius contumeliã id fecisse uidereris? cũ ergo homines hanc tuam uestem adeò sordidã uiderint, quid turpe aut indignum in te admissuros existimare poterunt, quod in tuam iniuriam cedat? etiamsi illos innumeris beneficijs affeceris? ut enim non ueremur principum proditores quamuis de nobis minimè malè meritos, etiam sanguine coniunctos uel amicos explodere domoq; eijcere: ita improbos & in Deo ingratos nemo contumelia & iniuria indignos iudicat. Piũq; esse ducit erga illos esse ingratos. Quod etiam in Põtificio anathemate explicari solet. Si quis alloquatur, faueat, iuuet, aquã aut ignẽ illi præbeat? Idq; erat olim apud Rõ. Aqua et igne

interdicere. Absurda est enim opinio illorum nõ solũ impia, qui Deos ob id minus ueneratione dignos putant, quòd cuncta necessitate quadam facere uideãtur. Nam primum cum res humanæ atque præcepta tribus constent: persuasione populari, ueritate, & utilitate: de duobus primis nemini dubium est deorum uenerationem esse necessariam. pij enim apud omnes ex hoc habentur, & id adeò necessarium est, ut tyranni ad securitatem, religionem, usq; ad superstitionem etiam fingãt. Quòd uerò maximè Deo debeamus. quomodocunque agat, & ut memores beneficij, & recta uiuẽdi norma haud dubium esse debet. Si enim propter utilitatem tantum grati esse debemus, neq; parentibus decrepitis, nec his qui discessuri sunt, redeuntes in patriam suam longinquiorem: nec morituris nec multo minus mortuis gratiam reddemus ullam. At quis non adeô durus est ut sepeliat parentem. Memoratur insigne exemplum Simonidis poëtæ, qui mortuum in littore maris inuentum sepeliuit: sequenti nocte monitus ab illo ne nauigaret, paruit, quotquot naues discessere naufragium fecerunt & submersæ sunt. Autor Valerius maximus. Necessario agit inquis, quid illi debeo? quid utilitatis referam? Scito ita Deum agere necessario, ut omnino liberius agat quam nos. quippe qui nullum habeat seipso maiorem. Aut ergo omnino liber agit, aut si aliqua est necessitas illa sibi ipsi imponit: uelut pater qui maiore necessitate urgetur ad benefaciendum filio ob amorem

amorem quam seruo: an ergo ob id minus à filio diligendus erit, quoniam necessitate maiore benefaciat? quin potius & maiore amore & gratia dignus est, quòd eam sibi necessitatem deliberatione stabili benefaciendi imposuit, & ut perpetuò prodesset statuit. quo fit ut Dei beneficium maximum sit, & gratia dignissimum. Quòd etsi non indigeat gratia Deus nec iuuetur, attamen nos quod debemus præstamus, nostroq́; munere fungimur. Lachrymæ gemitusq́; quas pro mortuis necessarijs fundimus, quid illis aut nobis prosunt? fundimus tamen quia dignum est deflere charissimos. Quòd si quid in illos deliquerimus, uiuentes haud dubiè nobis remittunt iniuriam. Gratia nunquam perit, si illi retribuere non possunt, retribuunt dij, cor & animus à conscientia liberatur. At non prosum Deo, uel mortuis? cum regem ueneraris quid illi prodest? Et tamen pulchrum est uenerari reges, atq; illis iucundum. Qui indigent nostro auxilio, beneficium ab utilitate metiuntur, qui non indigent à decore. At mihi hoc saltem inutile erit? quid primum amittis Deum colendo? deinde qui scis an necessitate agant? Deinde si etiam necessitate agunt? sapientia illa quæ infinita proculdubio est, uenerationem simul ac compensationem coniunxit. Si non omnino hic cuncta redduntur, à morte et in tuos posteros beneficium expectare oportet. Quis nostrum est qui non ob merita patris non honoret filios ac illis faueat? Cur leges filios in bona paterna semper

in honores plerunq; admittunt? Cur C. Caligulæ monstro humani generis imperiũ delatum, nisi ob Germanici uirtutẽ? Cur Mamerco Scauro Cõsulatus dignitas, cum ille esset sordidißimus, nisi memoria Scauri ueteris? Quam memoranda illa Senecæ uerba in libris de beneficijs? deos uerisimilius est ut alios indulgentius tractent propter parentes auósque: alios propter futuram nepotum pronepotumque, ac longè sequentium posterorum indolem. Nota est enim illis operis sui series, omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ex abdito subit. Et quæ repentina putamus, illis prouisa ueniunt & familiaria. Non est ut quisquam de diuina prouidentia ac gratia dubitet? Si benefeceris quod longo tibi uidebitur tempore, post futurum diuina bonitas compensabit: nos fallit expectatio seu diuturnior uita nostra, seu etiam pro æstimatione nostra longior: multa fiunt propter præterita, plura ob futura, plurima ob replendos Fati inter medios simus: omnia tamẽ æqua lance pensantur atque procedunt. Ob id non insulsè ille rogauit Christum, an cæcus is peccasset, an parentes eius. Quæ putas felicißima dum ad statum properant & ad interitum. Tu tamen admiraris & inuides. o stulte? fabella hæc rustici est, qui cum omnia impetrasset quæ optauerat, nullum alias deteriorem frugum prouentum expertus est unquam, quod uẽtorũ nõ meminisset, nescimus quid petamus, quid expediat,

pediat, imò nec quid prorsus uelimus. Deinde à suprema die nihil facient cuncta illa. Sed ea in Theonoston: nūc rem prosequamur, scripsit librū locupletē de sera Dei uindicta Plutarchus. Infinita cōnumerātur exēpla de uindicta deorū ad quartā & ulteriorē generationē. Herodotus meminit de Cræso Lydorū rege, cur cū pius esset à Cyro tamē Persarū rege pulsus & captus sit. Illa omittamus quæ minus certa sunt: Diodorus Siculus refert Agathoclem regem cum in Africam transijsset, prosperè succedentibus rebus, Ophellam regem Numidiæ ulterioris, amicum solicitasse ad commune cum Carthaginensibus bellum: eundem sine causa dolo occidit, fortunis & exercitu spoliauit: inde et ipse præter omnem spem post paucos annos scilicet tres aut quatuor coactus est cū nauicula fugere, totum exercitum duosq; filios crudeliter necandos Carthaginensib. relinquere. Ego dira patior: Deus tamen mihi testis est, quāquā in intolerabili dolore; nec cogitatione minima conquestū apud Deum, sciens quòd quecunq; ille agit, iustè agit. Ille filiū iuste obtulit pro humani generis salute, ut lex nostra docet: at nil hoc excusat quin Pilatus & sacerdotes execrādi non sint. Etiā si Christus (quod esse prorsus nō potest) peccasset. quādoquidē excusatione digni esse poßēt Iudæi, quod legē illorū euerteret, si ob studium legis illum dānaßēt; erraßēt. n. solum nō falsam tulißēt sniām: sed ob inuidiā cū neci tradiderint nō ob studiū legis nō errarūt, sed ob improbitatē iustitiáq;. Ergo

Ergo ut ad rem redeam, in deos nos sumus ingrati semper, illi in nos ut dixi, nũquam. nam cum morimur quantumuis longa ætate, querimur, quòd nimis citò hinc exeamus, inde flentes atq; gementes: nonnunquã etiam deos accusantes digredimur. Quantum uixerimus, quantum uoluptatis cæperimus interim nõ recordamur, non illis gratias agimus. Si ob dolorem mortis ac metum tolerabile, si ob temporis breuitatem ingratæ mentis. Quo in genere etiam Theophrastus quamuis philosophus grauissimus non parum peccauit: pulchrè quidem dixisse uisus est, sed quasi scommate aduersus deos usus, tum minimè hoc illo dignum: ut qui ad extremam peruenerit senectutem, paulo minus quam centum expleuit annos.

Ergo ut neminẽ ad ἀχαριςίαν factis tuis inuites, duplicem scopum habere oportet, diuinum humanumque: diuinus probitate constat. probitate enim omne illud uirtutum genus comprehenditur, quibus ad cohibendas animi perturbationes & impetus opus est. Nam uirtus inquit Cicero, tribus constat: hoc ut dixi, genere, tum scientia rerum altiorum atq; sapientia, tum usu moderatè ac sapienter cuncta administrandi. Probitate igitur opus est ad scopum diuinum obseruandum, & ut homines exemplo tuo aut iniuria ad ἀχαριςίαν non inuitentur: probitatis in unaquaque specie duo sunt fines, excessus qui nomine improbitatis etiã defectus, qui ignauiæ declaratur. In humano uerò cauere

rò cauere oportet, quod & aliàs diximus, inuidiam, odium & contemptum. Inuidia ostentatione paritur, odiũ iniuria, contẽptus impotentia. Et inter reliqua bona, quæ quasi occulere decet, maximè uirtutem occulere oportet. Ita & exercere & occulere quod arduũ est necessarium est. Nam uirtus omni alia re magis inuidiam excitat plurimas ob causas. Prima quod nec pecunia nec dolis, quorum apud multos abundantia est parari potest. Secunda quòd in pauperib. maximè niteat, quos aliter despicere solemus. Tertia quòd certè summum bonũ sit atq; diuinum, quodq; nos similes dijs efficiat. Quarta quòd nobis propria sit, cum opes et amici fortunæ bona censeantur. Quinta quòd non ut opũ et reliquorũ bonorũ tam facile poßint esse participes reliqui homines. ideo nõ sperant, et ubi nõ sperãt inuidẽt. Sexta quòd à pluribus quã reliqua bona laudetur, nec solũ ut illa laudetur, sed etiã sit in admiratione. Septima quòd ubi parta sit, ut retineatur nullo labore prorsus indiget, cũ reliqua bona nisi curaueris diffugere soleãt. Iniuriã quamuis facile sit non inferre odiũ, tamen difficile est effugere: quòd non solum ob iniuriam quæ infertur alijs quamuis hæc præcipua causa sit, sed eam quæ à nobis aut coniunctis nostris accipitur: tum inuidiam grauem & metum etiam, tum odia necessariorum odium in nos conflatur. Solet etiam ambitio odium & inuidiam parere, ut nimia humilitas contemptum.

De conferendis autem beneficijs ut gratos qui recipiunt experiaris: primum illud proponere oportet: nõ semper beneficio esse conferenda ut gratiam recipias. Namque in amicos beneuolos, mendicos, senes, infirmos, generaliterq́; in bonos Dei amore beneficia conferenda sunt, absq; compensationis expectatione. Estq́; id optimum etiã atq; syncerum beneficiũ. Deinde omnibus tũ his tũ alijs ita expedit benefacere, ut quamuis gratiam non expectes, sic tamen agas ne ingratos illos efficias. Ergo ut ad rem redeam, non solum ex Christi sententia & optimi cuiusq; philosophi, sed etiam sapiẽtißimi Aristotelis, & amicis & indigentibus boni uiri proprium est benefacere: tum etiam generaliter omnibus, sed illis, ut dixi, præcipuè. Etenim quæ chara habentur, fortuna atque iniuria auferre potest, beneficium non potest, licet quandoque beneficij fructum. Propterea bene dixit M. Antonius apud Rabirium poëtam:

Hoc habeo quodcunq; dedi.

Et apud Horatium:

Cuncta manus auidas fugient hæredis amico
Quæ dederis animo.

Eligendus est ergo cui impartiaris beneficium talis, ut etsi nullam gratiam referat, non pigeat tamen impertisse: scilicet probus, Innocens, Beneuolus, Simplex, Memor, Sapiens. In hunc tum in cæteros sic conferenda sunt beneficia, ut aptè prudenterquè con-

feras. Aptè quidẽ. quoniã cum omne beneficiũ in trib: generibus repositũ sit, in uitæ necessarijs, utilibus, iucũdis, mãsuetis: quæ uitæ sunt necessaria in tria genera distinguuntur, in ea quæ uitam seruant apertè, ut cum hominẽ à latronibus tuemur, aut proscriptũ occultamus, aut educimus è carcere damnatum ad mortem: aut cũ eum quem iratus princeps prosequitur, ad fugam hortamur atq; fugientem protegimus: atque in his quanto grauius est periculum, tanto maius proculdubio est beneficium: Secundum genus est eorum sine quibus uiuere nõ debemus, ut bona mẽs, pudicitia, libertas, incolumitas. Tertiũ, sine quib. nolumus, ut liberi, cõiux, penates, existimatio. Vtilia uerò sunt opes, amici, gloria, potẽtia, honores. Iucũda aũt ut Asturco, Pictura, Ectypa. In omnib. his oportunitas & raritas pretiũ addũt rei. Importunũ. n. est cũ poma iã ubiq; habentur, poma donare tametsi ægregiæ nobilitatis sint. Tã grata erit pica expeditè loquens, quã mutus psittacus. Tãtũ uerò potest raritatis opinio, ut cũ ad Alexandrũ regẽ ambitiosissimũ misissent Corinthij legatos, qui inter cætera munera retulerunt illum ciuitate donatum, atque ille qui orbis pene dominus erat, quasi indignaretur, nedum aspernaretur, dicens: Quid hoc tanti? illi responderunt, soli Herculi præter eũ hoc munus concessum fuisse: tanti fecit ob hanc raritatem comparatio nemq; ad hæroam illũ, munus id ut libenter acceperit.

Dandũ est autem libenter, citò, sine dubitatione, & ut

una

una regula doceam omnibus quæ tractãtur communi, sic ut uellemus accipere. Eoq; modo etiam gratiæ agendæ,ut cuperes tibi reddi. Nihil aũt in hoc genere acerbius, quam quod iam impetrasti ut habeas, denuo rogandum est:contemnenda sunt illa beneficia quæ à quibusdam difficilius est accipere quam impetrare. Sic unum ab uno per multorum manus teritur:ut tãtum autori gratiæ pereat,quantũ est quod cuiq; debemus qui rogandus est.nihil autem æquè amarum quam diu pendere. Hoc faciunt aulici, quorum tanto maius uidetur beneficium, quo pluribus & cum pluribus simul ostentatur.Itaq; in dandis beneficijs lenti,in ira uerò præcipites sunt. Fabius Verrucosus beneficij hoc genus duri panem lapideum uocabat, quem & accipere inutile et dare inglorium & sine fructu: licebit quoq; bona uerba bene dantis nõ.affectata sed simplicia adijcere.Qualia sunt quæ Seneca magno studio conscripsit, ea autẽ sunt: Irascor tibi quod cum aliquid desyderasses, non olim scire me uoluisti, quòd tam diligenter rogasti, quòd quemq; adhibuisti. Ego uerò gratulor mihi, quod experiri animũ nostrum libuit, postea quicquid desiderabis tuo iure exiges,Semel rusticitati tuæ ignoscitur. Caue etiam ne exoreris in perniciem rogantiũ: sæua enim bonitas ea est,ut si pecunias ad ludum,arma iratus ad hominem occidendum amicus petat.Vt enim in honestis præuenire rogantem pulchrum est: ita ubi turpia roget indulgere turpe est, & pestifera nefariũ.

Honesta

Honesta uerò quæ cum decore dantur, ut honores & magistratus, publicè dare præstat cætera quæ aliquid cum fortuna cõiunctum habent occultè. Sic pecuniæ, opes, uindicare iniuriam, liberare hominem ab ignominia, ab infamia. Quædam adeò uerecundis, etiam citra id quòd illi sciant. Tanto minus ergo exprobrare iactaréue, ne dicat seruasti ut ostenderes. Nullum etiã beneficium dabo quod turpiter peterẽ: nec petã quod dare nolim. Cum enim beneficium iniuriæ contrarium sit, nulli autem iniuriam inferre deceat. palam est omnibus, modo copia adsit & facultas, beneficium impertiri debere: siue amicus sit, seu probus, seu gratus, seu indigeat, non tamen omnibus dandum, quatenus ille uel est ingratus uel malus uel sæuus, uel non indiget. Non indigenti si dabis sparges, ingrato malo exemplo dabis, improbo facies ut pluribus nocere poßit, sæuus indignus est hominum societate. gratia autem est uinculum societatis. In cæteris dabis nec personæ, nec expectationis, aut gratiæ referendæ habita ratione. Verberamus improbos pueros, desides, fures, nolentibusq; inuisum quando aliter fieri nõ potest beneficium impertimur. Aegro secat carcinoma medicus gratia nõ odio dignus. Nec seruo negligam beneficium facere, nec ab eo accipere dedignabor. Seneca narrat, cum Drumentum quòd desciſſet obsideretur, duo serui à domina aufugerunt, capta urbe dominam cæperunt, educunt extra urbem, interrogant milites quid facturi sint? sup-

plicium de crudelißima domina sumere uelle se dicũt; atq; ita aduersus edictum bis transfugæ facti eam seruarunt. Ruffus ordinis senatorij in cõuiuio iactauerat, se cupere ut Cæsar Augustus, qui tamẽ nondum Cæsar nec Augustus, sed Triumuir potestate eadem crudelitate magis timendus, nunquam ex expeditione reuerteretur: adiecitq; tauros et uitulos etiã hoc idem cupere. Mane admonitus est à seruo eorum qui dixerat, res oculi inter tot conuiuas non poterat. Adijcit seruus consilium ut seipsum deferat. Paruit dominus seruo, occurrit Octauio, dicens heri ebrius cum essem C. Octaui, dixi, me optare ut nunquam ex expeditione reuerteréris, optareq; idem tauros uitulosq;: hoc nunc sobrius optarim potius super me meosq; omnes. Imperauit Octauius ut fidem dicto faceret, summam pecuniæ non grauem, ignouitq; ille domum rediens seruum tãto periculo liberũ statim manumittit, pecuniamq; Octauio transmittit. Ille ut intellexit rem ex pecunia quam petierat æstimatione serui, Ruffo remisit. Nota est nimis historia de stabulario, qui Darium primum ad regni Persarum & Orientis fastigium euexit. Tria enim magna contemni in prouerbio habemus, aliâsq; retulimus: consilia pauperum, meretricum pulchritudinem, robur gerulorũ. Ergo quos beneficio afficimus, quãto minus ab eis acceperimus, eo libentius inspicimus, tanquam nostræ uirtutis splendidum testimonium. Vt tanquam dij efficiamur qui perpetuò benefacientes, beneficium

neficium nunquam exigunt nec recipiunt.

At cum beneficij recipiendi causa benefacis, tum diligenter cauere oportet, in quos beneficium colloces, ratio tamen collocãdi eadẽ est. Neq; ergo in senes, mendicos, stultos, inuidos, ingratosúe collocabis. Vix in Ambitiosos, qui malunt dare quam retribuere. Miseri non possunt, etsi occasio detur aliquando reddendi: malunt tamen uendere alij quam tibi precario donare. Licet tamen pauperi retribuere etiamsi sine pecunia sit. Nec ego si pauper sim & senex metuam accipere beneficium à potentiore, quòd retribuere posse desperẽ. Est unũ quòd nec seni nec pauperi denegatũ est, quo possit gratiam etiã locupletẽ referre. Omitto modo mille occasiones quæ inter uitæ cursum occurrunt. Illud semper in promptu est, ueritatem patefacere qua adeò qui beati sunt indigent, bonumq; consilium præbere. Hæc adeò necessaria potentibus atq; rara, difficilia inuẽtu, ut cum Augustus stultè prodidisset apud populum flagitia filiæ, illamq; in insulam ob id relegasset, ubi resipuit exclamauit gemens: si Mecœnas uel Agrippa uiuerent, non hæc mihi contigissent, adeò inter tot hominũ millia quibus imperabat difficile fuit inuenire duos amicos à quib. & ueritatẽ intelligeret, et eorũ quæ minus mala essent admoneretur. Nõ exigua hæc sunt, non parua, nõ mediocria, nõ magna deniq; munera: sed maxima inter tot adulatores patefacere ueritatem, inter tot anfractus totq; periculosos casus bene consulere.

difficilius

difficilius est inuenire potētiores qui se talibus indigere persuadeant, qui non negligant, spernant, oderint. Quamobrem cum semper his duabus in causis amico (omitto modo ut dixi innumeras alias occasiones) prodesse poßis, seu tu potentior ille miser: aut tu miser ille potens, aut ambo miseri uel potentes, non debemus unquam amico optare infelicitatem ut illi prosimus, ut nostra opera indigeat, ut agnoscat animum nostrum quam erga illum propensus sit. perfidæ enim amicitiæ hoc est & insidiosi animi, optare illi malum incerti exitus, ut operam tuam quandoq; etiam damnosam persæpe inutilē experiatur. Vis ut ægrotet? ut cures ipsum? ut litiget, ut adiuues eum? et in carcere sis? ut illū eruas? nunquam (sit quantumcunq; opera tua præstans, diligens, felicis exitus) ex toto homo ad pristinam integritatem restituitur, perit tempus, pecunia, curæ exedunt interim cor: nunquam melius fuit curatum esse quam non ægrotasse, uicisse quam non litigasse: Exisse e carcere quam non fuisse uinctum. Nisi hæc postmodum, ut te docui, subtilibus rationibus atque inuentionibus in contrarium transmutare potueris. Ergo ut rem cæptā prosequar: Vbi uel in egenos uel infelices beneficium collocaueris, caue ne uel uerbo uel facto illud exprobres, uerbo quidem commemorando, ut apud comicū in Andria: uel rogari te antea præsertim sæpius pro ea re permiseris. Facto autem, ut uel tam exiguum munus mittas, ut magis illius paupertatem testeris quam

alleues

alleues: uelut paucos panes, aut uini duas tresúe amphoras. Vel si pro maledicto munus accipi poßit, ut ebrioso dulce uinum si miseris, aut si sic iam ei qui aliàs damnatus fuerit de latrocinio: uel si pileum liberto seruitutem exprobrando, uel si mũdum fœmineum ei qui olim insimulatus fuit, quòd uxorem fraude sustulerit, uel calceos pulchros cerdoni olim, aut tabellam pictã olim pictori nunc aliquo casu nobilitato, prioris fortunæ memoriam aspernanti ac deuitanti. Nec uerò nunquam beneficio ita iuues ut alium lædas, siquidem dici solet, beneficiorum memoriam in puluere, iniuriarum autem in marmore scribi solere. Verúntamẽ cum sæpe accidat, ut uel gratiæ reddendæ neceßitate, uel amicitiæ causa cogaris non solum aduersus potentem amicum tueri, sed etiam oppugnare, expones illi accepta ab eo pro quo pugnas beneficia, blandis uerbis utens, uelle illi prodesse non ei nocere: si componi res poßit curaturum ut amicus etiam aliquid de suo iure remittat: in reliquis officijs tam suum futurũ quam nunc pro amico sis: hoc in negotio nihil acturũ quòd sit præter causæ amici sustentãdæ neceßitatem, atq; id etiam præstare, nec acquiescere inanibus & improbis amicorum uotis, quibus non satis est ut causam suam pro uiribus defendas, nisi & eodem loco cum illis cum quibus contendit in inimicitia habearis. Quamobrem nec in iniustis causis adfueris amico, ut non tam amicus firmus illius, quàm uir improbus & ciuitati pernitiosus existimeris.

illum non solum, sed etiam inter amicos numerabo. Sin autem ego leuiter coactus accepi, reddã cumulatè, amicus nõ fiam. Sin aũt dolosè impertitus est beneficium, reddam tamen etiam si uitam exponere oportuerit: sed quantum dedit, non plus, nec cum flagitio. In his uero tyrannis qui modum sæuitiæ excesserunt, ut qui filios coram patre occidunt, ut ait Seneca. hoc enim præcipuum est immensæ inauditæq;, ac ab omni humano genere alienæ seuitiæ: in hos quidem, quòd ille non è re esse putat, reddendum esse beneficium censeo. Sed conari oportet summis uiribus, ne quicquam huiusmodi debeas, quòd si debes ut quam primum exoluas, ne si non feceris seruare inuitus maiore quam acceperis beneficio uitam illius, aut filiorum aut fratris cogaris. Sed postquam in hos sermones incidimus, locũ Aristotelis emendare proposui. Septimo Ethicorum inquit: Aut quod ferunt de Phalaride. Id perperam aliqui interpretati sunt, quòd antea sermonem habuisset de Ponticis quibusdam nationibus, quæ filios uicißim epulandos exhiberent. Phalarim exhibuisse inter epulas filios patribus edendos: quod non tam fuisset ferinæ mentis ac satietatis sæuitiæ quam abominãdũ illi. Neq; enim unquã præterquã de Atreo legitur hic mos apud Græcos. Sed potius quod patres quorũ filios occiderat mẽsæ ac conuiualibus gaudijs adesse cogeret: quod etiam in Caligula Imperatore ut execrabile inter infinita crudelitatis exempla, quòd huma

empti sint. Pater enim qui sospites reliquit filios, quicquid postmodum illis acciderit, nõ potest infælix dici. Id etiam testatur, quod Alexander in Parmenionis filiã Cratero nuptam beneficus fuit, curauitq; Parmenionis stirpem non excindere sed superesse atque florere. Rex omnium gratißimus, neque metu peremisse Parmenonem suspicandum. nam Macedonum regum summa est autoritas & obedientia, nec nisi dicto parent, atq; eo magis quòd Alexandrum nondum Barbaricum habitum persarum sumpserat, nondum adorari se iusserat, nondũ importunis Macedonas laboribus ad Indos penetrando uexauerat, ut illis esset inuisus. Et tamen uel sic perpetuò paruerunt. Subtraxisset et Craterum si ob hanc causam illum peremisset. Quid enim causæ erat si securitati prospiciebatur, ut eum inter corporis custodes haberet, qui & soceri & eius, cui sororius ipse esset ingratam necem defleret? nec repudiaret uxorem? At Craterus dices damnationẽ urgebat Philotæ? urgebat quia eripere nõ poterat. Quis huic simulationi credidisset. Sed Rex ut dixi cogitauit qualem tragœdiam excitaret. Meminerat parum ante quæ ab Astyage Medorum, à Cambyse Persarum regibus aucta essent, dũ filios in parentum occulis occiderunt. Infausta sane & horrenda regibus spectacula, nec nisi ab imperitis tractandorum regnorum hominibus, et sæuitiæ ac iræ plenis iudicibus peracta.

Sed utrum accepta iniuria homo à reddendæ gra-

tiæ obligatione liberetur? Sũt qui uelint utriq; satisfieri quod absurdũ puto, nisi iniuria multo maior beneficio sit. tunc enim ut ulciscamur satisfaciẽdũ est beneficio, ne ingrati opinionẽ subeas. Id frequenter cõtingit in adulteris, dũ marito pecunias donãt, aut mutuo dãt sub amicitiæ specie. Sed si iniuria leuis sit, sub maiore beneficio obliteranda est. Si paulo maior sit iniuria utriusq; obliuisci oportet: quod aliquid de tuo remitis. Iã uero quibusdã & pecunias dare et pẽsare beneficiũ cõuenit: ut nutricibus, medicis, ludi literarij magistris, cauponibus, beneuolis, nautis, & his qui nos magno aliquo periculo nostrosúe liberarũt: quatenus enim operã illorũ aut impensam spectamus, pecunia compensanda sunt: quatenus officium erga nos, diligentiam utilitatemq; quam ex his percepimus cõsyderamus, beneficium accepisse testati tenemur, reddereq; gratiam debemus. Quidam etiam solis uerbis gratiã magnam reddunt, uelut apud Senecam. Furnius cum patri Antonianas partes secuto ignouisset Augustus, inquit ille: effecisti ut hanc unam habeã o Cæsar iniuriã, quod ingratus & uiuam & moriar. O Reges regno dignos pepercerunt patribus qui mucrones aduersus se nudauerant ob filiorum memoriam: qui filio non pepercerit amici nemo fuit, imò nec ut inter exempla huiusmodi fecissent numerabantur, quod nõ facere aut fecisse nec in mentem prorsus uenisset. Opportunè etiã in referenda gratia agendũ est. Quidã cũ solarẽtur me, laudabãt

importunè

importune filiũ meum, memores magis ipsi captandæ gratiæ à me quã ut mihi prodeßẽt. quod etiã in nænijs pleriq; facere solẽt. Quibus ego mecũ respondebã, si talem existimaueras, cur non & tu consilio & re iniustè me ut tueri poßẽ, quem modo frustra tãtopere laudas? Prudentiores alij, etiã quæ nec cogitauerat abijciebãt, tãquam denuo illum accusaturi. Quam prauo animo? quam stultus dum uiueret? sæpe illum admonui, non parebat cuiquam, in quæ mala proripuisset nisi ueritus te fuisset? Et tamen proripuit: non ausus sum dũ uiueret illum accusare apud te, ne nimis illi irascereris. Deteriora expectabam tametsi hæc leuia non sunt. Quod ad illum attinet melius consultum est ipsi. nam & huiusmodi calamitates effugiet, & nil boni illi nec tibi per illum sperari poterat: magno infortunio miser sibi natus erat, nihil hic graue præter mortis genus, sed euasit modo: quanquam si uixisset te mortuo, deteriorem expectare oportebat. Si scires dimidium eorum quæ patrauit, gratias Deo ageres, quod post te non remanserit, quod eripuerit. In huiusmodi non sibi sed amico benefacere debemus, ac studere solum illius utilitati. Non sum nescius quosdam qui sibi placent huiusmodi calumniosis admonitionibus, non secus ac si uiueret irascituros.

Sed si amicus non reddit gratiã quid agendũ? an ego requiram illã? ac ut mutuam pecuniam reposcam? Sex utiq; in casibus retributiones poscere licet, cũ urgeris

magno periculo, ut de uita, libertate, de fortunis omibus: nam si tum beneficium sine uerecundia petere precario licet, quanto magis repetere? Secundo cum pro alterius salute & incolumitate pugnas, multa enim salua pudore pro alijs petuntur, quæ non possumus nisi uerecũdè pro nobis exigere. Sic pro filijs nostris, fratribus, parentibus, uxore petere multa licet honestè, quòd homines propter doloris acerbitatẽ nos excusatos habeãt. Ab his rursus qui nostro subduntur officio repetere licet, à filio: ego te qui genui, educaui tãta diligẽtia, tot impẽsas sustinui? tu uerò hoc unũ beneficium pro amico mihi denegabis? Seu cũ hominẽ alloquimur segnem, imperitũ, obliuiosum, licet admonere illũ, beneficij, excitare licet negligentẽ, urgere tardantem, excutere obliuionem, admonere periculi tui, inflammare uerbis, ad memoriam reuocare quæ pro illo egerit. Et si inimicus ille sit tibi, apertè enumerando, Quale illud Ciceronis ad Antonium: Ego si abs te summa officia desyderem, mirũ nemini uideri debeat. Omnia enim à me in te profecta sunt quæ ad tuum cõmodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatẽ pertinerent, & quæ deinceps sequuntur. Et ut in epistola ad Octauium: Sed si amicus modestè insinuasse sufficiat, quale illud eiusdẽ ad P. Vatinium. Grata tibi esse officia mea non miror: cognoui enim te gratissimum omnium. Post multa subiungit de Dionysio si me amas confice: liquet & officiorum quæ in illum contulit meminisse, & gratiæ quam ab illo

ab illo est consecutus, ut duplici ratione ipsum ad beneficium amico conferendum alliceret. Id totum planius in prima epistola ad L. Plancum apparet, ubi pudentiuscule commemorat amorem, officia in illum spe quoque incitat. Et in ea rursus ad eundem: ut primum potestas data est: Quatuor igitur sunt quae homines ad gratiam referendã, aut praestandum beneficium incitare possunt, commemoratio praestiti tum accepti beneficij, amicitiaeq;: tum propẽsi in illum animi. Quinto loco commemorabimus beneficium tempore iam obsoletum, aut apud hominem multitudine negotiorum oppressum: Sic miles admonuit, quòd penulam quiescenti subiecisset, & aquam in galea obtulisset sitienti Caesari, peruicitq; causam. Cum etiam amicum de amico alio admonemus, beneficiũ utriq; facimus: uni quòd ingratum esse illum non patimur, alteri quòd recipit beneficium. Sunt ergo loci, ut breuiter colligam, ut pro maximis rebus, uel pro nobis coniunctißimis: uel ut eos qui nobis parent, uel cum obliuione obsoluit beneficium: uel ut à segnibus & imperitis, uel cum à latere commonefacimus, scilicet eorum quae ad nos nihil spectant. Verum petere beneficium liberius quam repetere, ut dixi, licet: In hoc enim solam repulsam ueremur, in illo si non impetras amicitiam abrumpis. A dijs si petimus, omnia scire haud dubium est, cur dubitare debemus ab amicis petere? uerecũdia obstat, petere cum nihil dederis? sed uelum aliquod ob-

tēdere oportet necessitatem tuā, illius benignitatē, cōfidētiā tuam. Exempla nō cōmemorabis, ne extorquere potius quā impetrare uelle uidearis. Sed quid si repetēti deneget, an ingrato statim irasci debemus? nequaquā, uerū placido, mansueto, magnoq; animo illorū improbitatem ferre decet. Nec unquā ad eam uocē descēdas: ò quā uellē nō dedisse? atq; id præsertim quod multa impediant, persæpe gratū nec efficiant ingratū: uelut impensa, periculum, uerecundia officij, occupatio negotiorum, pigritia, desidia quædam, mala consilia, impedimenta nonnulla tum domestica tum externa, discordiæ clientum, dolus: cogita quoties tu in deos, nutricem, benefactoresq; tuos ingratus fueris? In patriam quot ingrati? omitto Marium Syllam Cæsarem. Cn. Pompeius caput huius mali dici potest, qui cum tot honores & ante tempus à Romanis accepisset, non solum tyrannidem in populum inuasit, sed ut leniret inuidiam, firmaretq; potentiam, alios in patriæ possessionē induxit, inter quos Cæsarem. M. Crassum Scipionem. M. Marcellum. Indigne igitur uni ex eis scilicet Cæsari pœnas dedit. Sed nec minus ipse urbes in optimos ciues, piget & pudet uniuscuiusq; earū commemorare exempla. Romæ in Coriolanum F. Camillos quinque ex Cornelia gente. Athenarum in Aristidem, Phocionem, Socratem, Miltiadem aliosq; innumeros.

Non desunt exempla etiam in Venetis ac Lace-

dæmonijs quamuis sanctißimis: multo plura Argis, Thebis, Genuæ, Florentiæ. cogita etiam an parentes? Quisnam patri suo ut innocens sit, supremum diem nõ optat? ut moderatus expectat? ut pius cogitat? inquit Seneca. Ergo si testeris ingratum illum efficies inimicum, iudicium tuum damnabis, uerbis, nutu, fidem languidam, humana pateris. Si tamen ulcisci potes ægregiè ulciscere, fac ut sit exemplo alijs improbis, nõ odio habeas, ut erga te ingratum, sed ut ingratum, non ut inimicum, sed ut bonorum hostem: non ut qui te læserit, sed ut qui dignus supplicio sit.

Sed dices si tam magnum malum est ἀχαρισία cur contra illam tam paucæ urbes legem constituerunt? Soli Persæ, Macedones, Athenienses'q; & Romani Claudio & Nerone imperatoribus aduersus liberos statuerunt, ut si ingrati essent erga patronos, rursus in seruitutem redigerentur. Atque huius rei rectè duodecim causæ principaliores à Seneca numerantur. Nam primum gratia ipsa periret, cum nemo gratus meritò dici posset, quod obsessus à legibus reddere quasi mutuũ cogeret: esset ergo subtrahere à mortalium consuetudine pulcherrimum spectaculum. Nec poßet dici gratus rem fecisse gloriosam, si ingratum esse nõ esset tutum. Cumq; hoc nomen beneficij ac gratiæ tot modis ambiguũ esset, ac uariè posset interpretari, anceps erat eiusmodi determinatio, ex quo illud etiã exoriebatur, ut iudicib. nimis ampla

ampla licentia peccandi relinqueretur: modo gratiæ nomen nimis arctè interpretando, modo nimis amplè extendendo. Quinto quòd ipsa collatio beneficij lege metiri non poterat: ut uerbo, re, periculo, actione, occasione tibi mihi aut alij: dum ornat, auxiliatur, sola tiũ affert. Multa enim sunt mala, quæ quia definiri non possunt à legibus, non puniuntur: uelut arcanum amici reuelasse, fidem inimico fregisse, pudorem in uerbis & gestibus seruasse. Quæ enim aut infinita sunt, aut una actione animum non declarant, non facile his statui pœna potest. Velut si quis furetur obolum, declarat se etiam aureum furto ablaturum: at nõ si quis propter obolum ingratus fuit, erit etiam ingratus si illi aureum donaueris? Sed & ingratus eò refugere semper potest, si non reddidi beneficium, occasio defuit: si oblata fuerit, reddam. non enim uelut in mutuo, pecunia pro pecunia reddenda est, sed hic me liberauit à latronum periculo, ego illum à morbo liberabo. An ego ut beneficium reddam facere debeo ut ægrotet, aut curare ut in latronum insidias incidat? Septimo quòd qui accipit cõditione sua minus meretur ignobilis, senex, ignotus, mendicus, debilis, proscriptus, principibus inuisus. atq; ideò magis tenetur, et tamen minus potest reddere. Difficilius iudicium sequitur, si qui beneficio affecit etiam affecerit, ut diximus iniuria. Etenim quanquam id desinierimus, tamen nec quantum, nec qualiter, nec quomodo retribuere debeat, consulere potest iudex: nam si

simplex

ſimplex res difficillima eſt,permiſſa nulla arte declarari queat.Nona efficit ut cum ſciamus de beneficio non teneri, eligemus in quos conferre debeamus, uitabimusq́; ingratos,malos,indignos.unde fiet ut boni foueantur.Quòd ſi nulla lege pariter de mutuo tenerentur homines,ô quam pauci iam mali eſſent,iniuſti atq; ingrati.Vituperas tu non poſitam legem de beneficijs retribuendis,ego laudarē iuſtius atq; utiliore ratione nullam conſtitutam legem de mutuis, qua uterq; tàm qui dat,quam qui accipit malus euadit: qui dat ob fœnus, qui accipit quod non ſolum ſortem,ſed & fœnus reddere cogitur. O quam beatus eſſet mundus ſi lex reddendi mutui aboleretur. Ergo ſi lex mutui efficit mundum miſerum,malos homines, quanto miſerior eſſet mundus,hominesq́; deteriores,ſi beneficijs etiam lex imponeretur? Atq; hæc præcipua eſt cauſa certè cur non præſtet. Decimum eſt,quòd quæ accipiuntur uix poſſunt reddi:uita enim,dignitas,incolumitas,ſanitas,ſecuritas quomodo reſtitui poterūt? Etſi eadem pro iſſdem nequeant,quomodo rectè compenſabuntur. Sequitur etiam ingratos infamia & odium humani generis,& præcipuè bonorum omnium. An hoc exiguum eſt ſupplicium ac pœna? etiam ſine lege conſtituta. Duodecimo,quod non ſit facile ſtatuere ubi gratiæ debitum finiatur:debemus parentibus, filijs, uxori, fratribus, an modo etiam patruo,patrueli.hæc eſt certè quotidiana querela.Patruelis meus in illum maximum contulit beneficium?

neficium? ipse in me ingratus est, reddet ne ergo patrueli, non mihi qui contulero beneficium? aut etiam post mihi? Si etiam mihi, bis cogetur reddere? Si illi soli, non mihi, ingratus erga me erit? Si ego non iussero uel admisero soli mihi dabit, soli enim tenetur ut in mutuo: cum non adero dabit, cui ut det reliquero. Si non cui primum occasio dandi obijcietur ex his, ita ut maximè filijs & fratribus, parentibus, demum etiam uxori. In reliquis ut ab iniuria abstineat sufficit. Hæc autem lege statuere difficillimum est, atque causam potius præberet tardandi retributionem, quam incitaret ad faciendum: nam iusto quodam iudicio legis naturæ melius administrantur quam lege ulla ciuili: quæ cum homines ijdem cessant, ob uarios euentus rerum prouidere recte nequit.

Vnde cum non prouideat, potius afferre impedimentum quam auxilium. Est etiam multitudo compensationum & beneficiorum: & cum in nolentes aut non petentes beneficium impertimur, & cum iam lege naturæ debemus, ut in parentes, adeò ut futura esset quædam media actio. In mutuo enim qui accipit aliquid accipit: qui dat etiam eo quod dat se priuat: at in beneficio non ita est, tuemur aliquem nullo tamen periculo nostro, liberamus alium ab infamia, nullo nostro labore: magistratum conferimus digno non imminuta nostra re, aut gratia uel potentia: ita beneficiorum collatio media est inter nihil &

aliquid ex condicto debere: atque hoc nostrum est inuentum.

Obijciat forsan aliquis magnorum uirorum quorundam exempla: uelut Catonis Censorini qui in seruos suos adeò ingratus fuit, ut senio & laboribus debilitatos, ægrosq; pistrini dominis uenderet, ut reliquum quod illis uitæ superesset, in aßiduo labore sub terra absque solatio ullo, pulte & aqua aliti tererent: alios qui prorsus essent inutiles, ut deploratos ægros è naui ita ille è domo proijciebat potius quam eijciebat. Regum præsertim Barbarorum & Imperatorum, præcipuè Græcorum, qui in eos per quos summam potestatem adepti sunt, ingrati etiam usque ad necem fuerint, multa numerantur exempla: omnium autem principum in aulicos ingrata officia tàm sunt uulgata, ut referre non opus sit. Aristotelem quoque in Platonem magistrum suum ingratum fuisse, monumenta illius declarant, inquibus non sufficit ut undique ubi poßit illum carpat, sed & perperam interpretatur ut carpere poßit. Adeò odisse uidetur illum, ut malit uideri imperitus quam illum sapientem. Quinetiam dij erga nos ingrati esse uidentur, cum multi infeliciores sint, quam qui illos ex animo colunt, uelut ego sum: contra nulli feliciores quam qui in deos et dominos ingrati ac perfidi sunt. Sed de Catone superius diximus, monstrum immanitatis sanctus hic uir fuit, nec hoc scelus maximum, imò minimum. Cogita illius cõsilio, opera, studio, deletam

tam Carthaginem: contra fœdera etiam contrâdicente Nasica, tot millia hominum contra fidem trucidata, tot imbelles atque insontes in seruitutem tractos? inde seu ira deorum, seu soluta à metu urbe secutas contentiones, seditiones, proscriptiones, tyrannides, euersam tandem cum omnibus familijs urbem, stirpem suam in pronepote extinctam à M. Antonio, cum Catonis iunioris filio Cæsar pepercisset. Nec ipse seruos homines existimauit, nec cogi posse ut essent infelices illi quibus liberum esset mori. Talibus enim argutijs summã auaritiam & crudelitatem uelare soliti erant. De Regibus & Imperatoribus ne mireris: illud admiratione dignum esset, si eorum quenquam qui sic ingrati fuerint diu regnasse, aut feliciter uixisse, aut miti mortis genere diẽ clausisse, aut suis regnũ stabilisse cõperires. Sed nullũ horũ hucusq; uisum est. Ingrati & infidi, ingratos et infidos multos ut inueniãt necesse est. atq; ob id ut incasses decidãt breui oportet. Ingratissimus Caligula & regnãdi breuissimũ tẽpus, & mors crudelissima, & cum illa extincta stirps. Ingratus & Nero, sed non adeò, ideò diuturnius Imperium, mors tamen infælix, & cum illo tota Iuliorum familia concidit. In aulicos si delinquunt principes, hoc ideò necessitate contingit, augentq; aulici quærelas, officia sua multo maioris æstimantes. Et dum aliorum deprimere merita non audent, sua in immensum extollunt. Plerosq; tamẽ eorum si domum, uel ab ipso initio remittas, nõ habent

quid

quid agant. Præter enim gestus quosdam compositos, ad gratiam penè muliebrem, & uerba paucula ex norma formata, nihil habent quo dominis utiles esse possint. De Aristotele non habeo quid obijciam illi, quandoquidem in templo aram ac statuam dedicauerit his uerbis: Aristoteles hanc aram Platoni dedicauit, uiro quẽ nefas est à malis laudari, Subiecitq; hæc carmina:

Qui solus uita, doctrina, moribus, ore,
Admonuit cunctos, & monumenta dedit,
Vt uirtute queant felicem ducere uitam.
Nulla ferent talem secla futura uirum.

Ingratus ergo fuerit qui Aristotelem in Platonem ingratum fuisse, uel tantum suspicatus fuerit. Sed & ingrata utriq; Trapezuntij & Bessarionis altercatio: quandoquidem non ob aliud Platoni contradixerit Aristoteles, quam ut ob id certamen uterq; hominibus inclaresceret, nec tertius medius admitteretur, quod & euenit: Eoq; exemplo & in administrãda republica et in medicina, & aduocationibus bini & bini super alios euecti sunt. Sed postquam hæc ita se habẽt, uidendũ est erga quos maximum sit flagitium esse ingratos, & in quo maximè genere peccatur. Solet statui ordo in Deos, in patriam, in parentes, in eos quorum ope & opera uiuimus. Eadem de fide dicenda sunt. Ego tamen ut aliàs dixi, in patriam in qua iustis legibus uiuatur, gratum magis esse oportere censeo hominem quam in parentes: in aliam non secus quam aduena non solum

parentũ,ſed & amicorum officia ac beneficia prætuleris. Quòd ſi ſecus feceris, ingratus eris dum gratũ te putes, ipſiq; ciues te irridebũt. Tu uerò deluſus abſq; gratia iacebis: cum enim nec feliciter cedũt exitus negociorum, nec iuxta aliorũ conſuetudinem tractantur, hæc benignitas in uitiũ non uirtutem refertur. Referuntur autẽ ad ambitionem, ſtulticiam, exiſtimationem de ſe uanitatemq;. Ingrati autẽ ſunt quadrifariam homines: uel cum beneficiũ non reddũt, cũ uel diſsimulant accepiſſe, uel cum negant aut cum obliuiſcuntur Seneca hos putat eſſe peſsimos. quoniã ex cauſa quæ illos ingratos effecit, flagitij quærunt excuſationem. Sed idem poſtmodum iudicio ſuo refellitur? Ego deterrimũ eum eſſe exiſtimo qui negat accepiſſe, quandoquidem nec reddere uult nec debere, & in ipſa re flagitioſus deprehenditur. eſt enim mendax. At qui negat accepiſſe, duobus præſtat obliuioſo: quod non ſemper negabit, obliuioſus ſemper obliuiſcitur, aut oblitum ſe ſimulare poteſt. Qui etiam beneficium accepiſſe negat, beneficij nomen non tollit, & ideo generoſior eſt, & multa præterea habet quibus ſe tueatur, iniuriam acceptam, malum animum dantis atque doloſum; quòd non indigeret, quòd qui dedit improbus ſit. Itaque ne forſan dij noſtra munera aſpernentur, atq; ob id ingrati ſint, unde illud:

κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ᾽ ὄνησιν οὐκ ἔχει.

Euripidis ſeu Latinè.

Lædit

Lædit, iuuat nil improbi munus uiri.

Aspernatus est Lyci sacrificiũ Iuppiter: & sacra pagina docet non esse gratas oblationes impiorum Deo. Sed non omne peccatum, non omne flagitiũ impiũ reddit hominem: nec Deus in quenquam ingratus esse potest. Verum non nisi quæ benefecimus in muneratò habemus, malorum & scelerum immemores. Plotinus tamen existimat nos humana humanitus debere tractare. Est enim impudentis nedum arrogantis uiri à Deo petere, quæ tui muneris sunt, ut scias ac exequaris. Quamobrem tui muneris est ut primum hæc præcepta discas & filios doceas. Ego qui didici non tempestiuè satis, ob hoc plector.

Sed qui poteram discere prius quam docerem? & docere prius quam scirem? sed unde scire potui cũ non esset qui doceret? Non existimabam tantã insaniam in filio, improbitatem in affinibus.

Fallebant me dulcia philosophiæ & medicinæ studia, amor publici commodi me incitabat. Sperabam posse librorum de sapientia documenta, & de præceptis ad filios satisfacere.

Sed maius aliquid furor suus, fatique acerbitas, & prodigiosa tempora inuenere. ob id ad singula coactus sum descendere, licet sero. Nec Deum mihi iratum esse putem, nec quod ingratus fuerit erga me querar. Vtinam uel sic non plura adhuc debeam: omitto modo spem alterius mundi; &

quod deteriora meruerim. Quoniam ut in Psalmo habetur: Non enim quisquam mortaliũ apud me expers culpæ. Qui scit quorsum hæc tendant? Ottomanorum regnum nunc inuictum, & quo nullum maius: nonne ab uno ex his regibus originem ducit, qui miserrimè in ferrea cauea absumptus est? At dices is à Parthorum rege seu Scytharum, nunc Tartarorum (eosdem enim esse atq; fuisse reor: sed antiquißimo nomine Scythas à Græcis, Parthos à Romanis propriam illorum linguã imitantibus appellatos) uictus & captus est? Fateor, sed Baiazetem primum (sic enim uocabatur) Tamberlanus odio occidit. At nunc quot florent, quorum maiores infeliciter periere? Verum eorũ qui in Deos ingrati sunt fuerúntue, exemplum nunquam laudabo, multo minus sequar. Si in Deos ingratus es, quomodo felix esse potes? cuius summa felicitas & spes communis interitus? Inde conscientia facinorum quouis malo magis pestifera, infamia publica à qua nec ipsi reges, cum tot prætorianis cohortibus, tot satellitibus ac stipatoribus liberari possunt: diuina tandem ultio quæ suauiter præterlatentibus annis in posteros armata impingit, ac nescios scelerum maiorum crudeli extinguit exemplo. Cur ergo est ut audeas ingratus esse in Deos?

Ob hæc qui improbi sunt hæc ipsa legere nolẽt, sed uelut Iudæi occludebant ad saluteria Stephani monita aures & exclamabant, qui etiam mos Romanis erat, cum iniquum aliquid à suis ducibus per uim obtinere

tentabant:ita hi libros hos negligere se simulabunt,legere haud uolent.Partim ne errorum quos admiserint moniti torqueantur,partim optantes in scelerata uita perseuerare;tum quod illa iam ob ultiones,rapinas ac uoluptates eis dulcis,iucunda ac utilis uideatur:tum ne coacti ui orationis nostræ (tanta enim est uis in ueritate,tantum decus in uirtute, ut per se ipsam animos inuertere ualeat: quanto magis addita diuino præsidio, persuasione, ob iniquam filij necem)commutare consilium uideantur,& inconstantiæ signum præbere:audientes tamen multa probari, aliqua aliqui legent, non ut salutaria sed ut necessaria: nanq; ut Cicero rectè aiebat,cum nostra infortunia ex tribus aduenire soleant, animatis,inanimatis & hominibus:quæ ab hominibus frequentiora sunt ac maiora, ac sola etiam cum infamia adueniunt.ab animatis enim, equis, canibus, auibus,piscibus,rarißimæ calamitates nobis accedunt, & si accedant nunquam cum infamia, rarò cum periculo uitæ. Ab inanimatis etiam rariora, tametsi periculosißima,naufragio,ruina,fulgure, terræmotu, penuria frugum,morbis:omnia tamē hæc absq; infamia etiam. At ab hominibus cædes,iudicia,lites,iniuriæ, bella,seditio,carceres,bonorum amißio,magna frequentia & pleruną; cum infamia.Ergo huic tractationi, quandoquidem ante nos nemo similem scripsit, incumbendū: atq; utinam possem ingratis(hos solum excipio, qui ut ab omnibus bonis,ab omni sacro cœtu digni sunt ut eij

 ciantur)

ciantur) non scripsisse. Gratus à gratijs dicitur, quas quib. potuerunt laudib. antiqui extulerunt. Tres numerantur Euphrosyne, Aglaia, Thalia antiquo tempore indutæ, post nudæ fingebãtur. quòd oporteat beneficia & officia gratiamq; nudã esse, nec aliquo amictu uelatam. Ob id etiã duas quæ nos aspicerent uultu: unã auersam pingebãt, quòd duplex beneficiũ rependere deceat. Charites à Græcis uocãtur. Sunt aũt tres quòd in trib. actionib. consistũt, beneficium conferendi, accipiẽdi, retribuendi. Qui antiquo tempore uixerunt, secuti sunt Theophrasti iudiciũ, qui gratiã in publica magnificentia collocat: qui nudas ueram benefaciendi rationem in singulis. Dotem dare pro filiabus collocandis nuptui, redimere captiuum, æs alienũ persoluere: pauperis rem propria liberalitate augere, paruulos filios educare, ægrotantem re operæq; subleuare, pro litigante pugnare, pecunias, adiutores subministrare, iudices illi propitios reddere: ad uirtutem, ad sapientiam properanti, aut filios erudire cupienti præbere sumptus. Hæc Ciceronis ratio non solum probabilior, sed etiam sola uera. nam Theophrasti inutile & haud philosophicum consilium. Ergo singularum nomina prius explicemus. θαλεια celebritas iuuenum, uiriditas, còrona, festiuitas, læticia florescens: Ἐυφροσύνη delectatio. Ἀγλαΐα splendor, claritas, uenustas, uoluptas, maiestas. Sunt qui ex ea Nireum forma insignem natũ esse fabulentur. Sunt qui Pasytheam uocent.

Ergo

Ergo tot laudibus gratiæ dignæ sunt quæ iuxta Sophoclem se inuicem pariunt,

χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί

Gratia gratiam facit & parit semper.

Ergo ut ad rem redeam, cum amicis nihil fictum, nihil fucatum esse debet, nihil debet retineri, sed pleno sinu effundenda in probos, in amicos, in gratos beneficia. Et solutis gratiæ zonis inde significabatur ab Hor.

Iam uerò si beneficiũ pollicitus es nondũ præstitisti præstare oportet. Verùm quibusdã in casib. necesse nõ est. Primũ cũ nõ bona fide idẽ tecũ egit, sed ut te defraudaret: mutuũ petit, declarat in fundis, in mercib. multa habere: nõ habet, nõ teneris, nã et mutuũ si gratuitũ sit ex beneficijs hoc solũ est, ad quod reddendũ lege tenemur. Rursus filiã quis filio tuo collocare uult? recipis, inuenis elephantiasi laborare, esse genitalibus uitiatam, nõ habere integram pudicitiam, alij fuisse desponsatam, esse sanguine coniunctũ, non teneris his in quinque casibus: magnas oportet esse causas quæ fidẽ in magnis rebus abrumpant. Mutuo quidã aureũ petit, polliceris, uult emere uenenũ, debes non seruare fidem. Dementis etiã est fidẽ errori præstare. Philippus Alexãdri pater ille adeò sapiẽs: cũ militi Macedonis rustici bona petẽti, quòd naufragio omnia diceret amisisse, dono dedisset, ubi à rustico cognouit militẽ illũ è naufragio benignè à rustico exceptũ, et proprio in lecto collocatũ, nutritũq; ab eo mense toto, inde etiã uiatico donatũ, do-

natione rescidit, bona rustico restituit, militiq; stigmata inuri iußit. Ex Ennio enim illud Cicero rectè citat: Benefacta *male locata, malefacta arbitror.*

Vt uenenum in melle perniciosius est: ita beneficij loco flagitium dare aut amentis est si incautus, aut improbi si uolens id faciat. Similiter cum inter promißionis tempus, ac præstandi noua lex aliquiduetuerit, quo beneficium dari prohibeatur, certum est non teneri. Et *generaliter cum alius est animus postulantis alius dantis: uel etiam rei status intermedio tempore mutatur. Si tamen mora iam tua causa intercedat, ut quo tempore dare debuisti non dedisti, tua improbitas aut desidia illi damno esse non debet. Aut si iam pacto teneris, quo ille aliquid citra dolum perfecerit, aut si reddere non præstare beneficium oportet: tunc enim alieni potius arbitrij est beneficium quam tuum.* Ideo *omnibus his in casibus nulla exceptione proposita beneficium præstare debes.* Ea *ratione in parentes, ne excusemur ulla occasio est. nam illis & uitam debemus, & beatam uitam.* Dubitatum *tamen est à* Seneca, *an parentes beneficijs superare liceat? Atq; in huiusmodi disputationib. minimè aspernandus assuetus controuersijs, de quibus etiam libros scripsit.* In *uniuersum duo uidentur esse præcipua, propter quæ filius parentes beneficijs superare non poßit: primum quod uitam, corpus, educationem illis debeat, ut iam nil sit sibi reliquum filio quo poßit usuram facere quam parentibus donet: alterum*

quod omnia quæ ſuccedunt filio, ob uitam cum ſuccedant parentibus debentur, ut agri fructus: quæ autem debentur beneficium non faciunt cum reddũtur. Huic *non eſt difficile reſpondere, nam & nauta & medicus qui nos ſeruauerunt debita gratia compenſari poßũt: parentem autem maximè pater etiam quòd uitam dederint, aliud agentes dederunt. Quinimò quidam ridiculè dicebat, ſe non parentibus ſed illos potius ei debere, quòd dum facerent ipſum, uoluptate nõ leui fruerẽtur. Alteri rationi quanquam difficilius ſit reſpõdere, dicendum eſt tamen beneficia illa naturæ lege, conſuetudine ac ſpe conferri, non ob amorem tantum erga illos. Quicquid ſit, conſtat patres multos ob filios orbi innotuiſſe, qui ſecus ignoti fuiſſent.* Vt Nicomachũ pro*pter* Ari*ſtotelem, Sophroniſcum ob* Socratem, Ari*ſtonem ob* Platonem, Gryllum *ob* Xenophontem, *quinetiam* Philippum *propter* Alexandrum. *Officia quoq; filiorum in patres iucundiora dulcioráq; ſunt, & ſeruaſſe patrem bis filius in uita poteſt.* Deinde *ſi ob id, quòd uita à parte pendeat, illum beneficijs ſuperare non poſſumus, nec auum, nec auiam ſuperare licebit: atq; ita iam non unum aut duos, ſed ſex aut quatuordecim habebimus, quibus nunquam ſatisfacere licebit.* I*taq; poſtquam hoc nec pietatem minuit, nec uenerationem labefactat: quinimo omnes magis ad ea accendũtur, quorum finem attingere poſſe ſperant, ſtatuemus filium beneficijspatrem poſſe ſuperare. Quinimò ſæpe*

id etiam exiguo cum labore contingere reor, cum filius pietate patris amorem superat ac uincit: namq; et si fortuna patrem superauerit, beneficiaq; plura & maiora contulerit in parentes quam illi in eum, absit aũt summa pietas ac ueneratio, nõ dicã filiũ illũ beneficijs superasse parentes. Spectaui in M. Antonio Maioragio amico nostro, cum nondum adeò res profundè disquirerem, ut nunc soleo, illũ patri imperare ut fermè famulo, quòd pater humilioris esset conditionis: itaque paruam de illo spem constantis felicitatis concepi, nec deceptus sum. Raro uel nunquã infelicitates sine modo uitio adueniunt: uitium uoco amentiam, insignem desidiam, crimen, impietatem atq; huiusmodi. Ergo ut ad rem redeam, insigne exemplum est pietatis, quando pater aut mater à filio uictos se beneficijs fatentur. Inter reliqua exempla narratur insigne illud. M. Coriolani exemplũ quo iniuriæ, gloriæ, existimatiõi: deniq; etiã ob id potẽtiæ ac uitæ cessit, ob matri preces. Enituit & in superiore Africano nõ leue pietatis exemplũ in Hispania tutato patre, auguriũ tantæ felicitatis quã tam postea consecutus fuit. Memorantur etiam L. Manlius Torquatus, & Cimon erga Miltiadem patrem, & Pluto Pinensis bello Italico, atque Anphinomus & Anapus Siculi fratres, qui parentes per medios ignes detulerunt: tum Aeneas de quo aliàs diximus.

Porrò inter gratos eminentissimus fuit Alexan-

der magnus non immeritò, ut quemadmodum rebus gestis omnes ante eum ac post superauit, sic etiam in eminentißima uirtutum gratia primum atque insuperabilem præstitit.

Inter gentes Aegyptij etiam existimantur: post Scythæ si Herodoto credendum est. Sed ad hominum non gentium exempla reuertor. Darius Hystáspis filius cum à Sylosome in priuata fortuna Chlamidem dono accepisset, Samiorum insulam Rex factus illi, ut quo ad uiueret imperaret, dedit. Quo exemplo admonemur quam alacri spe debeamus in homines animi generosi esse, liberales: ut contra quam multi sint qui ubi ad splendidiorem fortunam euaserint, ueteres amicos & benefactores, uelut humilitatis prioris fortunæ testes peius angue oderint. Verum quia per uirtutis semitam ac uestigia ad potentiorem fortunam uenerint, hi quantumuis ignobilibus natalibus gratiam referre non dubitant.

Neque enim C. Marius quantumuis humilis fortunæ & seditiosus, in duas Camertium cohortes acriter prelio Cimbrico pugnantes ingratus fuit: nec L. Sylla tum & si crudelißimus & ambitiosißimus in Cnæum Pompeium gratiam dißimulauit, quod ab illius patre beneficium accepisset: itaque hoc uno actu & liberalitatem & humanitatem declarauit. Beneficij enim compensatio maioris uirtutis est quam largitio, qui enim compensat & liberalitatem dando,

& hu-

& humanitatem dum accepisse testatur declarat: qui largitur liberalitatem solam, quicquid id est ad quod posit referri, seu misericordia, seu ambitio humanitate ipsa minus dignum haberi debet. Ergo ut ad rem redeam, omnes fermè magni uiri etiam grati fuere: Mithridates in Leonicũ à Rhodijs captum, Alcibiades in amatorem, Ptolemæus in Demetrium, Philippus in captiuum priuatum: Agrippa uerò etiam in seruum Tau mastcn, atq; etiam ob leuißimi officij causam. Quid de admirabili Largij ciuis Romani proscripti, beneficij gratia dicam? is enim cum beneuolentiæ & miserationis causa primam cohortem militum proscriptos occidentium euasisset, in secundam incidens: ne primi premium necis ob indulgentiam amitterent, ad primos redijt à quibus interfici uoluit. Insignæ etiam memoriæ accepti beneficij exemplum in Fl. Valerio Martiano apparuit erga duos Lycios fratres, Tacianũ Iulianúmque: tum Admirati in Balduinum quamuis hostem & alienæ religionis, tum Caloiani in Franciscum Catalusium Genuensem.

O sancta & admiranda gratiarum actio, quæ nec ipsas beluas refugis. Et illæ quanquam in cæteros immites, benefactores suos tamen tuentur. Hac uirtute ut etiam reliquis ingenio præstant canes, de quibus cum singulis diebus uideantur exempla, inter rarißimæ tatamen constantiæ numerantur canis T. Sabini, Iasonis, Lycij, Regũq; Hieronis atq; Lysimachi, quos mortuos ita pro-

ita prosecuti sunt, ut non mater filium maiore affectu, imo uix pari soleat sequi: nam & alleuare prostratos & panem præbere, & mori etiam secum quidam uoluere. Quin etiam equus Antiochi regis, cum illum interfector domini sui Centraretus Gallata ascendisset, frenis arreptis in rupem cursu perrexit insidente inuito, præcipitumq; dedit ut morte sua domini mortem Centraretum occidendo ulcisceretur. Sed & de Elephanti Pyrrhi regis gratia erga suum custodem minus mirum est. quandoquidem prudentia & humanitate insigni talia animalia prædita esse soleant. At de Panthera erga Philenis philosophi patrem maius sanè miraculum est. Tum uerò de Leone Gothefridi Bolioni, & Andmodi serui, alteriusq; quem Seneca uidisse se affirmat magistrum suum in arena aduersus alias feras tuentē, nota historia: & tamen uix credenda est. Quid de Aquila erga puellam à qua nutrita fuit, cuius morte cognita & ipsa illius desiderio perijt? Quid de Delphinibus & pueris, neq; enim unum fuit exemplū? Quid de ansere & philosopho? nos uidimus pauonem domino suo pergratum atq; illius amantißimū. quod ab eodem fuisset nutritus. Nota rursus est historia (ne nō etiam serpentes tantæ uirtutis expertes essent, uipera quæ apud Aegyptiū nutrita, cum catulorū ipsius unus hospitis filium necasset, illa non cognoscere uoluit, an iure & irritatus filius filium hospitis occidisset, sed omnibus filijs occisis, credo quòd nesciret quis eorū hospiti tan-

spiti tantã iniuriam attulisset, domo se subduxit. Inter egregia aũt criminaliũ gratiæ reddendæ exẽpla sunt ciconiæ: unde etiã adagiũ ἀντιπελαργεῖν: hæ enim defectos ætate parentes ut etiã testatur Aristoteles, nõ solum alunt, sed etiam elatos dorso quasi spaciatũ deferunt. Vnde tum ob hanc insingẽ pietatẽ, tum quod serpentes uiperas, rubetasq́; deuorẽt, cæteraq́; exitiosa animalia à multis gentib. in honore habentur: cautumq́; lege est ne quis insidijs aut ui iniuriã illis inferat. Animalia uerò ingrata eo stolidiora sunt, nullum ingratius araneis qui patrẽ ac matrem occidere solent. Quo alio signo, nisi ut intelligamus eos qui in parentes sæuierint similes esse araneis: scilicet uirulẽtos, deformes, fœdos, breuis uitæ, inualidos, miseros, imbecilles, despectos, omnibusq́; inuisos. Inter aues cuculus ingratus dicitur, qui latet in arborib. perpetuò, nec hoc sine certè magno mysterio, latere debere semper qui se ingratos ostẽderint. Hirundinem etiam tertio loco adnumerant, quòd nobiscum habitans nos non secus ac aduenas refugiat, discedens nullum gratiæ signum relinquat, nec unquam mansuescat, ut auium reliqua genera. Vnde etiam in Pythagoræ symbolo, hirundinem ne domo exceperis. Hæc sunt Græcæ uanitatis exempla quæ Plutarchus per otium digeßit. Hirundo minimè ingrata est. Quid aureo, ut dicunt, symbolo uoluerit Pythagoras, si modo arcanum aliquid latet sub eo alij quærant, nos ambitiosißimum & mendacißimum ui-

rum

rum esse deprehendimus cum suo aureo femore, si ea tamen quæ de illo narrantur uera sunt. Hirundinem nullo modo hac ratione explodamus quod ingrata sit, cum nihil minus, forsan quod loquax. est enim admodũ garrula inter omnes aues: sub hoc sensu laudo consiliũ & hominis inuentum. garrulorum enim & loquaciũ hominũ consuetudo pessima est. Ei etiã maximè cõueniebat qui quinquenale silentiũ discipulis suis indicere solebat, tanquã garrulitatis inimicissimo. Ingratã nequaquã dixerim, nec auẽ ipsam explodendã, beneficia enim plura affert: dum adest cãtu oblectat, muscas infestissimas depopulatur, mirũ in educatione filiorũ studium discimus, nec solũ matris sed etiam patris: coniugij exemplũ pulcherrimũ exhibet, coram nobis canit nec terretur inaniter ut cæteræ aues, nec mœsta silet nobis præsentibus. Vbi abierit nidũ relinquit lethalissimo scinanchæ morbo ad aliosq; usus utilissimũ: stercus ad pterigia, ad maculas oculorum, cum redierit memor hospitij est, suo accessu atq; recessu nos temporum uicissitudinis admonet. Pauperum domos libentius, sapientum & innocentium more, quam diuitum inhabitat. O, claustra refugit? ingenui animi est refugere seruitutem, non uult nobis familiaris fieri? agnoscit hominem quam dolosus sit: docet nos sic improbis congredi oportere ut prosimus, illi etiam si obesse uelint nõ possint. Quid dicã postmodum de diuinitate quadã, quã et dum nidum construit tanta arte, cum coniuge concors ostendit?

ostendit? Et quod nulla auis carniuora illam prosequatur aut ei infesta sit. Sed hæc omnia παρέργα sufficiat solum adiecisse ad declarandum quanto in turbine fuerint antiqui: nunc propositum prosequamur. Inter ingrata animalia solent tria quadrupedia numerari, Hippopotamus qui patrem occidere fertur, ut cum matre iungatur: quod an sit uerum satis dubito. nam cum uix constet quale sit hoc animal, ob raritatem qui fieri potest ut hoc aliquis animaduerterit sub Nili aquis? Deinde quomodo sciuit quòd patrem non alium occiderit? An perpetuò à concubitu illum donec filius adoleuit obseruarunt? Vides quales nugas admittant qui nostrũ librum dialecticæ non legunt? Proponitur de lupo quẽ ouis nutrierit. Vnde illud elegans epigramma:

Lacte lupum uberibus proprijs, non spõte: sed horsum
Me demens adigit pastor ut id faciam,
In me rursus erit fera postquam creuerit ex me.
Natura haud unquam uertitur officijs.

Græcum erat: sic uersum ab Erasmo exscripsi. Pulchra poetarum inuenta: sed quam uerum etiam sit hoc nescio. nam neq; firmum puto, ut res tandem ad arietẽ redeat, quem constat educatores suos cornu impetere, & uasa simili amẽtia ex quibus cibum & potũ sumit euertere. Vt res ad tria exempla deducatur: perfidorũ & despectorum araneorum, semper latentium cuculorum, quanquam nihil certi de hoc habeatur, & insani arietis: qui non ut noceat, sed ut ludat petere solet educatorem

editorem tanquam familiarißimum: ut res tandem ingratorum ad unius aranei monstrosißimi animalis exemplum redigatur. nec ulli alij similior est ingratus aut alterius sorte magis dignus.

Ergo huius tanti boni nullum fermè animal expers est, nedum homo. Nero in plurimos gratus fuit, tametsi in hominum delectu peccauerit, ac multo magis in beneficijs collocandis: nihilominus non tamen reprehensione dignus est quòd merentibus non dederit, quam quod dederit haud merētibus. Narrat fuisse temporib. suis Seneca uirum undequaq; singulari uirtute absolutum nomine Demetrium, de quo etiam superius egimus, professione Stoicum: huic Nero ducenta sestertia dono dare uoluit, non exiguum sanè munus: sunt enim aurei coronati nostri penè Quinquies mille. Quod munus nescio quo consilio ille repudiauit dicens: quā parua summa uoluit me tentare Cæsar? si uoluerat uerè experiri toto debuit tentare imperio? quæ uerba ambitionem potius quam uirtutem præ se ferebant. Non accepisse etiam magis cuiusdam inanis gloriæ studium, quam ueram sapientiam ostendit: nam ea summa nec alijs grauis futurus erat, & ipse honestiore fortuna alios plures longè ad uirtutem amplexandam incitasset, quam in tam deformi conditione. Ipsum quoque principem ad fouendos bonos plus adhortatus esset, sibiq; beneuolum reddidisset. Nec solum illius exemplū ob fortunam honestiorem, sed etiam prudentiæ opinio

nem multo plures secuti eſsēt. Nec ille Zenonis autorit. sui dogmatis exēplū secutus est. Zenō enim ab Antigono munera accipiebat et magna, ut ex ipsius regis testimonio deprehēditur, et indigētib. amicis distribuebat. Demetrius sola probitatis opiniōe ab eo, quē ut crudelissimū homines dētestātur, ducēta promeretur. Sed nō accepit quia Nero tyrānus erat? Nil ad rem, nō ex secūdo genere tyrānorū fuit sed uulgariū, nisi quod in propinquos desæuijt: hoc etiā faciūt Turcarū Imperatores cogūtur proximiores occidere reges, quòd ad eos solū periculi suspicio, et inuadēdi regni metus pertineat. Ille nulli parēti filiū, neminē exquisitis tormētis occidit, in nullū præter dignitatis respectū sæuijt. Nō est mihi tyrānus qui benignè, clemēter, liberaliter, gratè & ex dignitate mea mecū se gerit. Ergo postquā tā ingratè hoc seculo, tā crudeliter, dū cōmuni omniū utilitati cōsulo in patria exceptus sum, prodigioso hoc spectaculo pro tā singulari innocentia exhibito, quod etiā ipsa saxa ad lachrymas cōmouere posset, rogo (si quid commodi humano generi per tot aſsiduos grauesq; labores eueniſse existimēt) Principes atq; potētes quousq; ut gratiā eā misero huic nepoti (ex infelice illo filio Io. Baptista) Tacio Cardano ab obitu meo referant. Diffido enim tādiu posse uiuere, donec puerulus ad adultā ætatē peruenerit. Et patrē illi unicū præsidiū sustulerunt. Ego illum Deo, illū humano generi, pro quib. pater ipsi perijt, ego in lachrymis perpetuis cōstitutus uitā ago, tormēto

non uolu-

nō uoluptati simillimā cōmēdo. Vicißimq; Deū ipsum fontē bonorū, omniaq; oculo illo perpetuò lucēte uidē tē, rogo ut & in illū huius beneficij autorē propitius sit, nec sinat nepotē à maiorū suorū integritate atq; cō stantia degenerare. Reliqua ille idem ipse quē nec festucæ error effugit uiderit. Nūc ad modū quo benefacere his quib. oporteat poßimus, ac illos promereri transeamus. Scopi duo fuerāt cōferēdi posse beneficiū amicitia aliqua, uel familiaritas et res ipsa quā pauper diuiti, miser potēti, infelix felici cōferre posset. At de re iam diximus supra duob. uerbis: pādere ueritatē, cōsiliūq; bonū dare. Ah si scires Octauiane Cusane quantū prosit scire ueritatē? quā pauci eā patefacere uelint (quāta sit ueri dicorū inopia? mirareris. Iā quidā non animaduertunt quæ agātur in tuis reb. quid mirū quādoquidē nec in suis: alij nō curāt, quidā sibi timēt: alij oderūt te, alij inuidēt: nōnullis lucro est cælasse, alij quòd nolint nocere socijs, alij quòd te cōtēnāt nec proficere quicquā sperēt: nec existimāt te ultra uerba progressurū, quidā quod malo animo sint, uereāturq; talionē: alij ut probiores uideātur, quosdā naturalis perfidia et ἀχαριστία detinet, ut operepreciū ducāt domino malefacere. Inde pactis, minis, nōnulli ab officio prohibētur. Cū igitur tot sint modi euertēdi ueritatē, quod rarius est tāto carius, non leue commodū afferet ueritatē amico patefacere: multo minus egregia consilia in rebus arduis cōtemni debēt, autorésue illorū. Ergo utilitatē afferre præter

fortuitas innumeras occasiones familiaribus non magna res est, sed quæ paßim se obijcit. At amicitiam uel saltem familiaritatem contrahere, ne non beneficium dare potius quam proijcere uidearis, non adeo promptum est. Superiusq́; multa nec uno in loco diximus. Ergo primum si roget, loco amici habendus est. Et si non roget, alius uero eius nomine tibi amicus petat. Et rursus si fortuna te illi in ipso casu obtulerit: ut de rustico & Artaxerxe. Secus insinuare se in familiaritatem illius mille modis licet: nec tamen difficile est ordine proposito ex uno in alterum uelut in gradibus scalarũ progredi, quam efficere ut quod arte quæsitum est, ac si fortuna tibi obiectum uideatur. Plurimos autem in familiaritatem adigere minus difficile, quam unũ aut duos. nam ubi unum aut duos familiares habueris, in multorum consuetudinem quasi pronus delaberis: Serere occasiones amicitiæ, sermonibus, officijs, ex rixis dum te interponis, ex contentionibus, ex litibus, cum auxiliaris, inter spectacula dum gratularis, semper licet. Nihil autem aptius quam ut quinq; præcepta obserues: primum ut studium illius quale sit intelligas, totúmque ei te dedas: ne cum occupatus est rebus maioribus ulla ex parte ei molestus sis: ut plura in his quæ peragẽda sunt agas quam dicas, ut fidelem te experiatur: ut uanitatis ac stulticiæ quantamcũq; minimam suspicionem deuites. Ergo omnia iã meo iudicio te docui, quæ ad collocanda beneficia atq; recipienda idonea sunt:

præter

præter id ut scires in quos collocanda sint. Dixi nõ in eos qui reddere non possunt, id non est difficile intelligere: reliquum est qui nolunt, horum magnus est numerus & fermè qui graui aliquo animi uitio laborant, in hos beneficium profuderis non autem collocaueris.

Qui autem sint hi & qualiter dignoscantur, tempus est ut iam doceam.

Cæterùm ut sermonem sermoni continuare liceat, ab ipso capite tractatæ rei initiũ deducam, idq; est quo modo ingrati dignoscantur. Primum illud statuere oportet non eandem esse rationem Reipublicæ atque priuati hominis: eadem enim Respub. diuersis atque diuersis hominibus, alio atq; alio tempore constat. Ob id etiã modo grata modo ingrata efficitur. Homo unus in concione, imò in omni multitudine flagitiosam & ingratam efficit totam multitudinem aut cœtum. atq; ideo id manifestius, ubi oratorum facundia huc illucq; peritos multitudinis animos, suiq; anxios rapit. Quo fit ut Demosthenis tempore Athenienses, & Ciceronis Romani plurimos errores & graues, quantum alias unquam admiserint. Etenim quantum studio ornatè dicendi atq; persuadendi adijcitur, tantum ex consulendi recta ratione detrahitur: adde perorantium auaritiam & ambitionem in Demosthene, odium & iram in Cicerone.

Sic existimo, errorem hunc quem aduersus me com miserunt, unius improbitate, qui suo & suorum com-

modo studuerit emanasse: quòd exemplum doloris meę imago in omnes manauit.

Quoties ijdē populi grati atq; ingrati fuere? Gratia populi Rom. Ciceronis tempore non gratia fuit, sed immoderata profusio accipientibus, ad tyrannidem occupandā stimulus ac scala, cæteris inuidiosa. Vt erga Pompeium, inde Octauium quos ambos ante legitimū tempus suasore Cicerone S.P.Q.R. ad consulatum immodicosq; honores euexit. Contra acrius sæuitum in Catilinæ coniuratos, alij etiam neglecti.

Quis dubitare de hoc potest? Fauit Cicero sibi, ergo & potentibus plusquam deberet: aliter enim sibi fauere non poterat, ni suis illis longis orationibus aliquid ultra debitum adiecisset. An ergo omnibus an paucis, si paucis cæteris iniuriam fieri necesse fuit. Indeq; odia & simultantes, tandemq; etiam seditiones exoriri. Sin autem omnibus pro quibus perorabat ordine quodā: quod hauddubiè credo: necesse fuit conuelli Rempubl. et ad potiorū potentiā quod omniū erat traduci. Ergo Respub. modo ingratæ modo gratæ sunt fuerūt, erūtq; semper. In cognoscendis autem cuiusuis hominis naturis, ut ad gratiam referēdam apti sint, præter ea quæ dicta de ingratis in Deos, parentes & amicos (quando quidem & si multi in Deos ingrati sint, quòd omnia fato & necessitate agi existiment: alij in parentes in eorum benignitate confisi, quibus ob impietatem & animi improbitatem, tamen exemplum ut benefacias non

suadeam

suadeam:tametsi dicat Ammianus Marcellinus Romanus, & Romanarum historiarum grauis autor: Pœnã ingratorum ad Deum spectare: Improbos etiam ingratos esse existima. Nam usi tyranni in aliquos grati sunt, aut necessitate id agunt, ut in satellites, stipatores, medicos, quando necesse sit huiusmoi hominibus salutem corporis sui committere: uel ut te maiore in re euertant. cum enim beneficium tuum retribuendo superarint, cogeris rursus & tu illam superare compensationẽ: atq; ille uicissim si pergat, tandẽ eò uenies ut sui iuris totus fias, quod ex tua re haud est: cogita illos qui benefaciendo alios antecellebant, non proditos fuisse tyrannos, sed uiros uirtute præstantes ut eos de quibus supra diximus, tum Massinissam, Attalum, Minutium, Terentium, Culeum, Metellum, Pium, Largium: at contra ingratos animi minimè præstantis, D. Brutum, C. Cassium Caligulam, Calphurnium, Crassum: Decebalum, Isacium Angelumq; imperatores. Ah quantorum malorum ingrati causa sunt. Quid Cæsarem hortatus est occupandam Rempub. nisi in tam ingrata acta Senatus Gallia cupta? Quid ad tyrannidem retinendam coëgit, nisi Scipionis & Syllæ exemplum in quos populus Roman. fuit ingratus? Quare Octauius & socij præscripserant tot è populo Romano? Senatorij ordinis Ecclesiasticæ equestris bis mille, reliquorum supra 30 millia? quoniam C. Cæsarem ab his quib. pepercerat trucidatũ animaduertissẽt. Itaq; Augustus

nec potentiam moderatus est, ne occideretur ut Cæsar: nec imperiose abdicauit, ne cõtemneretur ut Sylla. Pyſiſtratus Athenienſium tyrannidem inuaſit, Theſei exilij exemplo commotus. Pericles autem Themiſtoclis et Miltiadis indignis caſibus. Lacedæmonij in Nabidis ſæuiſsimam tyrannidem inciderunt, (namq; præter cæteros una die trecẽtos ex nobiliorib. atq; principib. ciuitatis trucidauit) ob Agidis Regis optimi atq; mãſuetiſsimi indignam à ciuib. patratã necẽ: nãq; Leonidis paucis annis regnum obtinuit: Cleomenes aũt uigeſimoquarto anno, antequã Nabis fœdus cum Romanis faceret uictus eſt. Detractis ergo ex uigintiquatuor annis his quibus Cleomenes apud Ptolemæum in ſeruitute uixit, ex quibus Nabis ante fœdus cum Romanis ictum regnauit, intelliges Nabidis tyrannidem ſucceſsiſſe Cleomenis interitui. Tempus uerò quod à clade Cleomenis ad Nabidis tyrannidem interceſsit, ipſa tyrannide Lacedæmonijs fuit paulo felicius, cum eo prelio omnes ciues fermè cecidiſsent: capta eſſet urbs, & peregrini quod nunquam aliàs in urbem ipſam ad habitandum introducti. Nabidis autem tyrannidi Romana omni alia durior ſucceſsit. Sic Syracuſij ingrata Dionis nece, qui eos à iunioris Dionyſij crudeliſsima tyrannide liberauerat (cum ipſe non minus in ipſum Dionyſiũ ſanguine coniunctum fuiſſet ingratus, ob idq; diuino quaſi miraculo antea utroq; filio orbatus, etiam non ſine Deorum iræ teſtimonio) in tyrannos: rurſus inde Gelonis fa-

nis familiam inciderunt, quorum temporibus expugnata à M. Marcello urbe in Romanorum seruitutem redacti sunt, à qua non sunt postmodum, nisi euerso Romanorum imperio, liberati. Carthaginenses ingrato in Xantippum Lacedæmonem ducem exemplo (cum ille Attilium Regulum cæpisset, docuissetq; Romanos à pœnis uinci posse, modo dux non deesset) effecerunt ut in posterũ ducem externũ non inuenerint, suosq; timidiores reddiderũt. Vnde exitiũ ciuitatis eorũ ortũ habuit.

Florentini quoq; toties in suos ingrati, multis antea calamitatibus afflicti, nostra ætate amiserunt prorsus libertatem: nulli magis ab hoc uitio immunes Venetis, & tamen etiam ipsi bis notati ea labe in Francisco Voscareno, & Carolo Ceno. Effecit ingratus ut nõ solum alij in eum beneficium conferre recusent, sed etiam iniuriam inferre non reformident. Hoc ipso in hunc homontionem ingrato, cædis filij mei exemplo si potuissent uel suspicari, etiam præter diuinæ ultionis; quæ nunquam irrita est expectationem, quantum mali sub esset, nunquam illum peremissent. Quid enim dicent profuit Hieronymo Cardano singularis illa innocentia? imò quantum obfuit? etenim si aliorum more ex cõdito tantum illos curasset, pecunias quæ illi defuerunt ad seruandum filium sibi superlacratus esset: atq; multo plures, imò etiam existimationem maiorem. quandoquidem dicat Horatius:

Scilicet uxorem cum dote, fidemq; & amicos:

Et genus & formam regina pecunia donat.

Atq; hæc statim: alia uero serius quæ ad diuinā pertinent ultionem. Velut & apud Lacedæmonios inter Agidis necem, & cladem sub Cleomene acceptam anni circiter duodecim aut paulo plures intercesserunt. Inde illud Valerij Maximi: Diuina enim prouidentia tarditatem supplicij grauitate cōpensat. Intelligo quid dicetis? tu teipsum laudas, & pro te multa in contumeliam nostram atq; calumniam affers. ut inuidiam crees? magnum Regi negocium esset, si de singulis (quorum numerus penè infinitus est) qui in tot regionibus damnamur, patribus, filijs, fratribus, reddendā ratio esset? At uobis respondeo quantocūq; nostro supercilio reddendam esse de singulis & uobis, & regi rationē Deo, animasq; eorum qui iniustè pereunt etiam statim ab obitu supplicare Deo: inde calamitates publicas cladésque subsequi, cædi exercitus, classes naufragijs obrui, urbes expugnari, ac diripi: seditiones inter principes interq; priuatos oriri. Non eadem est ratio, etiam si multitudo hominum casu pereat uel bello, quæ unius tantum hominis qui indignè iudicio occisus sit.

Nota est historia templarij hominis, qui cum ad necem duceretur iniustè ut sibi uidebatur, in fenestra prospectis Gallorum rege Philippo, & Clemente summo pontifice ad Christi tribunal, uir Italus ambos intra annum diemq; unam citauit. eorum enim opera puniebātur templarij: intra igitur illud tempus pontifex &

Rex repentinis casibus obiere: at non multos tales occi di iusserant? certè sic, sed alij minus constanti animo & fide erga Deum, alij minus forsan sincera uita, conscij aliorum criminum, nullis ipsi principes quasi per ludibrium astitere in publico, nam nisi astitissent inane uotum futurum illius existimo. Duo equites cum insimulatis criminibus ad necem ducerentur, uiso Hispano Rege Ferdinando Castolonensi, quarto illum ut intra triginta dies. quod iniustè ab eo urgerentur ad mortē citauerunt ante Christi tribunal, obtinueuuntq́;. nam ipsa trigesima die ut miraculo plenam faceret fidem repente obijt. Quin etiam Pyrata quamuis sceleribus pressus, quòd odio gentis Cathelanæ à præfecto claßis Genuensis ad mortem adiudicatus esset, potius quàm ulla in Genuenses iniuria obtinuit: ut idem præfectus intra constitutum tempus interiret.

Memento quod magni uiri & potentes semet ulciscuntur proprijs uiribus: probos & innocentes ipse Deus. Si quidem mihi ab anno M. D. LIIII. ad annū M. D. LIX. ex tot Hispanis quot curaui annorū scilicet quinq; cum dimidio spatio quòd nemo perierit, rogo an hoc datum sit sapientiæ meæ? an innocentiæ? an falsa de me prædico? si falsa prædico dignus sum pœna non leui, ut qui inuidiam iudicibus, & nomini Hispanico per mendacium quæram? Si sapientia id contigit absurdum est: metam enim superat hoc humanam. Sin ex innocentia, uosmet iudicate quam mihi gratiā pro

ea re-

ea retuleritis? Quod etiam ex ciuibus uix è trecentis unus in manibus meis perpetua fortuna obierit: unde hoc? an scire negligitis? scio quoniam ab his persuasi estis quibus quòd precariam operam exerceant ego nõ poßim, odiosus sum illis & uobis: sed præstat iniustè mori quàm iustis dignos mortibus, etiam inter Sybariticas delicias uiuere. Hæc igitur sunt ingratorũ signa, exigui criminis rationem habere tot beneficiorum, atque innocentißimæ uitæ non meminisse.

2 Iam ergo postquam hoc flagitium ingratorum, ex quibuscunq; sceleribus ac uitijs ortum habet, à dißimulatione etiam gignitur. Dißimulatorem autem atq; alium quemq; quouis uitio laborantem quinq; modis dignoscere licebit: moribus ipsis notis, Physiognomia, Metoposcopia & Chiromantia: uerum de his duobus ultimis altero quidem à nobis, reliquo à multis alijs dictum est. Dicam autem sic ut his parum indigeas, Metoposcopiæ tanquam euidentioris signa adijciens. Dißimulator ergo ad inimicos ut ad amicos se habet, minima laudat & in minimis gratum se ostendit, non sine præfatione: tamen tanquam rem maximam, periculosam & grauem faciat, parum aliorum dictis aut factis commoueri se ostendit. Et cum beneficijs quamuis maximis haud moueatur, pro minimis tamen gratias magnas agit: & pro minimis iniurijs maximas meditatur uindictas. Semetipsum rursus non solum de minimis accusat, sed etiam rebus laude dignis. Quæ contentionem

&

& dißidia afferre possunt, se uidisse aut meminisse negat, aut etiam omnino ignota sibi fore affirmat. Sæpe illa in ore habet, non credo, admiror, obstupesco, non uerisimile est. Generaliter autem dubia scire se negat, de certis dubitare semper uidetur. Subijcit Theophrastus huiusmodi perplexis uocibus atq; repetitionibus, caue ne aut auscultes aut credas. Talia enim ingenia, nec aperta sunt nec simplicia, sed astuta, callida & ad decipiendum sunt parata: ideo magis ab eis quàm à uiperis cauendum est. Scripsit hunc librum annos ut coniector natus nonaginta nouem, unde etiam decrepitæ ætatis indicia in omnibus manifesta sunt. Iudicium maturum, uis imbecilla, argumentum præclarum, narratio incpta, historia diligens, stylus humilis. omnia effœtarum uirium, & in interitum tendentium argumenta. Sed si uera sunt quæ de ætate Senecæ referuntur, necesse est ut ille epistolas post centesimum annum scripserit. Sed quomodo colligant id non sat intelligo: numerentur retro decem anni Neronis, quindecim propemodum Claudij Caligulæ, tres Tyberij, uiginti tres erunt quinquaginta duo cum mensibus interiectis collectis: non plus duodecim annis arripuisse ex Augusti imperio colligo, quodam in loco ut fiant anni sexaginta quatuor. Sed qui dicunt illum potuisse uidere Ciceronem, Senecæ ætatem ad annum penè centesimum retrahat, non tamen ultra. Ergo & Senecæ et Varronis atq; Catonis exemplo, tum Isocratis hunc libellum Theophrastus

omnes auari aut ingrati aut maledici ſunt,ſed ſuo quiſque uitio gaudet.his autem tribus omnes tenentur. Adulatoris igitur poſtquam propriũ eſt placere amando ac uenerando,ac etiã iucũditate ipſa iucundus eſt omnis adulator,atq; ut ita dicã,amico iucũdior uidetur. ſed hoc utilitatis propriæ cauſa. Propria igitur adulatori iucunditas. Et qui illi è regione aduerſatur difficilis atq; contentioſus appellatur: ut etiam diſsimulatori iactabundus. Sed eſt adulator duplex,alius quidem populi,alius autem tyranni. Vnde ubi uigent adulatores tyrannidem non regnum eſſe intelligimus. cum enim gaudeat falſa laude indignus uera eſſe deprehenditur. Vt ambitioſis gratior ſit adulator amico: nam amicitia par eſſe uidetur apud utrunq;, potior autem & dignior adulatoris iudicio. Quamobrem adulator ambitioſos colit.at nulli alij grauis eſt ambitioſus, quoniam ſe præfert ultra metam. Ergo ambitioſus cum adulatore conuenit & adulator cum ambitioſo. Hinc ille humilis totus ac plenè ſeruilis:hic autem elatus & nihil modeſtum ſapiens)rectè copulantur.

Sunt etiam adulatores non uni addicti,qui omnia te præſente quamuis uix tibi familiares cõmemorant et mutant genus facti,laudantes uituperanda & turpia & quæ laudari debent pluſquam debent,uel etiam coram tuis amicis: nec ſatis fidunt illis quòd tibi ea quæ dixerunt retulerint, niſi & ipſi tandem tibi referant. Græcorum proprium uitium.

Quid

3 Quid quod adulandi gens non prudentißima laudat. Nostra ætate Siculorum Neapolitanorumq́;.

Inuidorum notæ sunt, cum aliquem laudari audiũt cum ipsis aliqua ratione conuenientem: aut statim abeunt aut sermonem mutare conantur, aut rident aut cõtradicunt: qui contradicunt aut simpliciores sunt, aut iracundi. Alij omnino silent sed contra habent faciem: quidam rem ipsam quæ palam est uerecundiores minuunt. Nemini benefaciunt atq; cum alienis ac disparibus solum libenter uersantur. Si uitium, si infortunium amici narratur, mirum in modum illius uices dolere simulant, exiguntq́; tanquam non audierint plenè: denuò historiam repeti, commiserationem ipsi præferunt, atque alijs quæ contigere ipsi narrant: & dolorem animi ostentant, adaugentq́; facti aut turpitudinem, aut atrocitatem. atq; id etiam agunt ut occultare dolorem non posse uideantur, quidam etiam eo usq; procedunt ut casum defleant: ut apud Ouidium Vlysses:

Fata, manuq́; simul ueluti lachrymantia tersit
Lumina, quis magno melius succedit Achylli?

Sed & aliena negocia diligentius quærunt, sua occultant prorsus. Et si quid mali magni acciderit, aut omnino silentio tegunt aut ultra omnem metam deflẽt, tum quia parui sint animi, tum quia omnia sua deteriora putant, conditionemq́; miseriorem. Sunt autem malefici & ingentium malorum autores, bonorum autem nunquam.

Discordias

Discordias serunt & homines præcipites agunt, blādi sermone, & cum de calamitatibus alienis quisq; uerbe facit, subhilarant faciem, & intenti ad audiēdum nō secus ac lapidei homines manent ac perstant. Omnes autem qui cum te uiderint quasi subrident, & faciem in morem puerorum aliquid optantium blanditer cōponunt, dißimulatores sunt, inuidi aut auari, aut timentes te, aut contemnentes atq; irridentes. Nihil mirū autem est si tam difficulter deprehendantur inuidi, quorum præcipuum studium est latere. nam nullus tam impurus est, qui adeò latere uitia cupiat, ut de Mamerco Scauro apud Senecam, quam inuidus. omnium enim una uox est etiam inuidentißimorum: at ego illi non inuideo. turpe enim est inuidere se fateri, quòd in ipsa cōfeßione culpæ pœna est. Vt ergo pœnam occultent occultant & uitium: omnes enim flagitiosos si non de crimine, de usu saltem criminis gloriari uidebis, ut auaros de partis parsimonia rebus, libidini deditos, de puellis aut uxoribus alienis quas possederint, iracundos de ultione, ambitiosos etiam de illata iniuria inuidos: nec de crimine nec de his quæ ex criminis fructu proueniunt, nunquam uidebis gloriari. Inuidorum facies parua est plana, macilenta. Oculis intentis aspiciunt, color plerisq; pallidus. Est autem commune malū inuidia, quòd de omnibus sit, uel quia obtinuerint amiserintq;: ut senes iuuenibus felicitatem & robur ac delicias inuidēt; uel quoniam difficilius obtinuerint aut maiori pecu-

ideò semper inuidet. Cum ergo humiles tenuibus lucris & paruis negocijs sint intenti, potentes magnis nacēt, parua aūt frequentia, magna rara, necesse est ut humilium inuidia sit frequentior & semper aßidua, sed nō magna quia non est de magnis rebus, & sæpius de una in aliam causam mutetur, atq; item de uno homine in alium: potentiorum autem uirorum quāto rarior tāto grauior, adeò ut nōnunquam ad machinationē exitij perueniat. Oportet etiam familias & cōditiones alias inspicere. Rustici enim toto genere inuidi sunt & municipiorum accolæ, nam medij sunt inter rusticos & ciues, quamobrē utrorumq; uitia retinent: ciuiū scilicet ambitionē & iram, rusticorū inuidiā & auaritiā. Omnes etiam qui dolosis artib. operā dant, circulatores, mimi, sycophantæ, & qui ex superstitione uiuūt inuidentißimi sunt: & quoniam auaritia maxima inuidiæ iuncta est, hi inuidia sæua laborant atq; truculenta, nam lucrum in eis non solum precarium est, sed etiam sine industria et incertū atq; incōstans, ut aucupari potius quā lucrari uideantur. Aulici etiā, ut dixi, omnes maxima laborāt inuidia nō solū quòd lucra precaria sint, sed etiā quia unius lucrū alteri est impedimēto, et quòd cū lucro gratia domini atq; existimatio cōiuncta sint. Est aūt inuidia iners et experrecta atq; excitata, ac exitialis. Primū genus prorsus inutile ac maledicū, tertiū aūt tacitū ac peßimū. Cuiusmodi Anysti et Meliti in Socrat. Macedonū in Dioxippū, Bagoæ in Indū Regē quē Ale

xander deceptus à puero prorsus perdidit. Et Dionysij iunioris in Philoxenum poetam. In regum aula & erga externos hoc genus maximè sæuit.

Media inter utrunq; genus eruditionis, gloriæ, uirtutis, bonorumq; operum altrix est. Referunt eos qui d literam quasi supinam, & inferius hiantem super dextro oculo altius positam habuerint ob inuidiam multa pati: uel si super dextro oculo propè illum) figurã seu(auersum: at uerò inuidi Cineas habent exiguas in altiore frontis parte atq; directas, transuersam autem unam atq; profundiorem, multas etiam inter supercilia sed obliquas Inuidus humilis est animi quatenus inuidet, quatenus putat sibi deberi excelsi. Moderati qui inuidia excitata anguntur, furibundi qui exitiali, humillimi qui inerti.

4 Perfidiæ nota est leuitas, quæ ab inconstantia differt quòd leuitas inconsulta est, sed perfidus hoc agit ut sibi utilitatem pariat: leuitas communior est, & ad beneficiorum obliuionem plus facit quam perfidia. Rarò etiã perfidus est, leuis sine causa leuis est. Romani Græcos uno uerbo omnia probra continente notabant, scilicet leuitatis: nam hoc perinde erat ac si stultos, perfidos, ingratos, petulantes. At ad leuandam inuidiam sei psos tum Italos cæteros graues appellabant, id est prudentes, gratos, fidos atq; constantes. Ergo perfidi sunt quicunq; leues sunt, cum uel prodigi fuerint aut auari uel ambitiosi, aut iracundi uel amatores. Si autem non

admo-

admodum leues fuerint, horum aliquo uitio uehementer laborare necesse est. Aleæ lusus perfidos efficit. Nihil est quod perfidiam nobis ingeneret nisi affectus qui rationem uincat: nam fides est per se amabilis. Et
Iusticiæ consors, tacitumq; in pectore numen.

Vincitur ergo uel ob consilij imbecillitatem, ut in pueris, mulieribus, uanis atq; stultis: aut ingenitam improbitatem, ut auari, impij ac sponte perfidi, uel ob uehementem iram ex iniuria conceptam, ut Pausanias cũ Philippum interfecit: & qui Astyagem prodidit. Et Rosimunda cum Regem Alboinum coniugem occidit, quòd in capitis paterni caluaria eam bibere coegisset. Quamobrem nil mirum est hoc uitio laborasse Demosthenem & Ciceronem, quòd à Senatu ad populum, à populo ad Senatus partes transiret Cicero: alius etiam quod deterius est, accepta pecunia proderet populum Atheniensem. Sed & Ciceronem accepisse pecunias quibus causam suorum Siculorum proderet iure creditum est. quòd obiectum crimen scommate diluerit, satis ad tantum scelus inepto. Est autem uulgare scelus perfidia sed rarum flagitium: inquit enim Comicus:

Satin, ut quem tu fidelẽ habeas, aut cui credas nescias:

Et rursus

Multi more isto atq; exemplo uiuunt, quos cũ censeas
Tibi amicos, reperiuntur falsi testimonijs.
Lingua factiosi, inertes opera, subiecta fide.

Cur ergo in magnis rebus minus perfidi sunt homi-

nes quam in paruis? cum potius contrario modo res habere se deberet? id nobis declarat apertè uoluntatē nō deesse, sed pœnam timeri. itaq; facile in paruis erit animaduertere: ne credas his qui dicunt perfidum paruis in rebus ac dolosum, in magnis futurum fidei tenacem. Carthaginenses Afriq; generaliter perfidiæ notantur, ac Thessali. Sed & Græci omnes parum fuere constanti fide.

Annibal unus inter eos qui parum fidem seruarent numerabatur. Sed nec Sylla dextræ suæ neq; in ciues pepercit. Sūt qui humillimis fidem non seruandam inter gloriæ insignia ponant, principibus autem datā custodiunt. Hos impios esse constat, sed & si in alienæ religionis homines nō seruauerint aut in perfidos, uel si coacti fidem dederint non sponte, putant à se perfidiæ crimine liberos. hinc ortæ multæ dubitationes. Existimant etiam patriæ causa atq; parentum licere rūpere promissa: licet quidem sed non ita ut perfidus dici possis. nam perfidia solum circa extrema mala uersatur, ut mortem aut seruitutem illius cui fidem præstitisti aut filiorum, fratrum, parentum: coniugis, amici uel præfecti exercitus. At si de pecunijs agitur aliud est, diximusq; quæ in hoc casu peragenda essent. Aliter cum perfidiam, religionem, uim, præstitæ fidei obtenderis: dicam Ouidianum illud:

Si perstas certare, locum redeamus ad illum
Redde hostes, uulnusq; tuum, solitumq; timorem

Post

Post Clypeumq; late, & mecum contende sub illo.

At dices, ergo si me seruus dum exuo uestes sicca aggrediatur, postuletq; mille coronatos, atq; etiã impunitatem exigat, permittam ne me occidi? aut dabo? aut fallam? hoc in casu emittam nec dabo propter improbitatem exempli, non tamen tradam iudicibus. Sed si in uia me latro occupet, dabo, nec pandam si non sit immensa pecunia, nemo tamen alius dabit: sed etiam illum ut securior sit, & ob iniuriam iudicibus tradet. Ergo quid agendum esset intelligis, intelligis etiam quid à te sit expectandum. Maxima perfidiæ exempla in tyrannis Diodoro, cognomento Tryphone, Ptolemæo Macedoniæ Rege, Agathocle Syracusanorũ. Rhadamisto Hyberiæ, Philippo Imperatore, Lysandro Lacedæmonio, Stilicone, Richimerio Patritio, Emanuele secũdo Orientis Imperatore, Michaele Paleologo, Valentino Cæsare, Borgia Hispano, Antonio Spinola Genuensi, Bernardino Curtio Mediolanensi uisa sunt: hósque omnes constat iracundos fuisse, crudeles, ambitiosos, humilioriq; quam pro fastigio cui præpositi erant conditione natos.

Ergo hi omnes blandi sunt uerbis, in agendis prompti, mendaces, prodigi aut lusores, iracundi, nec iram uerbis effundũt: inimicos blãdè excipiũt, minimè maledici, partes circa oculos molles et uacuæ, oculi aũt cõcaui, longiores multo quã lati, in quorũ iride circuli aut semicirculi, uehemẽter mobiles incõstãtesq;, sanguinei

aut pallidi, supercilia iuncta, frons contracta, capilli
Crispi, collum breue, aures paruæ, mentum exporre-
ctum, pectē quasi sicca carne uelut in simijs obductum,
uox submissa, ornatus uenustus, color ruber, aut palli-
dus nigricans, motus concinnus, inter eundum retro sæ
pe respiciunt: lineas habent uiperis (contortas scilicet)
in fronte similes, & maximè super oculum utrunq;, si-
♎ nistramq; superiorem maximè huiusmodi: næui quoq;
super sinistram palpebram, aut supercilium, aut circuli
aut deformes figuræ transuersæq; in tota fronte perfidi
am declarant. Motus etiam incompositi & inæquales,
cumq; pueritiam exierint, si loquendo oculos non at-
tollunt nec respondent, indignabundos esse declarant.
Hi autem maximè proditores, fures quoq; omnes pro-
ditores sunt. nam uiles & lucri cupidi atq; improbi.

5 Inepti qui modo loquantur nullum discrimen ha-
bent temporis, loci, personæ, propositi, sed omnia per-
peram afferunt in medium. Constat autem hanc defor-
mitatem stulticiæ partem esse, sed in sermone non in o-
perationibus. Hi ergo loquaces sunt, nec quid loquan-
tur animaduertunt. Quamobrem præter id quod au-
dientibus fastidium pariunt, amicos & coniunctos qui
præsentes adsunt sui causa erubescere cogunt. Sunt &
inepti ad negotia quasi minus apti, & si loquaces non
sint: ineptè agit aut loquitur quòd ab omnibus repre-
hendi potest, adeo ut quidam etiam pueris risum moue
ant. Facies magna ualde, tum frons & circularis, color
albus,

albus aut nimis niger,prælonga crura & rotunda &
ſoluti articuli,collum complexum,craſſum & colliga-
tum, muſculi ſcapularum ſurſum expanſi, mandibulæ
magnæ,oculus prominens & croceus,aut albus nō ca-
uus,qua ceruix collo implantatur omnia, carnoſa &
pinguia & facies præcipuè. In fronte nullæ lineæ aut
exiguæ:nec rectæ aut firmæ. Sunt & inepti ad diſcen-
dum quos rudes meritò appellare poſſumus.

6 Ruſtici cum famulis ac ſeruis ſermones ducant ac
quaſi de magnis rebus loquerentur etiam ſecretè: nul-
lis fidem habent nec credunt,nec ullis in re magna in-
ſeruiunt. Voluptatibus parum dediti ſunt,ſed multo mi
nus decorem curant,uilia diligunt, præclara non ſuſpi
ciunt,ab omnibus petunt, utilitate cuncta metiuntur,
ſimplices ſunt, niſi ubi de re ſua agitur, nihil quod ad
quæſtum pertineant negligunt,cupediarum & ſermo-
nis compti,& ſuauitatis morum contemptores,ut etiā
ſtudiorum liberaliorum & muſicæ:rudes,inculti,incu
rioſi,parum affectibus mouentur,impudentes,laborio
ſi,duri,timidi potius quàm fortes,inuidi,triſtes,ubi ira
efferbuerit non facile cōquieſcunt:magna non admirā
tur,nec de eis ſermonem libenter ſerunt, ſuperſtitioſi
ualde,futurorum quæ ad eos pertinent ſolliciti,in ſocie
tate taciti,& ab omni ioco alieni, alios uerò lætius lo-
quentes & ad hilaritatem incitantes aſpernantur, tan
quam non audiant.Fronte caperata, minimè perluci-
do colore,facie oblonga,inceſſu tardo, in fronte pau-

ce lineæ ac longe, uenæ nusquam manifestæ.

7 Obsequentes in genere quasi sunt adulatorũ, puerilibusq; moribus aßimilantur. ideoq; in paruis rebus morẽ gerunt, & cum quadã ostentatione, scorti quasi similes: abblãditur obsequens paruis filijs, atq; omnibus quos domino gratos esse existimat, atq; cunctis se præbet gratum, iucundũ, officiosum, cultum diligit ac mũdiciẽ, libenterq; cum infirmioribus ætate uersatur: ut senibus, puerulis, uel sexu, ut mulierib. item fortuna ut cum ancillis ac famulis: adhæret etiã adolescentibus & generaliter refugit sapientes, fortes, robustos, quia his minus se charum putat. quoniam humilibus rebus hi nõ adeò delectantur: uersatur cum diuitibus & imperitis, negocia illorum diligenter tractat, sed magis in speciem quam rem, prosenetã agit. Est fermè rustico cõtrarius, sed tamen uterq; ad uitiũ refertur. Sæpius ad te uenit, exorat leuia, tuisq; affectibus quantũ potest se accommodat. Si illi irascaris abblanditur aut tacet, si aberrauerit ultro se corrigit & iacturam emendat. Horũ physiognomia ad fæminalẽ decorem accedit, lineæq; lõgiores inter supercilia & transuersæ, pulchræ, cæteræ ut adulatorum sed molliora: nec obsequens adeò utilitati suæ in præsens prospicit, uerùm bona spe melius alitur, creditq; magis amico.

8 Vecordes sunt qui omnino pudoris rationem nullã, neq; honestatis retinent. ideo omnium impudentißimi, flagitia omnia tractant, nihil turpe sibi esse ducunt aut

agere

agere aut pati. Ex artibus coqui, præcones, Brutij seu lictores, uectigalium exactores, saltatores, mimi, comœdi, lenones, lanistæ, fures, circulatores, totaq; turba sycophantarum, quæ nihil humani diuiniq; iuris pēsi habet: matribus alimenta denegare non pudet, periurare, depositum negare & mutuum illis familiare est, negligere filios, abijcereq; etiam absque culpa. Tyberius Brutius erat Gallaratæ, hic quinquennem unicum filium è pedibus suspendit, uide quo crimine? & obijt ea causa.

Magna uoce & absona publicè loquuntur & alios euocant, nihil illis pulchrum nisi quòd alijs turpißimū uideatur: alijs nugas quasi magnum aliquid dicturi insusurrant. Emptionum tamen & uenditionum uilium rerum periti, atq; fraudum omnium mendaces, gulosi ad uerborum contentiones iurgiaq; procliues, contumeliosi, & cum ipsis nihil turpe sit alios quoscunq; clamorib. deformare student, loquaces qui præcipuè hoc uno ab initio statim dignoscuntur à cæteris, quòd ueritatem eorum quæ alius recitauerit soli se tenere affirmant? uel quòd extra propositum adeò dicacitatis amatores sermones aggrediuntur.

Qui uerò ex his callidiores se existimant, occasionē ut loquantur quærunt. Vtrique tamen ubi loqui cœperint, dicendi finem nullum inueniunt, sed ex una re in aliam transeuntes si quispiam se intermisceat inturbant: laudat alios maximè concionantes, ut ansam loquendi

loquendi arripiat. Comitem se præstat ultro & facile omnibus, unde illud Horatianum:

Cum quidlibet ille
Garriret, uicos, urbem laudaret, ut illi
Nil respondebam, misere cupis inquit abire,
Iamdudum uideo: nil agis usq; tenebo.

Si salibus ac scommatibus tangatur gaudet, tum ut loquendi causam habeat, tum quòd sibi similes inuenerit. Puerorum, mulierum, uiliumq; & imperitorum societate lætatur, tædiosus est, & cum loqui non potest, audire cupit. Ex inconstantium numero est.

Si uitium hoc in potentiorem ac nobilem incidat mirum est quantum Reipub. pestiferum sit. Catilinam huiusmodi fuisse haud dubium est. De quo Salustius, color exanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus, prorsus in facie uultuq; uecordia. Dicitur autẽ uecors quasi sine corde, cum eò enim amentia processerit ut sit prorsus sine uerecundia, uecordia dicitur. Pudore enim hominum acta dictuq; definiuntur. Cum pudor omnis profligatus est uecors dicitur. Manifestum est ergo huiusmodi homines peßimos esse, & ad omne flagitium nequitiamq; paratos. Vnde illi peiores omnibus sunt, quibus cum uerecundiæ signa apparent deteriores euadunt, uelut referunt de Sylla dictatore, tũc enim maximè sæuiebat cum facies rubore profundebatur, quod in eo iræ non uerecundiæ signum erat, ideoq; insignis uecordiæ. Qui enim ex uerecundia rubent &

titubant,

titubant, ut miser ille filius meus, hi optima natura præditi sunt, ut etiam Seneca testatur, à uecordiaq; quam maximè absunt. Sed hoc tempore uecordia pro uerecundia in pretio est. Timidi ergo ac in loquendo uerecundi apti sunt, & benignæ naturæ. Cæterùm uecordis signa ex natura sunt, caput acutum. nasus à fronte statim incuruatus, minimeq; bene dearticulatus, latus ac contractus: oculi ignei ac splendidi, palpebræ crassæ, color fuluus faciei, uox acuta, pectus et uenter glabra, dorsum pilosum, crura adeò plena ut parum distare uideantur, digiti pedum incurui, incessus uelox & inæqualis. In fronte autem lineæ principales abruptæ, aliæ paruæ, inæquales, obliquæ, interruptæ, deformes, & maximè super sinistrum oculum.

9 *Impudentes non adeò improbi sunt, & per genera distinguuntur: nam aliqui ob auaritiam & lucri cupiditatem, aliqui ob libidinem, aliqui ob stulticiã, quidam ob improbitatẽ quos uecordes esse diximus sunt. Horum est proprium mutuo petere, & rebus alienis sine uerecundia uti. Cum uerò docuerimus pudorem in homine esse frenum uitiorum, & indicium probitatis, qui sine pudore sunt in omnia mala prolabuntur, quæ legibus non solent subijci: inuerecundi sunt mendaces & petulãtes, atq; audaces, ueraces, uerecundi. Si ergo uerecundus de turpi re & uera quam uel metu, uel naturæ stimulo, aut alterius dolo admiserit interrogetur, hærebit inter mendacij & confeßionis turpis*

metum

metum & ambiguitatem. Ex qua coniectari mora in respondendo licebit, & facti turpitudinem & mentis probitatem. Signa illius sunt qui sit inuerecundus, oculus apertus & splēdidus, palpebræ sanguineæ & crassæ, facies rotunda, nasus parum curuus, color rubens & flammeus, musculi scapularum eleuati, & pectus sursum tractum: figura non recta corporis, sed parum prona, incessus uelox & quasi concitatus, lineæ frontis quasi in frustula diuisæ, uultus contentus, & qui colorem non mutat.

20 Vanos sic deprehendes, multa sponte falsa loquūtur, constanterq; affirmāt rationē & argumēta addūt, magnāq; uim orationi adhibēt, ut quæ dicūtur credas. Cōmenta fingūt, atq; in hoc à mēdacib: etiā, qui solū ut fallāt mentiūtur, differūt. Horū pars quasi serio agāt; grauitatē quādā præ se fert, alij subridēt, incōstantes omnes sunt: nō tamē omnes incōstantes uani sunt, ad incredibilia si nō mouearis, tandē transeūt. Omnes illorū actiones atq; indicia uana sunt ac læuia, caput habent quasi angulosum, frontē magnā atq; rotūdam, qui rationi nituntur: alij exiguā & strictam. Horum propriū est circa oculum sinistrum multa habere, & incondita.

21 Inconstantes cum ad te uenerint, antequā sedeant circūspiciūt cūcta: et arrepto scāmno nihilominus alio oculos intendūt & sedēt, & quasi proprij muneris obliti se huc illucq; circūuertunt. Iidē habitu, uocis tono, uotis, ambulatiōe, amicis, studijs perpetuò euariāt.

Huius-

Huiusmodi hominē Horatius pulchrè describit, dicēs:
Quod petijt spernit, repetit quod nuper omisit,
Aestuat & uitæ disconuenit ordine toto,
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Eorū propriū è manib. nunquā quiescere nec sedili; sed si pudeat magno labore in eodē perstāt situ. ob id nō ingrati semper, sed fortuito grati: cōstātes enim propriè grati sunt, quoniā beneficiorū memoriā firmā retinent. Frons parua admodū, aut magna ualde atq; rotunda, cū oculis paruis ualdeq; mobilibus, corpus totū glabrū, aut pectore, humeris, ac uētre toto hirsuti sunt. Iidem lineas multas graciles, inter supercilia & iuxta sinistrum oculum habent. Hos facile deprehendes

12 Curiosi cum sederint & cū nō loquuntur, sedulò omnia circūspiciunt, oculisq; magis intētis quā inconstantes. Taciturni sunt & tuis blādiuntur, obliquas faciunt interrogationes, & ad singula responsa uidētur admirari. Virgil. in quarto Aeneidos Iunonem Veneris mentem explorantem inducit:

Habes quod tota mente petisti,
Ardet amans Dido, traxitq; per ossa fauorem.
Communem hunc ergo populum paribusq; regamus
Auspicijs.

Inde anxiū nimis futuri, quamuis seniorem à iuniore decipi ostendit. Sic enim Iuno rursum:
Venatum Aeneas unaq; miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus

Extulerit

Extulerit Titan, radijsq; retexerit orbem
His ego nigrantem commista grandine nimbum.
Desuper infundam.

Multa sciens prætermitto. Curiosos si quis agnoscat, facile est fallere. Scripsit de curiositate libellũ Plutarchus. Sed tam est bona curiosa diligentia, quàm fallax aut molesta curiositas improba atq; odiosa. Inter animalia curiosa dici simia potest. Facies ergo parua, & oculi & quæ circa collum & scapulas macilenta, articuliq; soluti. Et timidi plerunq; curiosi sunt. lineæ uero multæ, tenues inter supercilia.

15 Fures quoq; cum in locum quempiam uenerint, cuncta circunspiciunt, sed intentius quam inconstantes, & tractant nõ ut curiosi, nec adeò diu oculis lustrãtur, sed & pecunias & res preciosas diligentius inspiciunt. Si etiam occasio detur domum perambulant, atque discurrunt hiccinde. Motus habent inæquales, quãdoque enim lenti & cogitabundi incedunt.

Persæpe autem cum aliquid habent negocij properant. Sunt etiam motus eorum leues admodum, adeò ut ex oculis fermè euanescant: manus quoq; cum corpore inter eundum mouent. Pulchris non delectantur si preciosa non sint. cum importunè tenuibus in uerborum leuitate blandoq; sermone conueniunt, sed operã dant ludis, conuiuijs, & meretricibus: cum pecunia numeratur intentis admodum oculis inspiciunt, sæpius tractant quæ preciosa sunt, modo retinẽt, modo mu-
tant,

tant, manus nunquam uacuas habent. Pallium pectori obtendunt: dum tractant multa perperam nugantur, alioquin taciturni, raro soli incedunt, cum habent splẽdidè induuntur: generaliter autem sordidè atq; tenuiter. Proprium est eorum ignotis se adiungere, uel etiam taciti, & cum his domos incognitorum tanquam illorum socij ingrediuntur.

Sic utrumq; fallunt, dominum domus qui amici socium existimat, amicum qui familiarem domino esse putat. Adeo hoc genus hominum ingratum est, ut in prouerbio sit eos solere suspendere à quibus fuerint liberati. Et certè cum sub amicitiæ specie furentur. Quid mirum est etiamsi amicos toties quoties poßint, fallant? Qui natura tales sunt, oculos habent noctu lucentes, aut exiguos, albos, intus reconditos, àlij ualde mobiles, aures quoq; ualde paruas, timidi sunt & omnia occultè agunt.

Capillos crispos, faciem, frontem, caput, parua, macilenta, collum gracile, uox tenuis, aspera, digiti inæquales, & ungues adunci, & crura in externam partem sinuata, χ figura hæc et lineæ ualde obliquæ in fronte in modum arcus, & maximè super sinistrum oculũ finientes è tempore in claui formam sic ⊢— Trãsuersa quoq; breuis super sinistrum oculum ex frontis cornu descendens, si non adsint lineæ longæ ullæ naturales, tunc fures decernit. Sed et super supercilia singulæ duæq; in medio breues. Frons etiam & facies pilosa

propria furum sunt indicia:

14 Importuna tenuitas auaritiæ species est, quæ alienis rebus non se immiscet, sed parcius quam deceat sua custodit. Vnde ab impudente in hoc differt, quòd ille aliena auarè tractat, nam nullo iure eis importunè utitur, modo mutuo, modo etiam per se quasi ioco & cũ risu tollendo: ut audacia pro consensu utatur. Horum ergo qui de suo solum parci sunt proprium est blandis uerbis uti, quasi natura supplente defectũ rerũ atq; officiorũ, sermonis lenitate. Timidi sunt omnes in re pecuniaria: Et, ut inquit Cicero, nihil tam angusti animi, tamque parui, quã amare diuitias. In uestitu quoq; & ornatu domus atq; familia supramodũ tenues: uasa trita, calcei putres, & ueteres & si tersi sint, conuiuia nõ faciunt, nec quenquã ad edendũ secũ inuitant, minima quæq; curant, et propriũ eorum est diligẽtißimos esse. Queruli sunt, & liberalitatẽ in alijs profusionem uocant, splendorẽ uitæ stultitiã, lẽti sunt in ambulãdo, plura licitantur & pauca emũt, ad abiectaq; ac uilia si emãt, se cõferunt. Si quid habeãt uenale tanti uendunt ut emptor nihil inde superlucrari poßit: tũ suadẽt ut cõmutent, & preciũ emptori sub fœnore credunt. Nulli mutuũ dãt, nulli accommodãt. Hyemis tẽpore ignis sub cineribus latet: alijs uerò temporibus, ne sub illis quidem seruari uult. Si quid casu aliquo pereat, obiurgandi & increpandi nullus est finis, calceos ueteres, detritasq; lacernas seruant.

Si quid arcani uel exigui habent memini dicunt, ac
ita celant, ut si scire uelis magno precio emas, uersan-
turq; libenter cum similibus, nec pauperũ colloquia a-
spernãtur, modo ad rem quantũuis exiguã aliquid faci
ant. Eorũ scapulæ, id est, ossa lata in acutum desinentia
quæ humerorũ motu sursum deorsumq; aguntur, ipsi
quasi dorso annexæ sunt. Vocant has in quadrupedib.
armos. Fœdus aspectus & uultus paruus, parui oculi et
parua mẽbra etiam reliqua, uox acuta & celer, color
subpuniceus uel niger, facies remissa, rugosa & quasi
abrasa, macilenta. Crines recti ac nigri, incessus æqua
lis & tardus, lineæ exiles breuesq;, & inuicẽ ualde pro
ximæ, & præcipue in medio frontis.

15 Petulantes impudentes sunt, sed cum insolita au-
dacia: tãto minus tamẽ sunt prostituti pudoris ipsis im-
pudẽtib. quãto audacia & importunitate fuerint mole
stiores. Et ideò etiã ipsi ex ingratorũ numero sunt, sed
nõ omnino semper. quãdoq; enim etiã grati sunt. Voces
magnas & inconditas emittũt, & parũ familiares sibi:
nonnunquam etiam incognitos lacessunt. Irrident om-
nes, maximè quos socijs inuisos esse putant, tum etiam
miseros, quos nonnunquã uerberant, uel transuersos
pede in terram agunt: insultant infelicibus & iudicio
uictos irrident, aut quasi nescientes illos tanquam ui-
ctores salutant.

Nec ullũ genus hominũ bonis tã infestũ, nec quod in
cognitis sit adeò molestũ, eosq; tã impudẽter appellet.

Vu 2 Fami-

Familiares se faciunt potentioribus dum alios irrident, & miseris ut illos infestare poßint. Si quis eos de uia interroget, aliam commonstrant, & ubi faciem illi uerterint statim rident. In seruos & famulos nulli deteriores. nam & labores inexhaustos iniungunt, & uix quantum satis est cibi præbent: pueros autem familiares sæpe, & etiam sine causa uerberant, & plerunque nudos inde cauillantur, & ad sermones quasi blandos inuitant.

Tum dicunt utilitatis suæ causa illos uerberasse, nec antequam uerberent ulli asperiores, postquam uerberauerint ulli blandiores. In filios etiam molesti. Mutuum & commodatum accipiunt: sæpe etiam sibi sumunt nec petere dignantur: aut etiam à nolentibus.

Omnia fastidiunt, & omnibus molesti sunt. Prodigi aut auari semper, liberales nunquam. Omnia deniq; sibi, alijs autem nihil uolunt, & omnium sunt molestißimi præsertim impotentibus.

Morbus est hic adolescentibus familiaris. Pleriq; enim tales sunt præcipuè diuites, his labium superius est quasi inuersum, & specie proni sunt & rubicundi, lineæ in fronte circa mediũ & rubræ: boni habitus sunt & facie rotunda, & carnosa habent crura, & parui statura, aspectuq; hylares.

16 Importunius est petulans, malignus, ideo quæcunque maximè displicent agit. Luctuosos ut C. Caligula facere solebat, ad iocos incitat: impeditos ad ludos, retinetq;

tinetq; inuitos, ægros ad ſeria, feſſos ad deambulationes: ieiunos retardat, tacitos ad narrationes, ſollicitos de rebus ſerijs, ad nugas hortatur: compellit nolentes, laudat quæ oderis, & ad ea quæ non inueniuntur ut quæras hortatur, quæ nouerint docere uult. Dum pueri alieni uerberantur, alios commemorat qui ob idem peccatum acrius uerberabantur, ſuadetq; ut magis ſæuiant, è re illorum fore atq; eis utile: inde eiſdem commemorat, & an dolorem flagra intulerint, & an adhuc flagret interrogat. Et an loro an uirgis cædi malit. Senem de libidine, pauperem de ſumptu, ſingulos de proprijs calamitatibus ridens ſciſcitatur, ac moratur uerbis.

Quæ quis fieri nolit is ad agendum ſe oſtendit paratum: lites & rixas accendit non ſedat. Nil deterius hoc hominum genere ſi nomen ipſos non declararet quales eſſent, ſtultos ſcilicet, improbos, omnino inutiles & moleſtos. Sunt eorum ſigna ut illorum quos diximus petulantes uocari, ſed non ſunt adeò hilares. Et oculi illorum rugoſi & quæ circa illos præcipuè, tum etiam in tota facie pinguia: rudes ſunt & dorſi ſpinam quam longiſſimam habent crurium cõparatione. His neceſſe eſt ut in uita multa accidant inconuenientia atq; incommoda.

17 Impatiens natura eſt potius quam animi uitio: dignoſcitur aũt quòd cũ morari uno in loco diu cogitur quieſcere non poteſt, modo caput, modo manus, modo

pedes mouet, raroq; diu in uno loco moratur. Ab incō stanti multum differt. inconstantia enim animi uitium est & ad actiones pertinet, impatientia naturæ, ideoq; ad corpus. Ad negocia ciuilia non est aptus, in cæteris minimè malus, nisi ubi patientia opus sit. Si expectare cogatur deambulat, nec eadem uia sed diuersas in partes fertur, lustrans omnia loca domus. Suspirat, gemit, æstuat, laborem quieti præponit. Impatiens dum ambulat, crura iactat. Auibus similis est natura impatiēs: hæ enim nisi cauea constrictæ & adēpto lumine quiescūt, iracundi sunt hi. Cercopithecis, Indis, paruis, fuscis, bene olentibus impatientia propria est inter quadrupedia.

Quamobrē parua facie sunt tales, macilenti, pilosi, graciles, subnigriq;. Nasus in apice ualde acutus impatientiæ signū est. nā auib. talis ust. Lineas breues, tenues supra oculū sinistrum habent, uel etiam in medio super ciliorū. Est etiam impatientiæ genus quoddam parum à stulticia differens, de quo aliàs dicemus.

18 Latrones lento passu & inæquali, nec rectè ad amußim incedūt. Capillo inornato nec recto nec crispo sed inæquali: oculi torui, fusci, maculis sanguineis uel aureis respersi, obliquè aspiciunt tametsi strabbi non sint. Rauca uox, hispidum pectus, color faciei fœdus, gestus inconditi, supercilia crassa & cōniuentia inuicem. Siccos habent oculos, & arctas nares, facies quasi somnolenti, crura musculosa & iuncturæ bene colligatæ.

In fron-

In frōte ⁓ uel sic ⁓ uel linea exigua super sinistrū oculum quæ ad exteriorē illius angelum tendat: uel si super eundem duæ lineæ sic se habeāt ⁓ latronē hæc omnia declarant.

19 Ostentatio doli pars est, cū quæ nō habes habere te simulas, aut meliora maioráue. Factis, dictis, scriptis, silentio homines se ostentant. Inter ignotos hi liberius uersantur, quia locus est fraudi: uel si inter notos de ignotis loquūtur, ut præteritis & quæ procul sunt. Maxima ostentationis pars est occultare omnia ab initio, ac uelut repentinū se inferre. Vnde etiam irruptio militaris ostētationis pars est. Verbis potius quam factis aut scriptis se ostentāt homines, quòd uerba leuißima sint. Tum in communibus disciplinis, ut Dialectica & Rhetorica, tum abditis ut in Theologia, Chymica, Necromantia magis quàm medicina aut mathematicis. Item in pompis ac sepulchrorū ornatu propriè homines se ostentant.

Ostentator quasi è regione dißimulatori contrarius est, ob id etiam contrarijs notis, sed non exquisitè declaratur. Rerum in quibus se ostentat per longas uariasq; ambages sermonem deducit: ubi eò peruenerit mauult ab alio recitari quā à se gloriā suā, actaq;. Si nemo id agat circūloquitur, nec ut antea è re in rem transit, sed circa idem uersatur. At si nec hoc succedat? alium quempiam laudat aut in re eadem aut consimili, ut homines ad huiusmodi sermones trahat. Hortatur

etiam socios clam ut de ipso loquantur, non quòd huius iactantiæ cupidum se ostendat, sed quoniam id utile sibi futurum contendit. Quidam eo amentiæ ob impatientiam perueniunt, ut si quis alium in huiusmodi negocio laudat, seipsos suppresso nomine, uel sub amici persona extollant ac præferant. ἀλαζῶνες Græci uocant hos homines: leopardis atq; pauonibus uitium est peculiare. Hi omnes uanitatis suæ testimonium aliquod uel in uestibus, uel ornatu referunt.

Si quempiam agnoscere uelis an ostentator sit? amicum illius lauda, non torquetur ut liuidus, sed æstuat donec ad sui mentionem transieris: non enim irridet aut minuit alterius existimationem ut inuidus, habet etiam in ornatu inæqualitatem. quoniam dum nimis studet in eo in quo sibi placet, reliqua omittere cogitur, aut non pari studio colere. Idem si canat, pulset, recitet, oculos circumuertit, spectatq; astãtes, an in ipsum omnes intenti sint? Vbi absoluerit, socio etiam si nunquam aliàs eum uiderit, se uni uel alteri præfert. Laudat etiam unum ut alijs honestius se anteponat. Quin etiam palam laudat clariorem è socijs, ut ab illo uicissim laudetur. Si talionem ille non reddat, tacitè irascitur, & persæpe abit, ac clam illum accusat. Ostentatorem in certaminibus musicis Neronem fuisse historici omnes referunt. Qui uerò etiam præter ostentationem se laudat iactator est.

Sunt his oculi parui, albi, concaui, frons longa, au-

res ro-

res rotundæ, collum & dorſum longum, pectus expers laterum: coxæ & fœmora carnoſa, ſoluti & laxi articuli: os magnum habent, inſidi hi ſunt ac leues. In fronte lineæ ſuper oculos magis quam in medio.

20 Ambitioſi facilioris cognitionis ſunt inuidis. quoniam in exceſſu peccant. Hi ergo ueſtibus ornati & cõpti, famulos & equos omnia iuxta eandem rationem habent, non ut oſtentatores. Salutant potentiores, & clam etiam ac ſoli æquales: ſimulant etiam & perſæpe humanitatem, unde etiam plebeios non dedignantur ante ſalutare, ſed cum irriſione quadam. quoniam indignantur non eſſe ſalutatos prius ab illis: in cœtib. hominum rarò reſalutant inferiores, uix annuunt. Sed neq; medium ſeruant: aut enim quaſi negligunt, aut nimis officioſè reſalutant, uelut nihil poßint ex ſua exiſtimatione minuere, hoc enim faciunt & principes, iјdem familiariter tecum agere ſe profitentur: in locis tamen publicis primum locum, ſi permittatur, etiam præter rationem retinent.

Si quis eripiat aut non curare ſe oſtendunt aut paulo pòſt abeunt. Nec muſica nec iocis nec ſaltationibus delectantur, niſi in domo ſua hæc agantur. Triſtem uultũ præ ſe ferunt, taciti q; manent donec occaſio illis detur, & ad omni uenuſtatem ſtudio ſe componunt. Cum ſeruis coram alijs non litigant, nec illos niſi leuiter arguunt. Suos ſuaq; omnia mira induſtria efferunt: cum occaſio loquendi datur nunquam finem faciunt, quo-

niam ut sibi ipsis placent, ita alijs placere si existimant. Submissa uoce loquuntur, dum nemo eis contradixerit: ubi quis contradicat, ita irascuntur, ita pugnant, ut dixeris de proprij capitis periculo illum contendere. Vbi paululum se ab audientibus obseruari animaduertant, tunc tanquam dij ab omni ambitionis suspicione immunes se præstant, adeò ut eos qui eo uitio uacãt, humanitate uincere uideantur. Sibi ipsis aures dum loquuntur præbent ac placent admodum, & si quis uel screet nedum interrumpat ægerrimè ferunt: & nonnunquam irascuntur. Veridici sunt ubi deprehendi possunt & cum æqualibus, cum alijs & dum deprehendi non possunt multa mentiuntur.

Magis tamen rei speciem & quantitatem mutant quam ipsam rem. De reb. maximis quæ illis præter spẽ acciderunt, de congressu cum principibus, ac cum ipsis eorum familiaritate, tum etiam de casibus in quib. fortuna studio euicta succubuit libenter loquuntur. Circa æquales & æmulos: generaliter semper de illis memores decoris, & cum existimatione loquuntur. in specialibus contradicunt, oppugnant atq; irrident, partes illis relinquunt minus opimas: in his aũt se illis apertè præferunt. Aut si nimis illæ coniunctæ sint partim cedunt, partim se supra extollunt: diligenter autem animaduertunt cum quibus loquantur. priuatim publicè negocio extra negocium cum amicis proprijs, uel alterius uel communibus, quem soli euertere posse desperant

rant maxima pernicie urbium multos sibi adiungẽtes euertunt.

Popularem auram aduersus omnia sacræ philosophiæ præcepta maximè obseruant & captant. Omnes ambitiosi iracundi sunt aut apertè aut tacitè. quoniam multa illis euenire necesse est propter quæ irascã tur, ideò natura in habitum transit: necesse est autem plura illis contingere propter quæ irascantur, quoniã plura exigunt quã mereãtur: nã si non id agerent magnanimi potius essent quam ambitiosi. Ambitiosi sunt maximè ignobiles, cum à fortuna ad splendidum statũ euehuntur: imperiti cum plebem deceperint, improbi cum sanctitatis nomen falso occupauerint. ob id hæc tria genera ambitiosorum pessima sunt, & genus contrarium maximè oderunt: scilicet nobiles, sapientes & probos, ab his enim timent ne fucus detegatur: ob hoc etiã usq; ad internitionẽ illos odio prosequũtur. Vnde cum in excessu sit ut dictũ est hoc uitiũ, & à falsitate originem ducat, pessimũ est & exitiale. Crudeles admodùm sunt ambitiosi, horum generum nil pensi habẽtes in quo existimatiõis suæ periculum agatur. Dæmones ambitiosos, nõ alio uitio laborare dicũt Theologi nostri. Non emendantur uitia in ambitioso, quia ut aliàs diximus, quæ emendantur à meliore in melius commutantur: at ambitiosus uix Deum, certè nihil aliud seipso melius esse putat. Aliquando ambitiosus hic gratus est, ut probitatis nomen retineat non uirtutis gratia.

Maximum

Maximum ambitiosi crimen est cum irascitur, cum cõtendit. tunc enim à nemine uinci se patitur, nec iuri succumbere uult, indignabundus præterea est ambitiosus. Et cum humilioribus uersatur libentius quam cum æqualibus, quia illi cedunt humiles, æquales nõnunquã cedere recusant. Si plures sint æquales atque inter hos ambitiosi aliqui, statim hi inter se conueniunt. quoniã alios inferiores esse putant, malunt similibus iungi quam inferioribus. Placari solent obsequijs cum humanitate coniunctis, illud Virgilianum iactantes:

Parcere subiectis & debellare superbos.

Quod uerbo potius quam re præstant. Est & ambitionis aliud genus laudis non expers, quod & ad uirtutem nos capessendam excitat, & ea adepta uoluptatẽ capit: esse uerò aliquando laudabile ostendit illius contrarium, quod semper uituperatione dignum est, scilicet uecordia de qua dictum est, & sordities animi quædam ac abiectio.

Ob id quam rectè inquit Aristoteles huiusmodi ambitionem esse laudabilem, quoniam homo plus alijs honorum est appetẽs: uituperatione quoq; dignam, quia non solum plus alijs hominibus honores appetat, sed etiam plus iusto: hoc autem non conuenit. Consistit aũt ambitio in honore et amore, atq; his quæ quæ ex duob. his consequuntur: cum enim ambitiosus amari atq; honorari se cupiat ac credat. ob hæc etiam magistratibus atq; dignitatibus ornari plus alijs se dignum censet. Er

go &

go & ut amorem retineat & existimationem, compositus comisq; ac blandus, si prudens sit ambitiosus erit. Secum tamen omnes alios ambitiosus despicit: partim quòd eum plurimum à se distare quemuis putat: partim quòd si humilis ille fortuna sit & miser, per se despicitur: si non sit huiusmodi, inuidet illi ambitiosus. Ambitiosi enim ut diximus, inuidi sunt. Ambulant ergo ambitiosi longis paßibus, quia lentis: lentis autem ut decorem seruent ac uenustatem. Venustas enim & decor in æqualitate consistit: æqualitas autē in celeritate seruari non potest. Præterea in celeritate multa solent cōtingere inconuenientia, lapsus, castus, cespitatio. Ostendit etiam celeritas illa motus animi lenitatem, siquidem corpus animi imperio mouetur.

Qui etiam nos comitantur, aut irrident aut queruntur, si quis cogat eos iusto celerius ambulare ac sequi. Cum uerò maximū malorum sit ambitio, ut cuius causa uel auaritia omnia iniusta aguntur, ubiq;, ut refert Aristoteles, uitandus est admodum ambitiosus, maximè si non ob uirtutem talis sit. Sunt ergo ambitiosorū tria genera: dolosum quod peßimum est, uirtute præditum quod optimum est, & minimè aspernandum. quandoquidem humana natura uix sine uitio esse potest. Esse enim absq; uitio ullo proprium est deorum: & medium quod ob relictas opes & maiorum gloriam se iactat: tanto inferius hoc secundo genere quanto primo melius, nobilius ac tractabilius. Neq; uerò omnis de se existi-

existimatio habetur magni animi est. Ambitiosissimus mortalium fuit, sed sine reprehensione Alexander magnus. quoniam & uirtute parem se affectui gessit. Sed familiare hoc uitium præclaris uiris in armis ac sapientia. adeò ut Aristotelem referant pœnituisse inscriptionis rhetoricæ ad Theodectē. Videtur ergo nō ambitio mala tam esse, ut dixi, quā ambitionis genus. Stulta uero ut Lucani, stulta & impia ut Erostrati, Pausaniæ, Olgiati. ergo præstiterit uel malā uel immodicā agnoscere ambitionē. Leo & Aquila inter animalia ambitiosissima sunt. Sed aues ob distantiā naturæ ad hominū formā redigere uelle, nimis arduū est. De Leone aliqua dicenda sunt: caput habent & thoracē amplum tū os, faciem quadratam nō ualde osseam, superiorē mandibulam nō ualde eminentē, nasum crassiusculū, oculos concauos & caropos, supercilia magna, frontem quadratam, cauam in medio, collū firmū in ambulādo spatulasq; mouent, crura graciliora & neruosa. In fronte lineæ naturales pulchræ. Atq; hæc de his qui uirtutis studio ambitiosi sunt, in reliquis eadem fermè, sed abest uirtus & eruditio & probitas. nam ambitio per se hoc malum est, sed pro natura eorum quibus iungitur uelut & ira & reliquæ immoderantiæ, nomē boni uel mali accipiunt.

21 Ira enim aliqua utilis est & laudabilis, cuiusmodi & indignatio. Discernuntur autem iracundi opere ipso facile, si sæpe, si acriter, si ex leui causa irascantur,

si diu

si diu iracundiam retineant. Acriter irascuntur quicunque rationem audire nolunt, & multa contumeliosè agunt ac dicunt. Parúmque differunt ab ebrijs ac stultis.

Vnde rectè Aristoteles iram definiuit furorē breuē. Motus hi habent omnes celeres. Et qui iram seruāt nō tamen facile irascuntur, ad prudentiam & animi magnitudinem magis referuntur. De huiusmodi hominibus inquit Aristoteles: Rectus corpore, figura bene latus, animosus, scapulæ distantes magnæ & latæ, subrufus, extremaq; magna & fortia, barbatus probè, capillorum ambitus floridus deorsum tendēs. Nos uerò hæc adijcimus, pectus hispidū & rubeum ualde, uenæ latæ, color nigricans si adfuerit, & paruitas corporis et macilentia, iracundos, crudeles, ambitiosos, & auarißimos huiusmodi dispositio significat. Et maximè si capilli etiam nigri fuerint & crispi. Nigram fuge iram. Aristotelis ergo signa sunt facilis iræ non sæuæ, quæ nos adijcimus improbè & pertinacis ac perniciosæ. Facile etiam ex relatione faciei ad affectum, affectus naturam intelligemus.

Et quib. sæpe mutatur color, omnes necessario timidi sunt aut iracūdi. Et quib. tremit labiū inferius, aut qui blesi suntoēs iracūdi sunt, et qui uariū habēt colorē quasi rubor in candido macula sit nō permixtus, et qui in eūdo quasi sunt præcipites. Et lineæ uelut sagittæ in frōtis medio et super dextrū oculū: nares quoq; hiātes

&

& statura magna cum habitu macilento, & colore flãmeo & oculi rubicundi, & uenæ in collo tumidæ & manifestæ, & uox à graui incipiens & in acutum desinens: uel si acutam & uehementem habeant uocem. Nasus quoq; ualde acutus iracundiæ signa sunt. Et quibus uox facile tremit timidus est aut iracundus. Et generaliter tremor qualiscunq; alterius duorum affectuum signum est.

22 *Stupidorum notæ sunt obliuio, paruiq; affectus in omnibus rebus, ira leuis, non diuturna, absonæ opiniones, cum mulieribus uel pueris libenter uersatur, facile decipiuntur, facile credunt, miranda narrant, uix unquam ad prudentiam perueniunt. Sub his enim fatuos comprehendimus. nam stulticiæ prima germina referunt, sed non absolutæ. Vt aliena curent, propriorum negociorum obliuiscuntur. Ineptorum signa hic conueniunt, sed fatui facile decipiũtur & garruli sunt, & præter propositum multa nugantur. Risu maxime dignoscuntur fatui. est enim & risus ipse fatuus, & ex causis absurdis, atq; præter propositum inuictum malum: si quid prodest est diuturna exercitatio atq; laboriosa, & cum prudentibus consuetudo, & silentiũ Pythagoræ, quod horum causa præcipuè indictum puto. Labium utrumq; crassum hi habent, & superius inferiori prominens, ad asinos enim referuntur.*

Morosus salutat, non resalutat, quacunq; ex re tædio afficitur: precium rerum uenalium quas habet non

exponit,

exponit, facile irascitur, etiam si nolentem te uel minimum offendisse illum intelligat. adeò ut lapidibus etiã in quos imprudens inciderit. Molestißimè fert, imò nõ fert ut quenquam expectet. Indignabundus est, nec cantu nec saltatione oblectatur. Superbus etiam ex genere occultæ & tristis ambitionis hic animi morbus est. Solis enim suis delectatur moribus, morosus: omnium aliorum autem fastidit. Declarat autem Aristoteles Hippodami Euryphontis exemplo in secundo de Repub. aliquos gloriæ studio esse morosos. dum enim cupiunt gloriam atq; affectant, multa seorsum comminiscuntur. Vnde ille cum pauper esset, nec in administrationẽ Reipub. electus, multis modis ut se illustrẽ faceret quæsiuit: nutriebat capillos Nazarenorum more apud Iudæos in longitudinem immensam, ornabatq; se mirum in modum: cumq; pauper esset & uilibus uestibus uti cogeretur, plenas et sarctas deferebat nõ solum hyeme sed etiam æstate, atq; ut in omnium etiam oculis & admiratione: cumq; non esset ex his qui Rempub. administrarent, de ea tamen & non uulgaria scripsit præcepta. Eos ergo qui peculiari more habitant, uestiunt, huiusmodiq; faciũt, morosos esse intelligimus, quòd aliorum mores improbent. non enim peculiarem elegissent si alienos prius non improbassent. Res ergo una peculiaribus moribus uti finis multiplex, utpote gloriæ studium, aut insania, aut natura quædã peculiaris. Cum ergo aliquem alienũ moribus, sermone aut uesti

tu aut actionibus à communi consuetudine uideris, scito illum sibi uiuere atq; alios fastidire. Inter morosos *ex ægregiijs uiris.* C. Iulium Cæsarem *numerabimus, quòd pilos uelut mulieres uellere sustineret, adeo formæ magna cura illi fuit.*

Qui etiam, in sermone sibi nimium dum placent, morologi appellantur. Cuiusmodi sunt senes amantes & in luctu positi: ob uehementem enim affectum nõ quæ alijs prosint enarrant, nec quæ delectant illos audire sed ea in quæ rapiuntur ab affectu. Sunt morosi plures haud morologi, è quibus primus Comes uir insignis, amicusq́; noster Hebræa Græcaq́; *ac* Latina *lingua eruditus, non parum & in sacris literis, probitatis præterea insignis, atq; hoc affectu tum uestitu morosus.* Leo *quoq;* Vglonus Musicus *magisterq́; meus & ipse uir probus ac præstans, hic Chlamydem & uiridem rem certè omnibus insuetam gestabat: nunc iam longè maior est* Octuagenario. *Quibus ergo oculi rugosi sunt & facies quasi somnolenta, hæc ambo autem pinguia hi morosi sunt.* Et *si lineæ in superiore parte frontis firmæ cernantur.*

24 Inertes lẽto passu ambulãt, nihil curãt, tardè loquũtur, *multis sunt impliciti negocijs semper. quia à nullo se explicant.* Propterea *à cõtrarijs affectibus inertia nimia & nimia solicitudine idẽ prouenit, curarũ scilicet multitudo, atq; negociorũ: otio dediti sunt, nec affectib. multũ mouẽtur. Lẽti in edẽdo, uestib. obsoletis ac sordi*

dis ni

ni in aliorum cura ſint. In quibuſdam uerò nimis ſollici tis atq; laborioſis ob neceßitatem aßimilantur, occaſionem omnem quærunt ut nihil agant. Ob id faciles ad cuiusq; preces & ſermones, nullis tamen operam præſtant, faciem habent & frontem magnã, ſed frons etiam rotunda, oculorũ ſuperiores palpebræ deciduæ, melleus color, ſtatura procera, pinguis, candido colore per uniuerſum corpus, lineæ in frõte nullæ, aut paucæ exilesq́;, aut admodũ profundæ in ſuperiore parte.

25 Voraces (quanquã ad ingratos parũ referantur) hi ſunt qui lõgius ſpacium habẽt ab enſi formi, furcula ad umbilicũ quã ad iugulũ. De cibis ac cõuiuijs libẽter loquũtur, ſerũt uerba ut adhæreãt locupletib. Paraſitarũ mores apud comicos deſcriptos habes, familiaribus omnib. amicitia ſe inſinuãt, officioſi ſunt, et maximè in reb. leuiorib. horis prãdij ac cœnæ maximè tibi adhærẽt: nullũ eſt maius ac certius ſignũ quã quòd cõtumelias ferũt domeſticorũ & iurgia tua facile. Faciẽ habẽt pinguem, & ſtupidi ſunt ob conſuetudinem immodicæ repletionis. Qui uerò ebrioſi ſunt oculos rubentes habent & tumidos, tumidasq́; palpebras & totam faciem, ac rubentem obſcuro colore, & cum audiunt uinũ commemorari exhilaratur eorum aſpectus. Et lineæ parum ſupra ſupercilia in medio coloratæ, nec ſecundũ naturã prorſus. tales enim per trãſuerſum ſitæ ſunt.

26 Timidi, nec hi neceſſariò ſunt ſed tamẽ præſtat ſcire naturã hominũ etiã ob utilitatẽ: nam ſi in timidum

contuleris beneficia ubi opus fuerit ultione aut defensione, ab inimicorum iniuria hic prorsus inutilis tibi erit, tametsi minimè malus: Pili molles, *corpore non recto sed inclinato, quæ sunt sub umbylico sursum tracta: extrema corporis & crura imbecilla & parua, similiter & lũbi, manus tamen longæ sunt sed graciles, in motib. uehemens sed supinus & quasi incertus. oculi imbecilles & mobiles, & ipse mobilis & sollicitus, color pallidus ac quasi turbatus affectus cum sit, signum est etiam naturæ.* Candidus *etiam purus ac niger, frons quoq; quasi cornuta, & crura ualde longa uelut ceruis, timidum indicant.*

Rugosa *etiam facies atq; quæ circa oculos macilenta, oculusq́; ipse uelut plorantis, humidus & remissus, fœmineam pauidamq́; naturam ostendunt.* In *his facile color mutatur: eundo huc illucq́; circumspiciunt retroq́;.* Quærunt *omnia & interrogant quæ ad ipsos non quæ ad alios pertinẽt, à curiosisq́; ob id in hoc differunt. alienorum enim illi facta requirunt.* Præterea, *ut dixi, tremor ubicunq; sit, timoris aut iræ signum est.* Nuda *frons à lineis, uel etiam longæ si sint & super sinistrum oculum, pauidum declarant.*

27 Irrisores *differunt à petulantibus quod non molesti sint cuiquã. ex genere sunt ambitiosorũ.* A *morosis differunt quoniam peculiares non habent mores, aut consuetudines.* Omnia *uel minima obseruant, maledici sunt, differunt à dißimulatoribus. quoniam illi non pa*

lam

lam inuident, cum aliquis è socijs discedit illum tacitè sugillat. Prudentiam & moderationem maximã præ se fert, comptusq; est ac ornatus, fugiens excessum, ne, quod in alijs reprehendit ei obijciatur, metuens. Frontem faciemq; paruam & minus decorã habet, seipsum mirum in modum audit, nec nisi cum paucis ac delectis ambulat, lineas habet inter supercilia, non inæquales & deformes.

28 Libidinosi multipliciter dicuntur, alij molles, alij effrenes & immodici: alij fœdi, alij audaces ut adulteri. Communia omnibus lasciuia, blandus sermo & aspectus. Propria effrenis libidinis corpus pilosum & maxime fœmora, tales enim sunt aues. Capilli recti, crassi, nigri, tempora pilosa, color ex rubeo candidus. Mollitiei autem uox fœminea, gracilis & rupta ac inæqualis, crura collidentia, suræ crassiores, color albus, cum maculis lentibus similibus, aspectus blandus, mollis, cõstans, rotula genu plana, inclinatus ad dextram in ambulando incessus, ornatus plusquam ad uirilem decorẽ necessarius: motus manuum supini & dissoluti, & in eundo inæqualitas & flexio genuum. L litera inter supercilia uel [symbol] super sinistrum oculum, uel in frontis latere sinistro [symbol] aut [symbol] super sinistrum oculum: uel si recta super eundem ad tempus desinat, superq; ipsum linea exigua recta pẽdeat, et 7 super dextrũ, recta autem inter supercilia: uel si inter supercilia [symbol] hoc modo apparuerit, uel etiam eodem loco

crux. Et generaliter in pueris & adolescentibus impudicus aspectus, dissoluti mores, pudor profligatus, nimia familiaritas cum incognitis, petere mutuo, dono ac similia. Eadem uerò signa & mores impudentiæ, lasciuiæ atq; audaciæ declarant adulteros, si cum robore & firmitate corporis fuerint, & temperatura callidiore. Et generaliter multum in uenerem potentes & audaces, oculo lasciuo omnes sunt adulteri: oculi lasciui, ut dixi, sunt quales infantibus, dum poma uel alia quæ illis placeant petunt, scilicet Sudi, hylares, splendidi intenti. Facile ridet adulter & blandus admodum est, & in publico comptus, ac modestus & ornatus, sed priuatim intemperans. Dignoscitur autem adulter maximè quòd mulieres formosas oculis emißitijs, tametsi si non constantibus ob præsentes inspicit. Turpi autem & fœdo concubitus generi addictus, seu pedico seu irrumator, seu phœnicissa, aut spintria, aut mastrubator uel fellator: uestigia etiam habet fœda in fronte, & næui in summitate nasi. Et in inferiore palpebra sinistri oculi: peculiariter autem in frontis dextra parte summo hoc signum ♎.

29 Lusores sunt, inquit Aristoteles, quicunq; breuiorem cubitū habent, & qui duas lineas paruas inter supercilia: paruas & ad sinistrā inclinatas, magna quoq; crux inter eadem peculiare lusorum signum est. Et generaliter quæ à medio frontis ad sinistrum oculum signa describuntur.

Tales

Tales sunt blandi uerbis, ociosi & obtrectatores nefarij diuorum atq; infames, sacrilegasq; exercitationes in ore habent: cogitabundi etiam multũ & ualde inæquales, in uestitu modo ornati nimis, modo pannosi & in uultu modo tristes, modo læti, ut alea ceciderit: de lusu etiam libenter loquuntur, & alios loquentes pariter placidè & attentè audiunt.

30 Hypocritæ è pessimo genere sunt, eos Christus dãnat, Cicero digito commonstrauit, nõ enim facile hoc nomen alio Latino nomine cõmutaueris, dicens: Totius aũt iniusticiæ nulla capitalior est, quam eorum qui tum cum maximè fallunt, id tamen agunt, ut uiri boni esse uideantur. In his plerumq; omnia insunt mala, est enim heroica uirtus cacodæmonum. sunt enim ambitiosi, dissimulatores, sæui, iracundi, libidinosi etiam & auari, & generaliter improbi, iniusti atq; impij. Itaq; cum tot uitijs occulti esse non possunt, præsertim quòd cum irascuntur, tunc germina plantarum prodeunt, nam hæc est una uia ad omnia scelera quæ in excessu consistunt detegenda: illos ad iram repente prouocare. tunc enim abscondita flagitia prodeunt. Videbis excandescere & inflari ut percussas rubetas, et ut ait Virgil.
Mille trahens uarios aduerso sole colores.

Exprimi illam in uultu infandam mentis diritatem, ambitionem, odium intractabile, uoces illas tyrannicas, profundam & tamdiu inuito animo tectam auaritiam: ut enim coercita aggeribus flumina eru-

tis obliquæ, diuisæ, fœdæ, supercilia in unum coeuntia, inflexa, ac quasi inuicem contorta & craßa.

31 *Stultitiæ autem signa non solum præsentis, sed etiam futuræ cognoscere præstat. nam præsentis hæc tria sat sint: omne immoderatum, omne insuetum, omne importunum: at futuræ talia erunt,* Pectus *non ante sed à lateribus prominens, claues ad iugulum positæ, tum reliqui articuli conclusi ac quasi immobiles, imberbes etiam, ætate iam prouecta, oculi tumidi & prolabētes, uinosiq; coloris, aures magnæ et auulsæ à capite, supercilia in medio inuicem distantia, & ad tempora multum procedentia uersus aures, uenter prominens, & totus habitus pinguis & candidus, aut macilentus & niger ualde, collum breue, crassum, frons rotunda, facies magna admodum, extrema quasi imperfecta, aspectus uersatilis: immodica rerum cupiditas & studium, ira & tristitia, aut metus absq; causa manifesta, diuturna uigilia, spes inanis.*

32 Improbitatis *uerò proprium est obesse cum possit, ut stulti aberrare in actionibus.* Duo *autem sunt improbitatis genera quod occultè & quod apertè nocet: quod occultè obest ab inuido parum differt, nisi quòd inuidus solū cognitis nocet, nec miseris improbus omnibus nocet: miseris etiam longè libentius, quòd ab his non metuat. cum ergo improbi & malè faciant, & quando possunt, & bonis præcipuè, quòd hos natura maximè oderint, & miseris quòd facile, lætenturq; de*

malis alienis omnium, palam est improbos nõ diu qui sint latere posse. Sed cur tamen quidam latent? quoniã naturæ repugnãtes & ut sibi ipsis prosint, aliquib. benefaciunt: nam improbus nemini benefacit dũ proprios sequitur affectus. Amicos sibi similes habẽt, nisi adhuc uirus illorũ lateat. A domesticis odio habẽtur, nec coniunctorũ quisquã ab eo beneficiũ syncerè recipit. Sed si quid recipiunt odiosè erga illos se habẽt. Scorta amant immodicè, quia nullũ aliũ amant, et quia improbi sunt, & tamen etiã hoc in amore sunt inconstantes. Exemplum improbitatis ipsius in Caligula Imperatore habes, quem nescias an uerbis fuerit truculentior? an factis immanior: Occultè ante imperium, adepto imperio manifestè improbus, atq; in utroq; genere mali graßari destinauerat ferro apertè, ueneno occultè si superuixisset. Alterum naturæ portentum fuit Claudius Imperator qui Tiburi nocentibus ad palam deligatis cum deesset carnifex à mane usq; ad uesperam ut spectaculo sæuo potiretur, illum expectare sustinuit. Ergo palam est eum fuisse improbum natura, disciplina aliquantisper emendatum. Sunt ergo improbi planè insani magis quam sunt stulti: horum enim utrunq; insaniẽ fuisse aperte constat. Nec est ut causas referam cũ plane ni cohortes militũ obstitissent, poßent uinciri. Est ergo improbitas nil aliud quã maligna stulticia: quæ eò non progreditur ut perfectæ insaniæ signa proferat, quoniam paululum mentem dirigunt, scilicet ad mali-

gnitatem

gnitatem ac nequitiam. Tametsi ergo non uestiantur morionum more, altaq; uoce & incondita in loquendo utantur, nec inter eundum tam præcipiti gressu incedant atq; celeri, bracchia iactantes: nihilo secius insani admodũ sunt, atq; insaniæ deteriore genere. Ex hoc genere sunt quos diximus perfidos appellari. Sed non omnes perfidi improbi tamen sunt nec uicißim, fiunt enim perfidi ob uehementes affectus, ut in iusta ira, amore exuperante, neceßitate rerum urgente, atq; alijs huiusmodi etiam citra improbitatem. Sunt etiam improbi haud perfidi ob gloriæ studiũ. Verùm ut Respu. fidis, probis, gratisq; ac sapientibus constat, ita à contrarijs horum turbatur, miscetur, debilitaturq;, & tandem nisi quis opportunè occurrat, euertitur. Est etiam improborum proprium, cum quid & sententia immane prætextu iusticiæ fecerint, id sæpius ac libenter commemorant, quasi lingua maleficium lingẽtes, ut capræ sale gustato, et equi tincto melle. Quoniã uerò perfidiæ crimẽ nullo uelamine tegi potest, improbitatis nonnũquã: qui pudorẽ prostituerint seu corpore, dũ pueri erãt, seu cõcededo filias, sorores, uxorẽ, dũ uiri sunt, his stultũ est fidere, omnes existimationẽ et famã negligũt: Et similiter qui insani sunt, nullis debẽt præponi negocijs, quoniã ad improbitatẽ sola nequitia deest, quæ plurib. irritatur modis, ira, inuidia, ambitiõe, auaritia atq; huiusmodi. Incertæ aũt sunt notæ uitiorũ quãdoq; ob id quòd homines quãtũ poßũt eas supprimũt: nõnunquã

cum

cum contrariæ sunt duorum uitiorum, homoq́; utroq; laborat. ut iracundi, celeres, & uarij sunt in ambulando, ambitiosi autem lenti atq; compositi: si qui sint & ambitiosi & iracundi, incessum habebunt moderatum & mediocrem, sed tamen plerunq; potius mixtum & uarium. Nec ex ipsa operatione licebit uno oculi intuitu hominis mores dignoscere. quoniam auari in conuiuijs alios superare solent, credo ad eluendam auaritiæ opinionem de alijs rebus atq; negocijs: tamē etiam quia timent in ipso uitio deprehendi, ideò malunt excedere quam deficere, tum quia certiora habent lucra quibus recuperare quòd effunditur poßint, plusq́; iam repositarum in arca pecuniarum.

In uniuersum igitur tametsi semel suspicias, animaduertisse hominis alicuius mores melius fuerit, sæpe illos repetere atq; cōsiderare. Nec solum ex rebus qualitatem animi dignosces, sed plus proderit ipse modus: uelut si auarus celebret conuiuium, tametsi splendidè celebret, nimiam in illo curiositatem introspicies, diligentiam in precijs, custodiam in uasis, conseruationem in his quæ supersunt: quæ in liberali deprehendere nō poteris, tametsi non adeò sumptum grandem is fecerit. Sic nos ut in libros essemus liberaliores, in uestitu & domus ornatu fuimus parciores.

Sic quidam in re literaria ambitiosiores, in cæteris sunt humanißimi. Quidam perfidis & ingratis maximè irascuntur, secus uerò sunt mitißimi. Ergo ex tot

uitijs

uitijs ingratos, perfidos, stultos & improbos maximè spectare oportet. Et affectus etiam exuperantes, per quos in hæc flagitia deueniunt homines. Dicebat Seneca & rectè: Non minus respicere oportet cum quo uiuas quam quod edas. nam solitariè uiuere leonum est potius ac luporum, quàm hominum. Sed non tam necessarium est id ob conuictum, quòd liceat etiam homini nostra ætate quæ ut uideo multo deterior est, quam sua solitariè honestius uiuere: sed quòd uitæ socios habere oporteat & communes amicos, atq; ab huiusmodi grauibus uitijs immunes quos cognoscere præstiterit. At uerò, ut dixi, in perfidia ad dignoscendam hominis naturam, unicum sufficiet exemplum: in cæteris uitijs aut plura exempla, aut naturæ signa sunt necessaria. nam & si homo aberret semel aut bis, non tam insanus erit quàm stultus. At stultos omnes reijcere superuacuum est. quandoquidem stulti omnes sumus. Ergo improbitatis signum est leua pro dextera uti, quoniam & id à natura est alienum.

Et qui distortis sunt oculis, aut naso aut dorso aut crure. obliquitas enim membrorum improbitatem & malignitatem ostendit, materia diuinæ potentiæ reluctante. Caput etiam paruum, angustum, rigidi capilli, oculi sicci, tenebrosi, parui, intenti, tumidi, genæ longæ & angustæ, mentum oblongum, uenter prominēs, manus ac pedes duri, craßi, color pallidus ac subuiridis: & quæcunq; in oculis immodica sunt aut monstrosa.

Et lineæ

Et lineæ tanquam frusta funiculorũ in fronte,uel multæ abruptæ dißimiles,inordinatæ,inconcinnæ,semper improbitatem declarant,& quæ ad unum quodq; scelus signa conscripta sunt,superius ex Metoposcopia.

Cæterùm cum signa ex compositione ac notis & lineis in fronte singulorum uitiorum descripserimus;reliquum est ut eadem per causas à temperamento sumptas doceamus,et quomodo unũquodq; ex propria mixtiõe exoriatur. Pituitosi enim inertes sunt,biliosi,iracundi et sæui,sanguinei petulãtes,melãcholici, stulti et inuidi. Quib. etiã callidũ sicco aut humido duplũ est hi optimi sunt:si aũt triplũ aut quadruplũ boni quoq; & ad uirtutẽ referũtur: ut in calido & sicco ad animi magnitudinẽ, fortitudinẽ,fidẽ,ut in canib.uidemus. In frigido aũt duplo aut triplo siccitatẽ cõtinentẽ,patientẽ, stabilẽq; describimus. Si ergo calidũ sit duodecim humidũ ut quinq;,excedet sanè duplam rationẽ:sin aũt septẽ ab illa deficiet,in excessu ergo petulantiã, in defectu ignauiã collocabimus. Sic frigidi ad siccũ in excessu pertinatiã & rusticos mores,in defectu aũt inuidiam. Cõsiderabimus & principaliũ mẽbrorũ uim, nã appetitus & iræ etiã iecur principiũ est. Ob id qui calido sunt & sicco iecore sunt iracũdi,qui magnũ habẽt iecur comedones atq; bibones. In corde aũt fortitudinis, prõptitudinis,iræ, sæuitiæ, læticiæ, tristitiæ principiũ est. Est etiã liberalitatis,liberalitas enim pars est quædã animositatis. At esse prudẽtẽ, beneficũ,fidũ, gratũ,

memo-

memorē, ingeniosum aut rusticis morib. & inuidū, cerebri munia sunt. Cū uerò proportio à sensu remota fuerit, exquisitè tamē integra, ut duodecupla erūt uirtutes absq; uitijs puræ & nitidæ, sed occultæ quasi & minus euidētes, ut qui nec auari nec prodigi, nec liberales nec crudeles aut pij aut misericordes, sed quasi de huiusmodi rebus haud cogitantes. Magnitudinē ergo affectus declarat potentia qualitatū, magnitudinē aūt uitij uel uirtutis proportio notissima, ut æqualitatis aut dupla: puritas aūt uirtutis aut uitiū merū proportio exquisita aut distantia maxima ab illa. In calidis ergo ac uehementib. naturis apparēt uitiorū & uirtutū affectus clari magniq;: in moderatis aūt stabiles ac sinceri seu uirtutis seu uitiorū. Naturæ uerò uirtutū ac uitiorum ex natura principij & qualitatib. quæ superant determinātur.

Velut calor efficit in uelocitatem, fortitudinem promptitudinem: In cerebro autem perspicacem, ingeniosum, memorē, beneficū. In uniuersum ergo uirtutes ac uitia terminabūtur, principijs, qualitatū genere, magnitudine, proportione nota aut ignota, magnitudine proportiōis, et cōparatione unius principij ad alterū. Hæc aūt non solū ex his, quæ ab Aristotele ac Galeno dicta sunt, manifesta esse uidētur, sed & ex experiētia & ratione ipsa. quoniā singularū rerū suæ causæ sunt, & generalium generales, & specialium speciales. Velut si calidum humido iunctum in corde primū, inde in

cerebro

cerebro causa est prodigalitatis, auaritiæ, & liberalitatis circa pecunias: necesse uelut & in musicis & ædificijs liberalitatis causa esse proportionē: prodigalitatis autem excessum ut auaritiæ defectum. Et perfectæ ac constantis liberalitatis proportionem notißimam & absolutißimam, ut exactam duplam. Et magnitudinis illius affectus atq; frequentis fructus uirtutis, magnitudinem illarum qualitatum.

Videntur autem arte medica huiusmodi omnia uitia posse plenè curari, nec obesse nobis nisi segnitiem in discendo, in exequendo, & in cogendo eos qui huiusmodi uitijs laborant. Vtar autem Aristotelis declaratione. Siquidem stulticia, quæ maximum est & inexpugnabile malum, à medicis purgatione atq; alijs auxilijs expugnatur & curatur. quoniam humor educitur eiusmodimorbi fomes, cur nō in omnib. animi affectib. idem facere licebit? At inquies, sola stulticia quæ à morbo prouenit curatur à medicis ac ægrè: nos autem de naturalibus uitijs sermonem instituimus? non ergo uerisimile fuerit hos animi morbos medicamentis poße curari. Rursus cum hi morbi non ex sola temperie, sed etiam compositione procedant, ut superius declarauimus: compositio autem immutabilis sit, cui etiam signa ex lineis frontis adiunguntur, quomodo licebit medica arte membra à naturali statu auertere, & frontis lineas ac næuos purgationibus auellere? Respondemus Aristotelis sententiam esse, quod corpus animæ adeò

conjun-

coniunctum est, ut corporis mutatione facta mutetur & anima: cum ergo præsidijs medicinæ corpus perpetuò poßit immutari, immutabuntur & mores. Qui autem ex compositione quæ mutari non potest proueniunt mores (nam pinguedeo & habitus ac color mutari possunt) non adeò euidentes sunt & educatione ac philosophiæ studijs teste uel ipso Aristotele, uel etiam Galeno in Medica arte mutantur. constat igitur mores commutari posse semper, ac plerunq; ex toto ac in aliud genus posse permutari, ut ex auaro liberalis, ex iniusto iustus efficiatur. Legitur de Polemone qui cum audisset semel Xenocratem Philosophum, ex dissoluto & flagitiosißimo adolescente factus est Philosophus continentiæ singularis. Et quantum in prouecta ætate difficilius quam in puero ex ætatis natura uitiorumq; confirmatis radicibus: tantum in eadem plus non possunt sanctæ Philosophiæ præcepta & ratio capatior. Quod uidemus in his qui in phratrias se conijciunt, quiq; Christiani ex idololatris facti sunt: non enim minus boni ac constantes fuere Christiani, qui senes ad Christum sunt conuersi, quam qui pueri uel adolescentes. Octauius qui sponte & iam penè trigesimum attingens annum mores mutauit, in quo minus bonus fuit his qui ab initio boni fuerunt? Mutatur igitur corpus, ergo mores, ergo etiam ad uirtutem mutari possunt, instituto etiam. Nonne dixit Socrates se fuisse natura rudem & intemperantem? hoc enim rectè dijudicatum à

præclaro physiognomo qui eius picturam affabre fabricatã conspexerat, & tamen factus est continentissimus atq; sapientissimus. Ergo utraq; uia Philosophiæ scilicet & medicinæ, licet non solum commutare mores, sed ex uno extremo in aliud recta transire. De lineis dicam mirum quoddam in filio natu minore, is donec maior natu uixit nullum diuturnioris uitæ prudentiæ, probitatis, eruditionis signum habuit, sed & à morte fratris præter spem duobus aut tribus primis mensibus adhuc magis insaniebat. Ego iam omnem spem abieceram, extrema auxilia tentaueram, nihil proficiens: mirabar quòd euentus astrorum decretis non consentiebant.

Desperabam non solum ob præsentes mores, sed ob lineas quæ summam nequitiam & breuitatẽ uitæ portendebãt. Adeò anceps eram ut nisi illum aluissem, perpetuò in domo commutatum ac suppositum dicere essem ausus. Ita omnia dissentiebant nõ solũ ab astrorũ decretis, sed etiã à pueritiæ primæ uestigijs quib' præclarã indolẽ, maximãq; de se spẽ, præ se ferebat. Vbi spẽ omnino abiecissem nec tamen auxilia deseruissẽ, quòd solus mihi relictus esset ob humanitatem singularem Senatus, gratiamq; Suessani principis: rogabam Deum ut non aspiciens ad merita mea uellet misereſcere tum filij tum etiam mei. Itaque quadam die scilicet ab obitu fratris mense penè quarto exacto, cœpit sensim mores commutare: uerùm cum parum fidei

huic

huic commutationi adhiberem, animaduerti signa ipsa in dies uariari, idq; ei ostendebam.

Itaq; in trib. mensib. cum hic septimus sit à sæuo casu ita omnia mutata sunt, ut ille prorsus alius sit, & delineatio omnis prorsus alia. Didici hoc naturæ arcanũ exactè, nec nisi magna cũ admiratiõe. Mutabantur uestigia illa in dies, sic ut diceres graphio delineari graphióque deleri. Ergo si totius temperamentum mutabitur, uariabitur iusticiæ affectus, liberalitatis & animi magnitudo. Si cordis solius, fortitudo & iracundia: Si cerebri solius, prudentia, memoria, ingenij acumen ac constantia: Si cordis ac cerebri, promptitudo atq; facilitas actionum & iusticiæ affectus: si iecoris, temperantia in cibis ac potibus tum delicijs. Si cordis ac iecoris, in Venereis & ocio, ac confabulationib. ac ludo. Hæc enim est fermè sententia Platonis, adeo ut patientia & continentia ad hoc genus ultimum magis pertineant, tum etiam petulantia & inquies ac molestia. Iam ergo hominum moribus intellectis, uidendum est in quos & quomodo beneficia sunt conferenda, & quo ordine magis. Sunt enim ut dixi, præcipuè quatuor genera hominum ex his qui referre possunt beneficia, in quos cõferre tamẽ minus expediat per se ingrati natura, qui ut dixi, in Deos impij, in patriã malè affecti, parẽtib. inimici: in oẽs benefactores ingrati sunt. Quorũ statura plerunq; magna, longo pectore & uentre, cute crassa, colore ferrugineo ac rubiginoso, spa-

tulis amplis,incessu tardo,facie oblonga,fronte parua, supercilijs magnis,craßis connexis lineis in fronte,pro fundis ac longis cum signis improbitatis,sermone blando,latis pollicitationibus,oculo doloso atq; fraudulento,intus nimium recondito aut prominulo,auaritia singulari,uix enim tales inuenias exquisitè ingratos qui sint liberales. Sed nec prodigi nisi in scorta fœda, uerba rara,corpus deforme & obliqua membra. Post hos sunt stulti, nam hi etsi quãdo grati esse poßint obesse etiam solent. Ab his perfidi,ultimi ex his sunt improbi.nam inter hos plures grati etiam inueniuntur. Post hos autem sunt auari ac fures indeq; hypocritæ, stupidi,rustici,inuidi,uecordes atq; inepti.alij non adeò mali sunt ut semper necessarium sit illos esse ingratos. Verùm cum beneficia sint quatuor generum, alia in quibus perit aliquid quod non perire necesse est, suntq; liberalitatis & munificentiæ:alia in quibus perit quod perire necesse est,ad studiumq; diligentiam ac laborem pertinet:alia in quibus nil tibi perit quod non perire necesse est,ut gratia et magistratus:alia in quibus nil tibi perit,quod tamen etiam perire necesse esset, ut communia officia & commendationes, resque leuißimæ. Primo genere beneficiorũ solum ingratos aut amicos utemur: quòd quæ uni damus alteri dare nõ possumus.

Aut igitur dandũ non est quo nos indigemus, aut si non indigemus immerito non dabimus aut ingrato quod grato & benemerenti debetur.est enim ac si fur-

tum

tum committeremus. Vltimi generis beneficijs in omnes utemur, exemplo Aristotelis, qui cum stipem dedisset improbo homini: interrogatus cur ita, quia humanitati dedi dixit, non homini. Si enim nec dando sis pauperior quia nil tibi perit: nec non dando ditior, quia omnino periturũ est, melius est dare cuiucunq; detur, modo non in perniciem alterius quempiam serues, quã non dare: uelut ignem accendere, aquam subleuare cadentem, commendare causam iustam, & si non prosit quoniam non obest tibi, duo bona dando facis. ex inutili enim reddis utile & beneficium præstas. Fieriq; potest ut etiam ille aliquando gratus sit, qui si non fuerit, utraq; ratione diuinam naturam imitaris. Verùm supersunt duo alia beneficiorum genera de quibus magis est dubitandum: uelut si Regi cliẽtem commendauero, nihil mihi perit, id tamen perire non erat necesse, nam seruari hæc gratia potest, & ut pro alio impetrem uel amiciore uel meliore licebit: nam & gratia principum absumitur, nec tamen quicquam mihi perit, quoniam & si non petam non habebo, nec seruatur mihi: sed uel forsan occasio non dabitur petendi, aut princeps antea morietur. Certum est si recepero iam consumi, sed si nõ recepero haud certum est manere illam. Ergo in his dabimus his quos non esse ingratos existimamus, tametsi gratos esse non sciamus. quoniam & dando & accipiendo amorem augebimus utrinq;, & in principem & principis in nos: & in eum in quem beneficium contu

lerimus & illius in nos. Magis etiã augetur amor principis erga nos quam nostri in principem, nam & filios magis diligimus quam illi nos. quoniam nos in illos, non illi in nos beneficia conferunt. Ergo qui beneficium præbet magis diligit: qui recipit, magis tenetur.

Cum ergo geminæ amoris uicissitudines augeãtur hoc facto nec quicquam tibi pereat, sufficit ut nescias illum cui das, nisi certũ destinaueris amicũ cui des, esse ingratũ. At uerò cum aliquid tibi perit, quod omnino perire tamen necesse est, ut tempus maximè, id enim seu non agas omnino diffugit: atq; sic beneficia quæ in moriturum, quæ in discessurũ collocasti, pecuniæ quas habenti mutuo dedisti, fructus decidui quos colligere nõ potes, grana sparsa, uinũ putrescens, reliquiæ ciborum quæ omnia usui solent esse pauperibus. Præterea domus nõ locata, ager incultus quæ iam tibi pereũt: an gratuito ingratis dandi sunt? In his nõ ut in eis quæ nobis non pereũt cuilibet dabimus, sed gratos quæremus: si non minus ingratos. Moses pauperib. talia largiebatur, & rectè: hos enim præstat anteponere. cum enim beneficia aut nostri causa sint collocanda, aut eorũ gratia in quos conferuntur, nostri quidem gratia in gratos, illorum autem qui recipiunt in pauperes & eos qui maximè indigent sunt collocanda: Ergo si in illos qui grati sint conferre nõ licet, eligemus proximo loco pauperes.

Hanc

Hanc igitur beneficiorum diuisionem cum Seneca non animaduerterit in suo libro De Beneficijs, repugnantia multa, multa absurda dicere coactus est: neque enim aliter dicere poterat cum beneficia quibusdam alia, ut communia etiam ingratis & non indigentibus modo petant danda sint: alia uero indigentibus solum, licet etiam ingratis aut etiam non gratis, hi enim præferendi, qualia quæ nuper diximus danda sint. Alia rursus non ingratis, alia uero solum gratis ut pecuniæ. Sic Attici factum maximè laudatur qui Ciceroni in exilium eunti dono HS. CCL. Philippeos scilicèt sex mille ducenta quinquaginta prope. Cuius Attici uitam in dandis beneficijs pro singulari exemplo ut legas consulo. neque enim meliorem aut sapientiorem, uel temporibus ipsis magis accommodatum inuenire queas. Dedit prudens uir sua sed quæ omnino peritura essent, atq; ita semetipsum & chariores amicos reliquumq; patrimonij seruauit. Sed de his hactenus, modo post amicos inimicorum meminerimus.

Empedocles sanè uidetur mihi rectè duo rerum principia constituisse, discordiam & amicitiam: quòd hæc duo uideret in humanis rebus omnia circumagere. Et qui utrumque commodè tractant, eosdem potentes atque beatos esse. Itaque inimicitiarũ ratio ut & amicitiæ in partes diuidenda est, quoniã inimici sunt quidã ob utile ut qui litigant, & hæredes etiã

his à quibus hæreditatem expectant. quidam ob odium proprium, atq; impedimentum uoluptatis & metum. Quidā ob contentionē & gloriam. Est aūt contentio ipsa ad gloriā tendens per se uictoriæ spe: quòd si etiam de reb. sit honestis atq; decoris, illustrior et magis laudabilis. Inter hos sunt occulti insidiatores, ut Piso Germanico, quidā latrones et manifesti ut Milo Clodio, Catilina Ciceroni. cum uero exercituum ductores fuerint hostes uocantur ut Marius & Sylla, Cæsar & Pompeius. Quidam iudicio ut qui accusant uelut L. Murenam, Sulpitius: Valerium Flaccum Lælius.

Quidam litigatores qui solum de re contendunt, ut dixi, ut A. Cæcinna & Ebutius. Sūt & blaterones qui uirus euomunt in populo quo te conficiant. Alij ex hoc genere sunt qui tua facta dictaq; obseruant, ubique te criminantes. At Plutarchus quamuis in hoc argumento luculenter scripserit, multa tamen & præcipua genera ex his omisit, uelut latrones, insidiatores, & blatterones. Quis enim nescit inimicos illos qui solum ex rebus & criminibus accusationem instituunt non calumniam, non uim intentant, potius magistros nostros quam inimicos esse appellandos? nam & quæ ab adulatoribus ac clientibus ob timorem ab amicis, ob incuriam de te audire non potes, audis ab huiusmodi inimicis, qui ut Draco Hesperius uigilant. nunquam tam bene norit facta tua amicus quantum æmulus. Nobis autem sermo erit de balatronibus, ueneficis, latronibus,

hostibus,

hostibus, mixtóq; ex his genere, uelut Chrysogonus, Sexto Roscio Amerino, & Oppianicus A. Cluentio, qui ueneno, ui infamia apud populũ, accusatione apud iudices, inimicos perdere statuerunt.

Ergo Aristotelis praecepta secuti à simpliciorib. atq; faciliorib. inchoemus: scilicet manifestis inimicis et uim inferre paratis. Offerũt aũt huiusmodi inimicitiae primũ nobis tria commodorũ genera, amicitiam eorũ omnium qui naturis inimicis inimici sunt. qui cum pluribus modis nobis usui esse poßint, inimicus autem solũ uno modo nocere queat, manifestum est uberius lucrũ damno esse. Sic dum Caesaris hostes Pompeio, Pompeij Caesari adhaeserunt, duo uiri uniuersam Rempublicam occupauere. Sic Sylla ac Marius. Et Pysistratus ad tyrannidem prorepsit. Virgilius quoq; suum Aeneam sic sibi Euandrum & Tarchontem quamuis alter Graecus esset, & ob id Troianis infensus, alter ignotus ac Italus ex ea scilicet gente cui bellum inferebatur, socios adiunxisse fingit his uerbis:

> Et regi memorat nomenq; genusq;
> Quidúe petat, quidúe ipse ferat, Mezentius arma
> Quae sibi conciliet, uiolentaq; pectora Turni
> Edocet: humanis quae sit fiducia rebus
> Admonet, immiscetq; preces: haud fit mora Tarchon
> Iungit opes, foedusq; ferit.

Fuerat enim antea edoctus de causa odij ab Euãdro, eamq; antea luculenter descripserat, dicens:

Vrbis Agillinæ sedes ubi Lydia quondam
Gens bello præclara, iugis insedit Hetruscis:
Hanc multos florentem annos, rex deinde superbo
Imperio, & sæuis tenuit Mezentius armis

Et paulo post:

Mortua quinetiam iungebat corpora uiuis.

Deinde subingit.

Componens manibusq; manus, atq; oribus ora
At fessi tandem ciues infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumq; domumq;
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere & Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furijs surrexit Hetruria iustis
Regem ad supplicium præsenti marte reposcunt.
His ego te Aenea ductorem millibus addam.

Nulla ergo occasio tam opportuna offerri potest ad amicos, potentiã, gloriãq; parandã quã egregius inimicus, modo nõ oscitãs fueris & ignauus, occasionẽq; neglexeris.

Secundum commodum est, ut ipsa cõtentione gloriã, famãq; tibi cõpares. Quid enim Herculem nobilitauit nisi Erysthbeus, Iunoq; infensa, Centauri, totq; hostes superati? Anteus, Geryones, Cacus, Eryx, Eurythus, latrones, Indi, Leutherij Gigantes? Quid Achyllem nisi Hector et Scamãder, duodecimq; urbes ui captæ? Quid Alexãdrũ nisi duri superati labores, Darius præcipuè

& Porus Reges? Quid Athenienses nisi cursus ad Marathonē, & Cynegeri manus amputata, & Polyzeli infortunium Callimachiq; uulnera? Quid Lacedæmonios magis illustrauit pugna ad Thermopylas? Quid Thebanos nisi Leuctrica pugna? Debeo ne ad syluam ligna afferre? aut magnam Valerij Maximi exemplorum & Baptistæ Fulgosij partem transcribere? Recte illud apud Ouidium: Nec tam

Turpe fuit uinci quam contendisse decorum

Magnaq; dat nobis tantus solatia uictor.

Quo fit ut multi magnorum uirorum & potentiū inimicitias exoptent, ut inclarescant. Sed omitto artes nunc & quæsitas inimicitias ex industria, duo sufficiat adduxisse, clara naturæ ætatis exēpla. Io. Iacobi Medicees cum uicecomitibus ex qua ad tantam potentiam euectus est, ut fratrem nunc habeat Pont. Max. ipse summis honorib. ac magistratibus in re militari functus sit. Prorex Bohemiæ, Dux exercitus ad Turcas, Senam urbem expugnauit, inter magnos principes numeratus est, arces possedit et oppida. Maior longè futurus si in ea tempora incidisset in quibus Reges maximi non obstitissent eius incrementis. Eorundem Vicecomitū inimicitijs Io. Iacob. Triultius primū exul, inde dux Gallici exercitus creatus: princeps ex priuata fortuna euasit, multis erectis tropheis, multarum artium dominus, familiā solus euexit, atq; inter primas urbis nostræ eam constituit.

Adijciam

Adijciam autem quomodo inimicorum impetum effugerit, quamuis tot potentium patritiorum circumuentus armis, nec satis amicis principibus. Dißimulato odio principum in curiã loricatus ueniebat. clam quoque armatos famulos nec unà sed strenuos ducens, quo iturus esset nemini dicebat, fidum solum è familiaribus unum qua facturus erat iter præmittebat exploratum, nec unquam qua exierat uia domum redibat. Conuentus ciuium, fora, lites, quantum poterat fieri, deuitabat, uitamq; priuatam agens ab honoribus omnibus ac magistratibus perpetuò abstinuit, atq; ita periculum necis declinauit.

Ergo & deuitare & aggredi & incumbere & dissimulare, tueri ulsciscíq; disces inimicos si inimicos habueris. Eademq; ratione amicos arctius complecteris, fouebis clientes, omnibus blandieris, autoritatem decoremq; seruabis. Multa quoq; à te perperam facta dictáue, aut ob inuidiam in malam partem interpretata, modo inter tot uirtutis exempla, cum tanta existimatione ac potentia, cum tot fautoribus, in tanto rerum nouarum turbine, aut obliterabuntur, aut in meliorem partem interpretabuntur.

Profusio pro liberalitate in tam periculoso tempore, auaritia pro parcitate ad protrahẽdam tantam cõtentionem, sæuitia pro seueritate, ira pro imperio & autoritate habebuntur. Nihil opportunius ad exercendam uirtutem aggrediendo, uitando, fallendo, explorã

doq;

doq; hostis facta: ibi mille occasiones declarandæ fortitudinis, clementiæ, continentiæ, iusticiæ, liberalitatis, gratiæ, innocentiæ. Quin etiam socios criminum atq; uirtutis, sed maximè periculorum in posterum ita tibi deuincies, ut nulla unquam temporis longitudo eos à te disiungi patiatur. Vnde & hoc pulchrè Virgilius insinuauit:

O socij (neq; ignari sumus ante malorum)
O paßi grauiora.

Et Homerus Vlyssem Diomedi charum facit ob cōmunia pericula. Equidem sapientiæ nomen in contentionibus solum citra improbitatem adipisci poteris. cò enim prauitas temporum peruenit, ut si quietus uiuas, uel improbus esse cogaris, uel pro stulto habearis. solum enim improbum sapientem, stultum uerò omnem probum esse existiment. Sed sapientiæ ut aliàs dixi, plura sunt genera: humanam autem hanc qui uelit discere non melius quam peregrinatione & inimicitias exercendo discet, ubi neceßitas facit cautos, prouidos, solertes, promptos, astutosq;. Disces cauere, tacere, continere te, pati, uitareq; insidias, fraudes periculaq;: in longa peregrinatiōe illud tecum semper reuolue Comici: Lupus est homo homini, nō homo, quum qualis sit, nō nouit. Viator inermis tibi pro exploratore, armatus pro latrone, caupo pro insidiatore, socius quisq; pro sycophanta tibi sit, non illorū oculos, sed facta, manus pedesq; obserua.

Quanta

Quanta diligentia in alendis equis ne fœnum nè auenam noctu detrahant, quanta cura ne quicquam illis desit: quantum prospicies ne aleæ ludo te implicent conuiuæ? ne sciant te habere pecunias? ne quo iturus sis resciscant? Qua diligentia pessulum ostio obduces? cõsiderabis clauem quæ aperiri intus non potest: repagulum defixum tenui & marcido clauo? ubi recondas nidulum? Hæcq; ubi parata cernis omnia. Ergo foris peregrinatio prudentem facit hominẽ, dum cauere pericula docet in hospitio, in uia nõ cognita, inter ciues, ignotos, inter latronũ pericula, inter tot ritus absonos magistratuũ exigentiũ uectigalia, tributa imo rapinas pontiũ, portuum, ædium publicarũ seu τελώνια: Iniuriæ quoq; ratio quæ ab inimicis proficiscitur te admonet unde tibi periculũ immineat, odij quoq; illorũ, & quos amicos putaras, oppugnatores tuos experiris, quam debeas cauere ab omnibus diligẽter: quanta premaris inuidia, unde tibi & qua ratione timendum sit, qua ex parte erres? raro enim inimicus ualidiora aut inculpata petit: si eruditus sis, appellat te imprudentẽ, si cautus, imperitũ, si peritus & prudens, improbum: si nec hoc credi sperat segnem aut leuem uocat, hoc agit non ut uera dicat, sed ut credat.

Veneficos aũt cauere licebit si Agrippina Neronis mater locustæ artem uitare potuit. Vnde Suetonius: Et cum ueneno ter tentasset, sentiretq; antidotis præmunitam, lacunaria quæ noctu ruerent super dormientem

entem laxata machina parauit. Liquet ergo nihil tam esse fallax quam uenenum. Sunt unguenta, sunt medicamenta, sunt cautiones. Dicebat Carolus Quintus Cæsar (quod etiam in libello de uenenis qui apud Suessæ principem est, à nobis scriptus, refertur) uenena nõ esse formidanda. quoniam uoraces solum fallere possint, idq; exemplo præstitit. tutus enim ab eo ad senectam peruenit. Itaq; ex hac suspitione hoc lucri faciemus quòd lentius mandemus cibos: parciusq; illis utemur, et simplicioribus, Antidotis etiam ad alia utilib. utemur. ne quantum salutaria præcepta sint, exitus Mithridatis Pontici Regis maximi docuit, qui huiusmodi præsidijs, quãuis per tot æstus animi corporisq; labores, fugas, itinera, prelia, uigilias, inexhaustas libidines, ut qui plures haberet uxores, atq; unam quæ semper illũ comitabatur Hipsicrateam ad senectutem peruenit, nec nisi ferro mori potuit. Quod etiam Senecæ contigit, dum hoc timore pomis uesceretur & aquã ex fonte biberet: tantus prædicator contemptus mortis. Satius enim fuit statim mori quam tanto cum metu & inter tot curas semper uiuere.

Sed neq; mihi ea cura quindecim perpetuorum annorum obfuit quicquã ac ualetudinẽ, ad autoritatemq; seruandam, dum à conuiuijs ea specie abstinerem, in quibus multi medici existimationis non leuem iacturam faciunt. Sunt ergo cauendi præcepta, abstinere à conuiuijs, à cibis uehementis saporis atque òdoris, à mixtis

ro resistere non minus thorace ferreo. Diximus & de eo qui fit ex equina ungula, sed ego coriaceũ lant omnibus quod maximè molle sit ac leue, licet ualde crassum prætulero: in capite è laminis rotundis tenuibus, Chalybeis, puris ac arte duratis, consutisq; inuicem, & sub serico panno conditis capitio utar, fœmora, crura, brachia, manus, omnia corio eiusmodi muniam, sed tenuiore ac duriore eiusmodi ceruinum esse dicunt. Est enim bubalo longè tenuius ac durius. Extendam etiam loricam ad ceruicem usq; fermè, sic ut humeris paululum suspensis collum totum integatur. Omnia serico uelabo, ut non minus togæ decori parcam quam etiam securitati consulam: armabo & manus chirothecis è cerui coriæ aut lant, gladiumq; pro decore pendulo accingã. Duos quoq; famulos fortes in rixis exercitatos militari è genere fidos probè, sed clam armis tectos mecum ducam: illosq; amanter tractabo, mihi deuinciam.

Præcepta autem propria in exercẽdis inimicis hæc sunt. statim ab initio cum accenditur odium sedandum est totis uiribus, leniendi sunt non irritandi animi inimicorum, blandiendum, cedendum, quæ palam sunt, nec quæ in dubium uertuntur non sunt excusanda, sed quæ defendi possunt seu iuræ offensæ, seu facti ratione seu modi defendi debent modestè, constanter non contumaciter: mitibus etiam uerbis additis. Paruus enim error in principio, ut rectè admodum inquit Aristoteles, maximus est in fine. Et si ulla in causa nunquam

tum maximè in inimicorum causa. Id uerò ages ut uel inimicitias sedes, uel minus cruentas reddas. Quòd si perstent nec flectantur omnino, iustiorem teipsum existimabunt, & plures habebis defensores, iudices quoq; & magistratus magis propitios habebis, & in tuam partem trahes. Si quid præterea illis sinistri contigerit promeritum dicent, sin tibi, miserabũtur & te adiuuabunt. Tot modis igitur proficies ab initio inimicitias placando, molliendo, leniendo, declinando. quas etiam quantumcunq; gloriosæ tibi futuræ sint atq; utiles, suadeo ut deuites qua ratione potes, etiam leui detrimento rei atq; existimatiõis accepto: ut cum coactus fueris eas exercere ita postmodum uigilanter, intẽtè, acriter, cõstanter atq; acerbè fortiterq; exerceas, ut non animũ ad sustinendũ aut uires defuisse intelligãt, sed humanitatẽ uictoriæ atq; proprio dolori prætulisse. Oportet etiam in huiusmodi contentionib. omnia cum sapientũ & magis in causa exercitatorum cõsilio agere, non solum quòd homo minus prudens sit in his quæ nunquã aliàs expertus sit, eo qui diu in eadem re fuerit exercitatus illãq; profiteatur, & quòd dici soleat: In propria causa aduocatum quære: tum etiam quod res maxima sit certare de fortunis, fama, salute, sed quòd illud celebretur:

Impedit ira animum ne poßit cernere uerum:

Et non solum ira, sed etiam timor. Itaq; nihil ex propria sententia agendum est: sed omnia consulto, & cõsilio

lio amicorum,& in huiuſmodi certaminibus exercitatorum.

Hoc rurſus conſiderandum, quòd homines omnes in humanitate conueniunt: & quòd ab uno unaq; licet non coniugibus aliquando ortum habuimus. Si igitur communis ille omniũ pater diceret, aut mater illa tot hominũ, quid agis? cur meũ hunc trinepotem occidere uis ob leuẽ iniuriã? cur orbare me parentem tuum cupis deſcendente? cur uiolare decreuiſti ſanguinẽ meum atq; effundere? quid reſponſurus eſſes. nónne obmuteſceres? cur ergo idem non facis quod facturus eſſes ſi illi uiuerent? nónne adhuc uiuũt parẽtes illi apud reliquas uitas? nónne Deus ipſe pro omnibus uiuit? nõne etiam ſi nullibi eſſent animæ defunctorũ, ſi nulla eſſet rerum harũ cura Deo, præſtaret pepercisse his qui ex iiſdem parentibus prodiere, quam eos occidiſſe. Inde conſidera, quid per ſe nobilius, melius, honeſtiúſque ſit ſeruare an occidere? miſereri an ſæuire? parcere an ulciſci? mitem eſſe an crudelem? probum an improbum? amicum habere quam non habere? Cogita etiam exemplum ultionis proprium quale ſit, cum quis ulſciſcitur acrius, id agit quod qui ſcabit carnem prurientem ultra debitum ac metas, nam quamuis dulce ſit ſcabere cum tamen pruritus ſedatus fuerit, abieritque moleſtia illa ſcabiei, ſuccedit flagrans dolor & urigo peßima ipſo pruritu decuplo moleſtior: inde ulcera, ſordes, cruſtæ, fœtor.

Sic ab ultione, pœnitentia, timor, dedecus, suspicio, conscientia facti, exemplum malum, infamia, inimicorum & si occultorum multitudo maior.

Occisus *filius ille, ego dira passi sumus.* Exacta *res est ipsi nonne morientur? nonne sibi ac posteris odium pararunt.* Deinde *memorare quam breuis uoluptas, hodie trucidaui hunc, intra annum moriar: nec iniuriæ nec ultionis memoria post alium annum restabit. lupinum ferinumq́; facinus egi, hoc serpentes immitésque feræ agunt: at* Dij *etiam his qui execranda de ipsis uerba proferunt fauent?* Vltus *est* Cicero Catilinam. M. Antonius Triumuir Ciceronem, C. Marius Patritios, Sylla *plebem cum* C. Mario, Cæsar Pompeium. Vitellius *fœneratores,* Mithridates Stratonicam, Martialis, Caracallam, Andreas Lampagnanus Galeazium *Stortiam, alijq́; sine numero præclaris factis: sed nemo tamen feliciter post uixit aut non exacta ab ipso acerbiore ultione perijt.* Quanto *generosius & pulchrius* Adriani *dictum, qui* Imperator *factus ueteri occurrens inimico dixit, euasisti: quasi diceret, quem in priuata uita ne iners uiderer cupiebam ulcisci, nunc cum palam sit posse, nolim.* Demum *illud quod maximum est tecum reputa multo sæuius & longe plures tempus ulcisci, quam si ipse princeps fieres.*

Aliorum *quibus benefecerint, quos amauerint, fraude, iniuria, ui, interire maximè quod iniuriarum quas alijs intulerint non amplius meminerunt: sæuißimum*

mortis

mortis genus esse quodcunq; sit quis dubitat? Sic Claudius & Titus Cæsares, sic Vitellius & Heliogabalus et Adrianus, tum etiam Atticus Romanus, ut dixi, eques interierunt. Sic in exilijs Scipiones & in carcere Iugurtha Persa, multiq; alij Reges miserabiliter periere. At non erit hæc uindicta tua sed commune fatum? non factum tuum sed ordinis rerum gratia? non gloria tua sed temporis & fortunæ. Decipieris? nostrum est quodcunq; iniuria affectis congruit ac rectè succedit, nostrum est quicquid à Deo iustè procedit. nostrū est cum necessitatem fati in omnibus consideramus. Nonne Hierusalem excidium in Christi & Iacobi indignas neces non solum Christiani, sed & alij transferunt? nonne pestem quæ secuta est Athenis in Socratis mortem? Nonne Pompeij miserabile domus excidium in Carbonis indignam cædem & patriæ ἀχαρισίαν? Nonne Catonū ruinam in excisam contra fœdera Carthaginem? Necē Ciceronis & bona amissa quis ignorat non fuisse causa corruprorum eloquentia iudiciorum, in quibus ut nunc, sed non tanto artificio indigent, nocentes maiorum criminum absoluuntur, minorum periclitantur. Dant ueniam coruis uexat censura columbas.

Nonne Salustius narrat, Pisonem quod de Transpadano iniustum sumpsisset supplicium, à Cæsare repetundarum accusatum? Ob idq; perpetuas inter illos inimicitias intercessisse? Sed mittamus hæc, an putas Ciceroni cum caput peteret Popilius ut extra lecticam exten-

 deret,

deret, & Cato cum sibi manum uellet inferre non fuisse maiore longè in miseria, quam uel Vatinium iniustè damnatum, aut Carthaginenses uel seruulos illos cum abijcerentur? certè sic. nam hi ex calamitate in calamitatem nec summam transibant: illi ex summis delicijs, quiete, securitate, opibus atq; potentia in extremũ repente exitium. Ergo uindictã de inimicis si negligamus plura uidebimus quã uellemus. quandoquidẽ uita hæc molestiarum ac calamitatũ plena sit. Nonnunquam tamen expedit eam sumere, aut quòd facilis sit aut tuta, aut splendida: nec tum nisi cum de improbis non solũ inimicis sumenda erit: tuta uerò ac facilis ad alios deterrendos utilis est. Cæterùm res ipsa sic se habet, ut nõ opus esset, nisi superesse nos tandiu ut tot malis illorũ satiaremur, aut ut illi sua mala post mortem uiderẽt ad ultionem de inimicis, etiam plusquam uellemus uberẽ, absq; nostro crimine satis superq; exigendam.

Porrò meditatio uindictæ atq; defensio, & cũ inimicis cõtentio mirũ in modũ animũ nostrum acuunt & corpus firmant, adeò ut homo ex inimicis si affectũ tẽperet hæc duo non leuia cõmoda consequatur. Dum ego miserum illum filiũ defenderem, quamuis nec dormirem nec ederem, nec animo aut corpore unquã quiescerem, nunquam tamen melius ualui, animo ad aliud magis arduum intento: atq; ob id etiam cõtento ut corpus ipsum etiam simul contenderet atq; firmius redderet, ut in funibus experimur.

Actio

Actio uerò ipsa ulciscendi, occidendi, naturæ aduersatur ac contraria est. occiso enim homine hæc omnia eueniunt: primũ occisi facies perpetuò ante oculos & in animo homicidæ obseruatur. Inde nocturni pauores mala somnia, & improba mens, & timor adastriæ nos urit & exagitat. Cogita illud ô impiè uel non prorsus ero? quid ergo tibi prodest felicitas tua nunquam amplius futuro? melius esset nunquã fuisse, ut aliquando futurus esses, aut illud horrendũ Dei iudicium subibo? quo nil maius humana mens experiri potest. Inde etiam id perpetuò nobis ante oculos uersatur, quòd iudicium & Deus & quæ iudicatur anima perpetua sint. ut à pœna iudiciũ, nec anima à iudicio illo terribili in æternum absoluatur: quamobrem qui sapientiores sunt, optant quòd impetrare nõ possunt, scilicet ut cum animis suis ex toto esse desint. At superesse animã, ex hoc etiam coniectari licet quòd uitæ portio in ipsis cadaueribus ad aliquot annos durat, absumitur certè quòd liquidum est, quòd pingue est excedunt uermes, at ubi exesa fuerint omnia, & absumpta manet uita qualis in lapidibus & plantis non omnino illustribus scilicet manca, quoniam humidum & pinguis substantia absunt: atq; ideo nec generant simile ut animalia et plantæ. Indicio huic sunt serpentes qui ex dorsi spina in sepulchris nascuntur: ut in corpore Lacedæmonij Regis Cleomenis. Et ungues atque capilli qui ad multos annos crescunt. quoniam ex membrorum humido

non sanguine aut pinguedine fiunt. Certa enim est historia cum multis etiam qui imberbes erant barba prælonga ad multos annos creuerit, ungues quoque longitudine admiranda. Et sanguis ipse antequam putrescat coram inimico è plagis effunditur usq; ad secundam & tertiam diem miro experimento: nonnunquã usque ad quartam in hyeme. usq; eo enim uita in sanguine seruatur, non autem sensus ac motus, sed naturalis uitæ sensus tantum conuenientis atq; hostilis. quocirca effunditur quia inualescit, quod etiam signum criminum uindices inter iudicia numerant. Si igitur uita in sanguine manifestè manet donec computruerit, in solidis membris quandiu manserit, sed aliquanto tenuior remanebit. Quo fit ut non absurdus fuerit ille mos diligentißimè condita cadauera conseruandi apud Aegyptios, qui nunc in principibus solum seruatur: in reliquis ob auaritiam omissus est. Si igitur tandiu seruatur uita illa animæ ut ita dicam nutricis ac lapidosæ, & per tot annos? quid existimandum est de mẽte quæ nullo corporeo indiget auxilio, quæ diuina est & omnium rerum capax & absoluta natura est?

Occultarum uerò inimicitiarum ratio hæc est, aliáque longè à priore, & tanto difficilior quãto obscura à claris differunt: tantoq; utilior quanto occultiores inimicitiæ frequentiores sunt apertis. Apertè quod contra leges agant & multi communes amici se interponant paucæ sunt. Et non diu ut plurimum durant, at

occultæ

occultæ sine numero sunt, quòd nec à legibus impediantur, nec ab amicis sopiantur, & causam undequaque inueniant. Siue enim beneficijs aßiduis ingratum onerauerις non demulseris, quod nimis tibi ob ea astrictum se sentiat, non sufficit esse ingratum nisi etiam inimicum se exhibeat. Verba Cælij apud Ciceronem se quærentis apponam: Pudet me tibi confiteri & quæri, de Appij hominis ingratißimi iniurijs, qui me odisse, quoniam magna mihi debebat beneficia cæpit. Et cum homo auarus ut ea solueret sibi imperare nõ poßet, occultum bellum mihi indixit. Eò uerò procedit hæc iniuria aßiduè cõferendi in ingratos beneficia, ut cũ natura nostra ad libertatem prona sit, & quomodocunque ualeat, cupiat à seruitute se explicare, postquam neque soluendo non uult, aut non potest se exsoluere beneficia reddendo: impio sanè uoto ut se quoquomodo liberet benefacienti exitium quærit.

Sic ille qui pro filio ab Aesopo educatus fuerat illum capitis accusauit. Sic Caligula Macronem & Enniam, Nero Matrem & libertos adipiscendi imperij autores interemerunt. Et uxor Fuluij redempta ab illo à seruitute accusauit eum apud triumuiros, ut crudeliter occisus sit. Etenim qui multa accepit cum tibi obuiam fit meminit quali uinculo tibi astrictus sit, à quo uellet absolui. Ambitiosus etiam aliqua in uirtute comparatus occultè te odit, quia dum plura postulat quam dignus sit, odium in alium cuius causa impediri se putat

uertit. Sic Artaxerxes Methrodorum & Carem autores uictoriæ & imperij (hi enim Cyrum fratrem eius in pugna occiderant) & Nero Lucanum ob ambitionem occiderunt. Omnib. ergo qui uirtute præstãt atq; eruditione ambitiosi, qui illas profitentur & non habent inimici sunt, ac eisdem insidiãtur. Ob id multi sunt eruditi qui eruditum neminem euehunt, non malignitate naturæ, sed suæ securitati prospicientes. Alciatum nunquam uidi Iurisconsultũ laudantem, aut ad altiora prouehentem, ne in sinu uiperam, iuxta fabulam, foueret. Meminerat Emblematis pulcherrimi ab ipso conscripti de capra et lupo, quem ob elegantiã hic subieci.

Capra lupum non sponte mea, nunc ubere lacto.
Quod malè pastoris prouida cura iubet.
Creuerit ille simul, mea me post ubera pascet,
Improbitas nullo flectitur obsequio.

Nam qui euehitur parẽ se putat uirtute antequã euectus fuerit, post aũt fortuna etiã, sed uirtute præstantiorẽ. Si nõ eò peruenerit quo improba de seipso persuasio ducit, in iniuria ponit quicquid nõ adeptus est. Ob id plus poterit dolor nõ æquati beneficij, memoria accepti. In hoc aũt genere sunt qui cũ nesciunt scire se putant. atq; hi æstrum sunt eruditorũ, norunt communia & disputationum cauillos: aut specie tantũ ac insignibus prælati, in Iurisprudẽtia aut medicina peritioribusq; inuidẽt & ex ambitiõe oderũt. Ambitio enim nihil habet medium quòd sit affectus magni excessus: sed

aut

aut amat, quod rarò cōtigit, aut quòd semper fermè, odit. Inferiores enim opere, industria, fortuna & eruditione non possunt non nisi odisse præstãtiores. Tertio loco sunt inuidi qui semper, ut dixi, nō oderunt, sed cū inuidia confirmatur diuturnitate temporis & multis irritamentis, animus iam saucius recrudescit. Et præsertim cū hac ipsa causa, uel de lucro uel de existimatione aliquid perit. Pronior est ad apertã inimicitiã inuidus ambitioso, quòd nec æquari tibi timet, nec succumbere adeò metuit & maiore animi dolore discruciatur: nihilominus quoniã timidus natura est & quia perrumpere nō licet ei, nisi patefacto ipso liuore, rarius ad apertas simultates deuenit: ambitiosus uerè dū omnia cōtemnit & se multo superiorē existimat, periculosior est ad erumpendū inuido. Quid ergo dicemus? inuidus spōte et ex magnis causis facilius ad apertas deuenit inimicitias ambitioso. Ambitiosus aūt irritatus etiã ex leuibus causis cōcitatur ad irã et odiū manifestū. nã ambitiosus plus æstimat honorē quã pecuniã, inuidus cōtra. Est uerò et ambitiosus auarus ob prodigalitatē quarūdã aliarum rerum, ut immodicæ quã optat gloriæ satisfaciat. Quarto loco sunt improbi etiãsi non læseris. cū enim causam nō habeãt cur oderint, turpe ducunt odisse palam: cum uerò omnes cum quibus uersantur, oderint, sunt enim irritabiles, necessarium est ut occultè odio te habeant: difficillimum autem est horum malignitatem effugere, nisi cum maioribus causis detinentur.

Memora-

Memorabile illud Gabrielis Stonduili Cremonæ tyranni, qui moriens conquerebatur quod Sigismundum Imperatorem, & Ioannem uigesimumquartum summum Pontificem ex urbis altißima turræ præcipites non egerit, nec defuisse uotum: uerum timuisse ne uno præcipitato alter postmodum non esset in suas manus uenturus, non defuisse tamen studio quin ambos simul in urbe haberet, sed occasionem uotis eius non fauisse. Vides improbitatem quam leuibus imò nullis causis, ad maxima scelera nedum occultas inimicitias progrediatur. Sunt etiam odij diuersæ: aliæ nonnunquam & ut ita dicam fortuitæ causæ, uelut antiquæ maiorum simultates, ob auaritiam & lites, ob iniurias à pueritia acceptas. Meminit Aristoteles quorundam qui ob uiolatam dum pueri essent à dominis ui pudicitiam, illam nec dominorum uindicauere. Scio quendam patritiũ nostrum, qui de huiusmodi iniuria palam à magistro ludi literarij accepta conquerebatur, nec tamen uindicabat: quàm sapienter non dicam. Illud sanè constat neminem sibi debere amicum existimare illum, cuius pudicitiam in puerili ætate uiolauerit quouis modo, multo minus si uxorem, sororem, filiam aut matrem eius uitiauerit. His annis proximè elapsis amissa est arx inexpugnabilis, quòd Hispanus præfectus sorore sacerdotis per iniuriam potiretur. Ergo inimicos eos existima occultos, quorum tu occultè pudicitiam læseris. Et si ament infidam existima amicitiam: nam & Pausanias, &

as, & Ludouicus Stortia ab exoletis proditi sunt. Non potest esse tuta amicitia, quæ ab amicitia quæ ab iniuria proficiscitur. Sunt & in hoc genere, qui de suspicione pudicitiæ uxorum, aut filiarum propter te laborāt. Vicini quoq; qui tecum contenderint, aut iniuriam acceperint intuleruntúe. Quiq; tuorum sunt inimici, aut quorum coniunctis tu fueris inimicus, omnes clare te odisse existima. Ne existimes inter malos ueras posse coire amicitias.

Quanquam enim Nero non perdiderit Epaphroditum aut Tigillinum, non negauerim aliquid profecisse morum similitudinem, sed magis necessitatem in Nerone, nam & locustam habuit usq; ad uitæ exitum, in illis metum, non Neronis solum sed omnium. tot enim flagitia admiserant, ut existimarent non nisi incolumi Nerone saluos esse posse. Ex occultis autem inimicis, quos propriè diximus inimicos fieri sine tua causa, quinq; genera enumerauimus. Ambitiosos, inuidos, improbos, indignos in quos maxima contuleris beneficia, & fortuito factos hostes. Sunt præterea tria hominum genera ad inimicitiam contrahendā apta, perfidi, ingrati. Ex leuissimis iurgijs iracundus si non des quantum uelit, perfidus ubi prodendo spes lucri affulserit. Est etiam genus homiuum quod adeò suum occulit odium, ut nihil agendo solum se inimicum profiteatur: rident enim in calumnijs illius, conniuent in insidijs, gaudent in eorum calamitatibus, & cum amare se simulent, eorum

rum gloriæ ac felicitati inuident. Ergo ne tu in eandem delabaris, si quis tibi non sit inimicus sed familiaris, tamen omni studio agere debes, ne eadem tu agas in illius aduersis, quæ nuper in inimicis occultis damnaui.

Sæpe enim eadē faciunt amici non oculati quæ inimici studiosè, qualia nuper ego narraui. In calūnijs ergo modestè se obijcere debent, atq; eas diluere, insidias patefacere sic ut rescifcat: nec autorem qui palam fecerit agnoscat. Si dubitas de illius fide aut prudentia, Chirographo ementita manu in domo illius relicto, facile est atq; opportunè id agere. Atq; hæc cum uel illius salus uel fama petitur aut filij, uxoris, fratris: non conniuebis in ullo quòd ad illius pertineat salutem. Si confidis magis soli solus cuncta enarrabis. Hinc discere licet, cū qui solum calumniam refert occultū tibi esse hostem. quandoquidem nil aliud agit quàm quod animū tuum excruciat, nec calūniatores aut inimicos edocet: nec à quibus cauere debeas, nec quibus modis occurrere possis admonet: non enim amicum aut inimicum ab alio discernere potes, nisi quòd amicus utilitatem, inimicus damna affert: qui ergo non tibi ea pandit quæ ad defensionem tuam sunt necessaria, is tibi occultus est inimicus atq; ualde insidiosus. quamobrem illum ablegare debes: dicemus autem de his suo loco.

Ceterùm si de calumnia & maledicto solum agatur, nec admonet nec tuetur: occultus est inimicus, sed non

insidiosus

insidiosus. quoniam nil agit quo se amicum tibi fore ostendat. Esse autem certè inimicum docent uerba Ciceronis, quibus illum qui non tuetur hominem à calumnia, magis inimicum esse declarat, quam sit is qui calũniam infert: sunt autem hæc: Nam qui iniustè impetum „ in quempiam facit, aut ira aut aliqua perturbatione in „ citatus, is quasi manus uiolenter afferre uidetur socio: „ qui autem nec defendit nec obsistit si potest iniuriæ, „ tam est in uitio quam si parentes aut patriam, aut ami „ cos deserat. Atque illæ quidem iniuriæ quæ nocendi „ causa de industria inferuntur, sæpe è metu proficiscun- „ tur: cum is qui alteri nocere cogitat timet, ne nisi id alteri fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Itaq; manifestũ est eos qui non tuentur absentem, non solum amicos sed maximè inimicos esse. Ergo ut omnia breui colligam: si amicum calumniari de ridicula re intelligis silentiorem tege: sin seria res est, illum tuere si potes. si non, admone palàm amicum si confidis, aliter, ut dixi, scripto suppresso nomine tuo: nunquam crimen sine causa autoreq; protuleris. Sed si causas accusator reddit, ueramq; inueneris accusationem, amicitiã dissue non dilacera. neq; enim improborum, quos honestè tueri nequeas amicitiam retinere decet.

Nec est arduum calumniam ab accusatione dignoscere. nam calumniator genus rei non speciẽ profert: non ad hoc inuitatus, non testes adducit: ubi accusauerit subridet. Id uerò certum signum; nam si falsa sunt,

ſunt? cur de amico comminiſcitur? ſi uera? cur ridet? Dicit ergo calumniator ſtultus eſt, mille facit errores, eſt improbus, perfidus, ingratus, imperitus: nec ubi nec quando, nec in quo hæc deprehenderit, adijcit.

Nunquam ergo illum tibi non grauem eſſe inimicum puta, qui calumnias tibi refert non calumniatores, nec rei ſeriem. nec amicus eſt qui non tuetur, amicus eſt qui tuetur, amicior qui refert omnia etiamſi per alium aut ſcripto. Optimi autem amici officium eſt, ni tu nimis ſis iracundus, tueri te atq; etiã certiorem reddere. Porrò ad inimicitiam parati ſunt atque odium, maledici, irriſores, contemptores, deceptores, auari, queruli, triſtes, moroſi, imperioſi, contumaces, contentioſi, crudeles, ſtulti. nam hi omnium malorum ſeges ſunt.

Iam uerò liquet ex his alios eſſe occultos inimicos, qui occultè inſidiantur: multo enim minus mali ſunt, occulti inimici quos tamen inimicos eſſe noueris (occulti enim dicuntur alijs non tibi) inimicis apertis ac manifeſtis qui tibi occultè inſidiantur. nam occulti inimici non ſemper, licet oderint inſidiantur. manifeſti autem cum iam ex profeſſo inimici ſint, perpetuò inſidiãtur. Qui uehementiore odio leges contemnentes, & gloriæ cupidi manifeſtè, qui gloriam contemnunt, & nec adeò uehementer inflammati ſunt, & leges uerentur occultè: in quibus autem uehementia odij & legũ & gloriæ obliuiſci cogit, hi & apertè & occultè tibi

& tuis

& tuis etiam quandoq; insidiantur. Iam ergo liquet occultos hostes, multo minus magnos & perniciosos, multoq; minus formidandos manifestis. quanquam non desint occulti hostes qui etiam moliuntur quantum possunt insidias, sed hi in numero manifestorum inimicorum habendi sunt. Dubium uerò est qui nam deteriores sint ex his qui ex professo tibi sunt inimici, an qui tibi insidias clam aut apertè moliuntur? Planum enim est quòd ex his primi gloriam secundi leges ob odij magnitudinem spernunt. utriq; uerò & Dei & humanitatis obliuiscuntur. Qui ergo leges contemnit ambitiosus est, qui gloriam impudens: ergo ab impudenti metuendum magis quòd nulla uia, nisi illius morte periculum te posse euadere spes sit: ab ambitioso autem uiolentius quippiam timere decet. Itaq; magis repentinũ est quod ab eo qui apertè te oppugnat expectatur: Sed aliud diuturnius. non ergo statuere de his quicquam licet. quia ratione personarum, loci temporis aliud aliò magis formidandum: timidi etiam magis apertam timent uim, fortes autem & potentes occultam. At uerò si occultus inimicus uel quia timeat te, uel ob ambitionem uel ut te fallat, facilius quod multi facere solent quandoquidem faciendi tot sint causæ leuibus beneficijs te affecerit, quid agendum? Suadeo ego ne post primum benefecium recipias, nam primum recipere debes, ut experiaris an forsan in amicitiam ueram sit rediturus: at ubi intelligas fucum quàm celerius potes te

ab illo reddito beneficio explica: at si improbus sit siue malignus, in hoc enim solo differunt. quòd improbus nocet semper, malignus non nisi oblata securiore occasione: beneficium neq; primum acceperis, quandoquidem nec si serio agat, expediat tibi illum habere amicum. Sed & inutilibus amicis uale dicere consulo, quòd graues tibi esse poßint, & nullum tamen beneficium recepturus. Si enim multitudinem amicorum fugiendam & Aristoteles & Plutarchus ob hoc unum suadent (quamuis alioqui utilis sit hæc multitudo) quòd grauis sit, quanto magis eorum qui sint inutiles. In hoc genere connumerantur parentes senes & auus, & auia & filij paruuli, aut quòd deterius est inertes, stulti, improbi & prodigi, generaliterq; inutiles, & fratres parui, aut ut dictum est, inutiles alia causa, sed nullum horum ut suo loco dicemus reijcere aut deserere conuenit: at in alijs mendicos, oppressos, senésque, familiares amicos clientérque tam amentis est quærere, quàm iam habitos relinquere atque abijcere insolentis atque impij, modo ipsi ex improbitate non eò se coniecerint.

Quo in casu etiam si honestè liceat, sunt adiuuandi: in posterum uerò amplius in consuetudinem nostram non sunt admittendi. condonandum est enim aliquid humanitati & plura etiam, si sine magna iactura fieri poßit rumoribus hominum. Sed si amicus bonus sit, plurimos tamen ille æmulos inimicos, insidiatoresq; habeat

habeat, qui eo quod illi amicus sis illũq; tuearis, sint tibi inimici, quid faciẽdũ? deserã ne amicũ, aut potius periculũ subibo ne simul cũ illo opprimar? Si cliẽs, si familiaris palam renunciandũ est consuetudini, clam uerò omnibus opibus adiuuandus. nã ille ne teruncio deterior fiet, tu uerò securior uiues & tutior eris. Quòd si hoc lædi se putat, improbus est ac nimis ambitiosus. Sin aũt amicus sit apertè illum tueberis, ita tamen ut ubi iniquas causas tueatur, suadeas ut illis cedat. Occultos autem inimicos commutare in apertos stulti est. nam ut docui aperti deteriores sunt ac magis metuendi: quibusdam tamen in casibus non tam utile est quam necessarium, scilicet cum ea uia nocere uolunt, nec te ab illis cauere, sed inuidia apud populum, magistratus & communes amicos te onerant. tunc præstiterit illum habere apertum inimicum: alios autem non inimicos quam occultum illum, aliósque simul omnes causæ tuæ ac uitæ hostes: secus non ut multi insani faciunt, melius est ferre occultum inimicum quem metus quiuis continet, pudor terret, & initium faciendi atq; inueniendi ut noceat, inertia quædam impedit. At neque ex apertis occultos facere ualde utile est, quandoquidem cum placare neque tu neque magistratus, nec communes amici potuerint, quid aliud agit, quam quòd si occultè nocere molliebatur? idem manet si aperte. Occultè in posterum nocere tentab t? Quid ergo egisti, aut in quo tibi profuisti, quãdoquidẽ

 ut dixi,

ut dixi,aperti inimici qui apertè nocere tentet,aut occultè non inter illos magnum sit discrimen. Imò etiam forsitan hoc oberit. quoniam confisus ne audacter tibi noceat,confidentia tua te perdat. Hoc mihi in memoriam iam eos reuocat,qui per inducias & promissa potentium interfecti sunt.adcò ut difficillimum sit inimicitijs finem inuenire,multi post reconciliationem occisi sunt qui aliter opprimi non facile potuissent. Sic uir illustris Ioan.Baptista Castellioneus à Legato Marauilia:sic quidam plebeius ab Antistite Comitum qui Canæ dicebatur:Sic Bituitus Auernorum rex à Gn. Domitio deceptus.Sed omnium miserabilium casuum maximus fuit Achei per manus Bolidis Cretensis decepti. Cui Antiochus postquàm illachrymatus fuisset, quasi misereretur nescio qua ratione oculos effodi, manus præcidi,aures & nares amputari iußit, inde occidi. Plusquam humanæ sapientiæ reor esse intelligere finē odij & inimicitiæ. Quot in medijs inducijs trucidati? inter quos quidam Gibellus accepta fide iugulatus est ab inimicis,cum maximus tamen uir his inducijs se interposuisset.Sunt qui existiment intercessoris uoluntate id actum.periculum imminet ab his qui amicorum uice se interponunt:periculum est ne utriq; fallantur & qui se interposuerunt,& qui amicitiam contraxerunt.Ergo ex principalibus indicijs quæ sumere oportet eum qui reconciliaturus est se inimico:si inter medius uir amicus tibi sit & magistratum exerceat) plurimum

mum enim facit publica autoritas, optimum etiam semper est in inducijs cauere. Sed facta reconciliatione utrunq; extremum suspectum habere oportet, siue nimis alacri animo excipiatur hæc pax, seu etiam tristi uultu ac mœsto. Inter crudelia perfidiæ exempla recitatur Theodorici Gallorum Regis in Hermefredum Thuringonum Regem scelus: Carolus quoq; Gallorum septimus Rex Ioannem Burgundiæ Ducem (ut appellare regulos nunc solent) iuramento super solenne sacrificium sumpto interemit. nescio an maiore impietatis an iustæ ultionis exemplo.

Quamobrem tutius est nunquam fidere his quos grauiter Cæsaris quacunq; interposita fide. Sed tamen habenda est ratio hominum uitæ Metoposcopiæ, Physiognomiæ & maximè quo uultu reconciliationem exceperit. Adeò tamen infelix res est reconciliatio ut ultiouis modo cedat, illius fides infortunium non leue parere soleat. Pomponius Sextus Gn. Pōpeij magni. F. reconciliatione cum Augusto & M. Antonio facta ab illis postmodum euersus est. quos si præuertisset consilio sui liberti dominus orbis euadere poterat. Rursus M. Antonius Augusto reconciliatur quid aliud egit, quam ut regno posset spoliari et fortuna? Admirabilis fuit reconciliatio Francisci Gallorum Regis & Caroli quinti: Sed quanta mala secuta sunt hanc reconciliationem? Seruata fides, ubiq; exitio seruantibus fuit. Ergo implacabiles inimicitiæ, odia, interuicina bella perpetua

sunt exercenda? non, sed ita reconciliaberis ut ex aperto inimico occultum euasisse credas, quod si fidem summam in illo existimes, non deerunt adulatores qui & iniurias acceptas exponant, & occasionem bene gerẽdæ rei præponant. Fieri non potest ut pax unioq; ex æquo utilis sit: aut si sit, ut utrique adeò tuta: quòd si etiam ex æquo tuta fuerit, diuersis tamen temporibus uni quam alteri opportunior erit iniuria. Finire igitur apertas oportet inimicitias atque illas sedare, occultas uerò difficillimum est. quamobrem illas deuitare oportet, atque etiam si fieri poßit beneficijs abolere. Exemplo quoque atroci in perfidos edito. Sed quonam pacto inuidos, ambitiosos, atque iratos tibi amicos reddideris. horum enim est aliqua ratio: non ita ingratorum, perfidorum, improborum ac stultorum quibus quanto magis beneficeris tanto maius tibi imminet periculum, non ita ab alijs. nam non solum reconciliari tibi poterunt, sed etiam amici fieri. Scipionem enim constat ita Tyberio Graccho ex grauißimis inimicitijs reconciliatum, ut illum in generum sibi ascisceret. Sic nostra ætate Rex Gallorum Henricus Regem Hispaniarum Philippum post tot truculentißima bella generum sibi fecit. Notæ sunt M. Aemylij Lepidi, & Fuluij Flacci itemque Sexti Liuij Salinatoris ac Neronis simultates graues atque concordia acta, nec ullius rei tam frequens exemplum.

Sed omnium harum inuidia, aut ambitio aut ira in

eduſſa fuere. quomodo ergo hos ad ueram pacem deduxerimus dicendum eſt. Ambitioſum ſi humanitatem præferes, dum te deprimis amicum nunquam habebis: ambitioſus enim parẽ aut potentiorem amat non humiliorem, non enim dignatur habere amicum: oportet ergo ut ambitioſi amicitiã conſequaris, te eſſe ambitioſiſsimum.

Dico in omni genere familiarib. ornatu domus, ſupellectile, ueſtitu, equis, moribus, ſermone: cũ ipſo uno uero familiariter uiuas, atq; illi omnia cõmunices nec cedẽs, nec te illi præponẽs. Sed licet modeſtè in quibuſdam te illi præponere, ut ſi obtinueris te eſſe maiorem intelligat: ſi nõ obtinueris gaudeat ſe tibi proponi. At illud in hoc incommodi eſt quòd dum uni placere ſtudes, omnib. diſplices? non, nam primo parib. atq; maioribus ſi ita cõgrediaris quaſi amicis exiſtimatiõe retẽta non iraſcetur ille: rurſus ſi minoribus, ſi pauperibusq́; humanitatem oſtende, dignitatem præfer. Hoc non odioſum eſt & ambitioſo ſatisfacit, maximè ſi omnibus in cauſis teipſum anteponas. nec alij ægrè ferent hanc tuam ambitionem, modo factis potius quam uerbis conſtet, illiſque faueas: ſtultum eſt uelle ambitionem præferre & nulla in re ab alijs præferri. Quamobrem curabis ut arte, prudentia, amicis, diuitijs, ornatu, potentia, conſanguineis, populari fama & hominum opinione alios antecellas, aut præſtantioribus & primis ciuitatis æqueris.

Nihil autem deterius est & ut ambitiosus, stulte uideaaris, quàm si maxima inæqualitas in te deprehendatur, siue in uno genere: utpote si togam habeas preciosam: sagũ uerò ut caligas ueteres & adtritas, aut in generib. diuersis ut si equũ habeas strigosum, famulos aũt ornatos: aut si diuersis temporib. eadẽ diuersitas deprehendatur, hodie pulchrè uestitus, cras sordidus & pannosus. Est tertium genus inæqualitatis cum te sperni irrideriq; permiseris, aut si uestem defers fœdatã, in qua incuria & desidia familiarium, tuiq; contemptus cernatur. Itaq; difficile est sapere & scire. Oportet enim qui existimationi uult studere omnia posthabere, ut hanc solam retineat: neque tamen paruũ munus est quod comitantur diuitiæ principum amicitia, atq; ut ita dixerim tota humana felicitas illa uulgaris. Facit et plurimum ad ambitiosorum amicitiam retinendã cum illis in moribus consentire, laudare quæ illi laudant, uituperare quæ uituperant, magnifacere quæ magnifaciunt, studere his quæ student. Nonnunquam enim in precio sunt opes, nonnunquam gloria, nonnunquam religionis cultus: ut post Christum duobus aut tribus prioribus seculis. Semper tamen ambitio in una harum rerum sedem posuit: nunc opes præponuntur.

Facile uerò est cum alijs idem sentire, quandoquidem ut dixi, in his tribus reposita sit beatitas & studiũ ambitiosorum: fermeq; eadem ætate in diligendo ex his tribus uno omnes consentiant. Arduum quoq; est, ubi

uel

uel ſemel abiecti (is eſt qui compoſito è regione cõtrarius eſt) famam conſequutus fuerit, ut ambitioſiores in ſuam ſocietatem te recipiant. Nec putes te uni ambitioſo placere poſſe, alteri autem non, nam ita in unum conſenſerunt, ut ne Chartuſiani quidem ſacerdotes adeò ſanctè ſuam regulam ſeruent. Vbi ab uno excideris ea cauſa (non proprijs ſimultatibus, litibus, iniurijs, minis, maledictis) ab omnibus excidiſſe te puta. Si uero ob iram iam in occultas uel etiam apertas incideris inimicitias, non tu te flectas non ſubijciaris, ſed amicis cõmunibus ex equo & iure res componatur.

Non eſt arduum cum parem te illi uiribus ſenſerit & iure certaturum. Plurimum in hoc poſſunt affines, pleriq; etiam principum autoritate intercedente gaudent. Sin autem ob rem & auaritiam communes amici illam facile ſedabunt. extincta enim cauſa inimicitiæ quæ è re naſcitur, ſtatim inimicitiæ naſcũtur. Eſt enim hoc genus inimicitiæ uelut tertiana febris cuius nullũ ſolet relinqui ueſtigiũ. Si uerò ex inuidia occultæ inimicitiæ ortũ habeãt, fas ut uel retro cedas aut multo ante progrediaris. Nihil deterius eſt quã diu pariter eundo certare. Sed et mutatio domus aut artis nõnũquã ſedat æmulationem. Si hæc nõ proſunt aut adhiberi auxilia nequeunt, facito ut intelligat tuã felicitatẽ ei utilẽ eſſe. At ſi nec ſic te odiſſe deſierit, ita age ut ſi non poteſt deſinere odiſſe, deſinat poſſe nocere. Porrò omnia uelle curare tam ſtulti eſt quam etiam nihil.

Quod autem curandum est magnum esse debet. cuiusmodi Principum iræ atq; odia, quæ non solum magna sed maxima haberi debent, ideóque de illis nunc dicendum est.

DE PRINCIPVM Odio atque ira.


RINCIPIO igitur constituere oportet an inimicus sit princeps? an solum iratus? statuendum est etiam quam graui ira aut odio laboret, plurima enim ex his exitialia esse solent: item quam iustus sit aut tyrannus, & si tyrannus, an rapax an etiam sæuus. tibi etiam considerandum, an in aula an ex magistratu uita sit aut libera, & an sufficiat illum tibi non esse inimicum? an etiam necessarium sit, ut tibi amicus sit? quod maximè conuenit his qui ex aula uictum quærunt, aut his qui pecuniam aut rem principis procuratoribus credunt: aut qui reditus aliquos ex fisco accipiunt, uel qui poßident bona quæ principum fuere dona, uocant Iurisconsulti Feuda, ut propria unicuique herodialia. Truces tyrannos quauis causa tibi infensos ut effugias statim suadeo. paulo enim minus miserum esse, quam ex arbitrio inimici semper pendere ut miser sis.

Quid est uita? nisi ipsum quod uiuis? at sic pendere est mori non uiuere, & eius quòd etiam superest timor eripit partem, & totum uitiat. Quid expectas an ut te trucidet, inde iudicio te absoluat? quòd quibusdam in Anglia olim euenisse audio. Posthabeas cuncta saluti atque securitati: si effugies & truculentus sis forsan rebus parcet tuis? si non parcet, melius est tuas res tibi eripi quam te rebus tuis. Cogita priuatum aliquem tibi inimicum, qui te in sylua comprehenderit? non alio in statu, imo etiam deteriore es, cum in manib. inimici tyrāni fueris. Sed mortui sunt illi Phalarides, Nabides, Agathoclei, Dionysij: At honestiores hi qui more Tyberij Caligulæ, Neronis, Senatus iudicio occidunt? quasi non deterius perire sit iudicio quam sica: Sica infames non fiunt liberi, sed ad honores peruenire possunt, patrimonium non perit, inexpectata mors est. Verum si non sæuit tyrannus, sed pecuniæ tantum inhiat, aut rebus potius tuis infestus est quam tibi; tunc æstimatio rei habenda est, si maior est iactura periculo persistendum omnino: sed si omnia in discrimen uertantur, non tutum est litigare sub infenso iudice.

Sed hæc mittamus, propius accedamus: non tanto in periculo aut discrimine uersaris, intelligis tamē te principi odio esse, uel quòd iniuriā intuleris, uel quòd acceperis: uel quod gnatonū suorū aliquis ex his tamen qui plurimū apud principē possunt, accepisse se existimet,

uel quòd uxoris tuæ aut filiæ, aut sororis illi blandientis, acrior ultor fueris: aut quod tibi inuideat, tunc non leue discrimen subisse te intelligas. Verùm caue ne ex magno maximum effeceris: Id maximè eueniet si conquerendo iactandóue illorum mentem etiam stimulaueris. Opus est summa taciturnitate atq; dißimulatione. Omnino silentio tegere oportet quæ uindicare nolis, sed tanquam nulla intercedat offensa blandiendum est regi. Cum Cambysen in conuiuio uino operã immoderatius daret, admonitus à Prexaspe è proceribus uno quod uinum omnibus sed regib. præcipuè noxium esset, quorum interesset alijs imperare: respondit Cambyses iam facturum statim ut intelligeret nec oculos nec manus, nec mentem uinum offendere: inde largius bibens, ultimo maximum etiam meri uini poculũ ingurgitauit, ac statim arcum & sagittam petijt, iußitque more Persarum, qui etiã mos hac ætate apud Turcas uiget, ut Præxaspis filius puer sublata manu sinistra, quasi per illius digitos sagittã transmissurus, præfatus patri traiecturum cor, statim filij pectus transuerberauit sagitta: illoq; iußo discendi coram patre, quæsiuit an modo intelligeret, nec mentem nec oculum aut manum fefelisse. Ei respõdit Præxaspes ne Apollinem certius collimaturum. Reprehenditur à Seneca dictum utrunq;, & quòd in filij acerbißimo casu blanditus sit Regi, & quod antea illum increpuerit: at mihi in neutro reprehensione dignus uidetur, in admonitione

enim

enim Regis fidem integram exhibuit, non tantum sperauit, non medicus semper sanat, non omnia rectè facta rectè succedunt. Dum blanditus est Regi, non tam timuit sibi quam filijs reliquis ac fratribus quos Persarum more palam erat in periculum uocari. Sic Harpagum cum Astyages filium clam iugulatum mensæ edendum patri apposuisset, quòd minus diligenter mãdata eius in exponendo Cyro nepote ex filia expleuisset, cum interrogasset capite & manibus filij exhibitis an rectè cœnasset, respondisse ferunt omnis cœna apud Regem grata est. Seneca reprehendit, ego laudo: nam quid uerbula illa sine sensu, sine mente quæ tum illum cæterosq; filios à periculo uindicarunt & ad ultionẽ quam postmodum de Rege sumpsit reseruarunt. Apertè respondeat cui nec sui cura ulla est, nec pro suis metus, nec spes ulterior ultionis. Si horum unum desit, nõ sunt commutanda paucula temeraria uerba quasi doloris & iræ refrigerium, cum nece uel tua uel tuorum acerba etiam uel cum spe ultionis iustæ sumendæ, si modo ulcisci & decreueris & par fuerit. Sed non sunt ultionis modi omnes similes. rarò enim uel nunquam eò ueniendum est, ut uelut Martialis Imperatorem Antoninum Baßianum ulciscẽdum fratrem occidas. nam & infamia iusta aspergi potest princeps & bello peti, et seditio excitari inter suos, & inimici principes aduersus illum commoueri: & accusari apud illummet cuiusmodi qui à Philippo Rege ad Philippum ipsum, sed sobrium

brium appellauit, ut errore commotus doleat de suis factis. constat quosdam ira libellorum se ad uoluntariam mortem adegisse, non est uehemens cruciatus conscientia sceleris: accusatio apud teipsum, est tamen diuturna. Furere cœpit Nero cum audiret probra eorũ quos ad mortem damnauerat. Ergo in huiusmodi casibus blandiri necessarium et utile est, quod ipse Seneca sui quasi oblitus laudauerat in pastore.

Sed si iniuriæ expers & apud principem esse decreueris, scias nil esse irritabilius aure principis. sunt enim omnes principes iracundi, nõ mediocriter dico sed immoderate ob quinque causas: prima quod calidis cibis moderatisq; utũtur, uinis potentibus, uigilijs ac uenere quæ omnia bilem admodum excitare solent. Secunda quòd perpetuo uexantur, tædioq; assiduo afficiuntur. Quæ sola causa facit, ut magistri ludi literarij omnes sint iracundi: at principes, ut dixi, præter hanc alias plures causas habent: hanc uerò adeò manifestè urgentem ut cogantur minus & scurris operam dare relaxatiõis ergò, nec uideo cur non pereãt aut insaniant. Cum igitur singulis diebus irritentur adeo uehementer, quid censes confirmato iam multis annis habitu? Tertia est quod sunt ambitiosissimi, omnis autem ambitiosus iracundus est. quoniam existimat sibi non exhiberi ea quibus dignum se putat. Propterea iracundia quantum ambitio ipsa crescit. Quarta quod Regiæ existimationis causa iras concoquere coguntur;

tur,ideóque ui suppressæ animi perturbationes, uelut conclusa ignis aut aqua uiolenter acrius erumpunt. Vltima & quasi maxima causarum est, quòd principes à principibus nascuntur quorum iam natura huiusmodi est,& longo usu ad iram facta prona: itaque & qui descenderunt tales facti sunt, augeturq; uitium, donec in atram bilem transeat. ut Cambyses atq; Nero quos potius stultos quam iracundos dixeris. Ergo iracundi sunt maximè principes,& si irã maximè ex aduerso celent. Sunt etiam ambitiosi. quia ab omnibus coli se uident,& quoniam securitatem in cultu esse repositam putant. Sunt & ex his crudelißimi quoniam ob potentiam atque licentiam minima ultio mors est. mors autem ultimum terribilium: quod ergo ultimum est alijs in perferendo, in illis initium pœnarum est. nam dicunt quæ pœna est mori cum nobis cõmune sit mori?& omnes moriamur?aliud inuenire oportet?quapropter ad ulteriora procedunt,& ampùtationem artium,& fidiculas excogitãt toties occidere homines existimantes, quoties acerbißimis illos cruciatibus affecerint, membraq; detruncauerint. Súnt quoq; auarißimi. quoniam omnibus rapinis aliorum sufficere coguntur : at tot sunt raptores & tam auidi, ut neque mare ipsum si argenteum totum sit, & qui in ipso sunt pisces, gemmæ, & scopuli toti aurei, insatiabili aulicorũ uoracitati satisfacere queant: quo fit ut nõ tã auari sint quã esse cogãtur, quãquã nec desint qui

&

& multa sibi seruari cupiant. Hæc igitur generalia sunt, nam priuata persequi & quæ ex huiusmodi moribus sequi necesse est, iniurij & amentis hominis esset. Hæc enim solum dixi quæ necessaria sunt homini ut principis gratiam adipisci poßit, aut adeptam seruare. Si ergo omisso modo auaritiæ crimine principes omnes maximè sunt iracundi, ambitiosi atq; crudeles, cogitare debet homo qui cum illis uersatur, quanto in periculo perpetuò sit: etiam si ille Rex sit, quasi Agesilaus aut Augustus post bella exacta: uel Titus humani generis deliciæ: uel Traianus aut Antoninorum duorum alter, uel Alexãder Mameæ qui septẽ inter æquissimos atq; mitißimos humani generis principes numerantur, quorum nullus præter Titum, si bene animaduertis à principibus ortum duxit. Sed & Titi solum pater princeps fuit: & ipse Titus quantumuis deliciæ hominum nescio qualium hominum, teste Iosepho, plura milia Iudæorum inter quos pueri & mulieres solum, quòd cultum Dei patrij atq; libertatem patres, tum uiri sui acrius defendissent, feris laceranda & edenda publicè exposuit.

Itaq; hæc tria ut rursus de auaritia quæ non eorum proprium crimen est taceam, sunt ex ipsa principum natura conditioneq;. Quare id agendũ quòd Calistheni nepoti Aristoteles præcepit, quanquam parum memori dum iter ad Alexandrum pararet: Aut Place aut Tace. O aurea uerba & digna Aristotele nepotem

ex sorore

ex sorore instruente: Quæ tamen ille natura insolentior dum non seruauit ut Macedonibus placeret: causam crudelis necis inuenit. Et enim ut Medici solent dicere quod plures occidit gula, quam gladius, ita dicas, apud principes, plures occidit lingua quam manus, uerba stulta quam improba facta. Illi ergo qui linguæ omnino imperare nesciuerit præcipio, ut omnino ab aula & principum consuetudine abstineat. Alexander Clitum nutricis suæ filium cuius lac præripuerat, ob uerbum occidit à cœna statim, cum ille temulentus id profudisset in cœna, nec profuit paulo ante Regem seruasset à securi impendente barbari, dum rex ipse galeam pugnando amisisset: imò nocuit. nam exprobratione hac irritatus est ad iram Alexander. Ita omne bonum nocere paratum est. si eo uti commode nescias. Artaxerxes cum in Græcia facturus esset expeditionem, gratus illi hospes Pythius rogauit, ut è quinq; filijs unũ pro solatio relinqueret, annuit rex, iußitq; ut eligeret pater, quem cum elegisset electum coram illo in duo frusta diuidi iußit, exercitumq; medium tanquam expiaturus hoc sacro eduxit. Quam præstitisset tacuisse? Theodorus Cyreneus ob uerbum Lysimachi in crucem sublatus est. Mitus à Tyberio occisus quòd illum in Augusti funere taxasset auaritiæ, non impune fuit amico apud Dionysium cœnanti, cum interrogasset quænã pulchriores statuæ haberentur? respondissetq; ille non de artis excellentia de qua interrogabatur, sed hominum

 factis,

factis, Harmodij & Aristogitonis (hi enim erãt qui Athenis Pysistrati filiũ tyrannũ occiderãt) intellexit Dionysius improbũ & importunũ dictũ, paulo postq; illũ interfici iußit. Quid memorem Baßiani Imperatoris in Antiochenos, qui eum scommatibus laceßiuerant factum? nam non solũ ciues sed & mulieres & pueros occidit. Nasonem ob probra Augustus & si mitißimus, et si musis pepercerit in pontum relegauit. Timagenem historicum et Poetam ob easdem causas domo expulit. Paßius est apud Asinium Pollionem consenescere, non ob clementiam sed ob gloriam. Nam qui dum cœnaret tot millia hominum proscripserat, centuriásque Senatorum, Chiliadas equitum Romanorum. L. Cinnæ cõuicto insidiarum in caput eius pepercit: cur id? an non ob potius ut contemnere uideretur quam parcere? Ergo si non à te iudicium factorum suorum, aut dictorũ exigat princeps, qui tam stultus sis ut uelut pædagogus censuram facere uelis, de eo cuius nutu uita tua & mors pendeat? Sin autem interroget, absit in responso omne scomma, omnis irrisio, figura, anceps dictum, ueritatem leniter fatearis. Si eò uocatus sis ut intrepidè ueritatem fateri cogaris uelut præceptor aut consultor, imitare Senecam ad Neronem de clementia scribentem, tametsi nondum apices aculeorũ sæuitiæ protrudisset. Id tanto magis, si crimine non careat agendum est. Lauda contrariam uitio uirtutem in illo, tanquam horteris acrius ad perseuerantiam gloriosi facti, non

cti;non tanquam dehorteris à flagitio. Estq; id præceptum uulgo, tametsi multi ob petulantiam illius obliuiscantur. Sic munificentiam illius non fictis exemplis ne irridere uidearis, sed diligenter conquisitis, nulli enim aliqua desunt (nam & Caligula sæuitiæ culmē relegatos restituit, commentaria ad matris ac fratrum damnationem pertinentia exußit non uisa.

In auaro commendabimus, ut intelligat princeps potius quid illi agendū sit, quàm quid egerit. Ergo si licet fugere, debes principū irā iracūdosq; principes sic ut fugere nō uidearis. Sed si nihil necessarij negocij tibi cum illis sit, melius est omnino latere. Si operā tuam nō rem postulent liberaliter eis impende, donaq; libenter quod tui arbitrij uendere non est. nam bifariā tibi gloriosum erit, & quod rogeris et quod dones: in reliquis quāto lōgius abes, tāto tutius. Sunt enim eorū iræ non solum repētinæ sed sine causa, & stultæ etiā. Persarum Rex unius urbis ciuibus omnib. nares ut equis anhelosis fieri solet discindi iußit. Vocataq; urbs in posterum ob id Rhinocurura, in Aegypto est. Cambyses autem Aegypti Regē effoßū sepulchro uirgis cædi, stylis pungi ac uri iußit, quòd filiā uiuēs in matrimoniū denegasset. ueritus ne ob insolentiā non pro uxore sed concubina haberetur. Cyrus quamuis prudentior habitus, nónne iratus Gyndo fluuio, quod iter eius Babylonem eunti moraretur, maiore mora & immensis laboribus aboleuit illum, diuiso in trecensos sexaginta riuulos. Et

successor ille eius qui Europam Asiæ ponte iunxit mare uerberauit, nec unius tamen malæ concordis prouinciæ cum tot centenis millibus militum, cumq; sua grandi iracundia impetum sustinuit. Lysimachus quid passus est ab ira Alexandri? quid admisit Rex factus Troiadis & Pergami in amicum Thelesphorum Rhodium? truncis naribus & auribus pauit in cauea ferrea pronum. Fœdore, pilis, illuuie, facie, callo genuum, unguibus prælongis exesum, à lateribus extra humanam formam deductum. exemplo Calisthenis apud Alexandrum: ut non minus essent à misericordia alieni quam ea digni. Quid Caligulæ facta commemorem, qui tres senatores ipse uerbare sustinuit? fidiculis eculeoq; torquere? inde tribularibus atq; igne excarnificatos occluso spongijs, ore aut frustis uestium, si ille deessent interimebat? Nonnullis quorum filios occiderat misericors princeps, ut eorum patres à luctu liberaret: per noctē missis centurionibus eos occidi curabat. Quid de Domitiani inopinata ira atq; supplicijs? nón ne multo melius esset mori, quam tanto in periculo, adeoq; assiduo uiuere? Hodie quum Augusti sunt Calendæ nefasti anni M. D. LX. iuuenis quidam cum duceretur reduceretur q; ac sisteret, rogauit lictores ut eandem ducerēt. Vir uita quam morte dignior.

Ergo ut iræ atq; ambitionis principum rationem habeas, cum ante illos uerba facere cogimur, non nostro dolori indulgendum est, nec quæ premunt effutire, nec

re, nec in aduersarios probra conijcere, ne principem molestia afficiamus, iudicijq́; nostri leuitatem prodamus, atq; inutilium commemoratione memoriam utilium aboleamus. Quinetiam ubi periclitemur ne prætermittamus utilia, aut inutilia recenseamus, memento quæ nõ dicta sunt dici posse, quæ dicta sunt ut dicta nõ sint fieri non posse. Amant supra modum ut Dij uenerari, existimantq́; in hoc maximam spem securitatis esse repositam. Ducti etiam Probi Imperatoris exemplo qui nominis omine ad imperium ascendit. Cum enim exercitus acclamasset debere eligi uirum fortem, sanctum, uerecundum, clementem, probum, statim reclamarunt Probe Auguste Dij te seruent, & cætera quæ de more adijci solebant. Sed

Non tali auxilio nec Defensoribus istis
Tempus eget.

In uirtutibus ac prudẽtia non uana ambitione principum securitas reposita est. At dijs ueneratio debetur qui optimi sunt. Eisdem etiam sincera cum sint sapientißimi, ut non uerbis indigeant sed rogantibus nobis sola mente largiuntur ea quæ magis expediunt. ijs ergo summus honos debetur. Ei uerò qui aulæ addictus est, quòd in alijs breui, illi semper curæ esse debet: ut scilicet ne erres in aliquo, & principẽ suosq́; intimos, tum proceros beneuolos tibi reddas, idq́; uerbis, moribus, factis. Intimos dico corpore iunctos, seu fratres aut filios seu uxores, aliaq́; quæ eadem culcitra teguntur. stul

tum autem est alia ratione sperare posse ut intimus sis, etiãsi seruiendo totã absumpseris ætatẽ. Hoc *secretũ cũ pauci norint, multi mirantur quòd magistratus reditus pœnarũq; remißiões penè ignotis hominib. familiarissimis principis præteritis deferãtur: cum tamẽ causa sit manifesta. nã intimis intimũ esse licet, pecunia, officijs alijsq; modis quorũ querulis uocib. commouetur princeps.* Principis *ergo animũ alliciũt familiaritas cũ intimis cõtracta, quæ cũ eis nõ intercedit: prõpta tamen in illũ & pulchrè præstita officia delectãt, & maxima exhibita ueneratio illi tũ maximè cũ externi adsunt, cultusq; ac sermo eorũ in quib. præcipuè delectatur:* Et *si eum absentẽ ad sidera euehas.* Q*uæ uerò licenter corã illo dicuntur, cogunt ut te uel oderit uel contẽnat.* Ag*glutinãda præterea est amicitia sensim nõ uiolenter cõpaginanda, nam disoluitur.* Ita *uerò uiue ne à te timeat nec nefanda cõmittere audeat.* Caue *aũt ne arcana eius scire cupias, ne si irascatur exitiũ tibi manifestum immineat: cum illius uita & existimatio in periculo à te uersetur.* Arma, *cibos, potus, ne tractes, nec propius accedas nisi iussus.* Venen*ũ ne tangas ulla ratione aut domi habeas: cum nemine quem oderit ne inimicorũ familiarib. ne uerseris.* O*fficia nõ expetas, iniuncta gnauiter exequere.* Ab*stinebis ab ira, indignatione, querela, loquacitate, inuidia, fastidio, cõtumacia, morositate, peruersitate, petulãtia, incõtinentia, stulticia, incõstantia, iactãtia, uanitate, maledicto, ut ne minimã exulcerã*

dorum

dorum animorum in aulam occasionē ineas. Sed sis ut sphæra, totus rotundus ne ullius affectus mali aculeus promineat: si illæsus apud principē ne iactatus uiuere uelis, lauda laudāda modestè, quæ non potes relinque: ne cupias familiaris principi uideri, sed fac ut te amet. propterea nō nisi de necessarijs illū alloquere. Tui muneris existimationē retine, alterius ne eripe, his quæ nō noris nō te intromittas, sed ad eos ad quos pertinet negociū relegabis, sic te ab onere leuabis, & illū tibi gratū reddes. Quæ aūt ad te pertinēt summa fide, celeritate, diligētia, nitore quodā adiecto perficies. Nullius sordidi uitij suspicionē subeas, ut furti, aleæ, ebrietatis, puerorū ineptiæ. Sis in agēdo apertus, liber, nec suspiciosus, sed sine crimine. Licet tamē suorū parcū esse, & acquirere & pēsiones petere, & existimationē exactè retinere, et esse potius impudētē quā uerecundū: mentiri quoq; sed cōsultè, ut reliqua omnia. Quòd si uel sic agēti magnū in periculū decideris, ob casum, suspicionē, calūniā aut errorē. homines enim sumus & ad errorē perpetuò parati, nec tū facile est rē præstare quā præcepta tradere, adeò ut Nicolaus Macchiauellus qui tot et tāta de militari Roman. disciplina disertißimè scripserat, ne unā quidē cohortē hortāte Vrbini principe instruere ausus sit) statim ad amicos cōfuge & te lecto ægrum trade, ut primos impetus effugias, & Princeps intelligat te iam dare pœnas. Sic misericordia, precibus amicorum, temporis auxilio lenies iras principis.

deret Hieronymus Cardanus Iurisconsultus peritißimus, ut litem quãdam cum potentiore exactius prosequerer, non parui quòd uiderem consultorem ipsum litigando ad egestatem redactum. Semper enim à rebus ipsis & aliorum exemplo consilium cœpi, & ut alij caperent suasi. Cum de iniuria ageretur, inspiciebã Phratrios & Hebræos qui sine armis ac socijs se probè ab ea tuentur. Cum de læta uita agenda: artifices qui summa cum paupertate hilariter uiuunt. Sic etiam non solum per genera id perquirebam, sed in quorumcunq; uita. Sanitatem in milite incolumi, opes in his qui pauperes fuissent, aduocatos sine inimicis. Et ut breuiter omnia concludam, contraria semper in contrarijs. Sed ut ad rem redeam: litium aliæ quidem ciuiles, aliæ criminosæ. de his autem si dicamus satis esse existimo, cum aliæ longè minoris momenti sint, & per eadem fermè media agitentur atq; regantur? Porrò litium cum duæ sint partes defensio & accusatio, de defensione tantum agendum, existimo utpote principaliore, difficiliore, atq; humaniore. uix enim pertinere puto ad hominem probum atq; ciuilem, quenquam etiam ex grauißimo crimine nisi publicæ rei, aut propriæ securitatis causa ad supplicium adigere. Habet autem hæc actio, uelut & morbi sua tempora, & pro temporum ratione sua præcepta. Cum igitur de crimine aliquo accusaris, considera quo in statu primum res tuæ sint qui accusatur, iudices, criminis genus. Quòd ad criminis genus, si ca-

 pitale

pitale prorsus nõ est, aufugere stultum esset. Si capitale aut ad proditionẽ principis uel Reip. pertinet, tũcq; fugã arripere decet. nã si uerè accusaris nulla est spes euadẽdi. quinimo suppliciũ grauißimũ atq; tormẽta extrema subire necessariũ est. Quòd & si nõ uerè: tot tormẽtis illos exponunt ut uel falsa fatendo, nihilominus supplicio supponãtur: aut repugnando inutiles & breui superfuturi è carcerib. exeant. Vide Andream Maldu ram Iurisconsultũ, proditionis in Franciscũ Stortiã Mediolani principem, pedibus igne exustis & ulcere insanabili in altero eorũ cõtracto, miserã uitam ac breuem duxisse. Vidi alium ex Moronorũ familia, ni fallor, eculeo pectoris, uinculis solutis post liberationẽ eodẽ anno extinctũ. quinetiã de fortuna sua querebatur, adeò ut nec in tormẽtis mori, nec superuixisse uoluisset. Saxo uicecomes inter cruciatus eadẽ in causa perijt, alijq; multi. Neq; in huiusmodi casib. ulla lex seruatur, nec ullus modus. Sed si principis arbitrio res agitur, idem est iudex et hostis atq; accusator: si aliorũ iam magis illi sæuiunt in principis gratiã, et ut fidi esse uideantur. At si crimẽ capitale sit, non tamen uerũ, omnibus pensitatis exponere se periculo propter infamiã reliquaq; pericula oportet. Sin aũt uerũ fugere melius est, nec tentare fortunam etiã in probationũ defectu. Verùm si dubia sit res de periculo, attamen quæ probari poßit, etiam fuga consulendũ. Quòd si iam detinetur accusatus, tũc uelut in morbis recta serie & per causæ tempora pro-

cedere debemus. Primum ergo quærendus est optimus medicus aut medici, hi erunt causidici, procuratores, & aduocati ex præstantioribus urbis: atq; eos statim consulere, quoniam uelut in morbis nihil melius celeritate. Sunt ergo tria maximè tum quærenda, primum an liceat à iudicijs pecunia corruptis, antequam de illis quæstio habeatur, educere accusatum. Possunt enim illi censere iniustè captum, quia non certis iudicijs captus sit, atq; ita prætendere iniuriam illi factã. Quod & libenter lictores audiunt, siquidẽ locupletiore premio dum sic liberatur captiuus, donari consueuerunt. Dicam in hoc quid uiderim. Sacerdos erat in Saccensi oppido Valerius Montechius, huic erat frater (quòd etiã maius fuit exul) qui in suspicionẽ uenerat, quod simul cum tribus alijs sacerdotem alium Aloysium Donatũ noctu occidisset, atq; spoliasset multa & ampla pecunia in domo propria. Hic nescio quomodo captus est Patauij à quo Saccense oppidum ad decimum lapidem positum est. statim nunciatum est Valerio hoc. erat Patauij Ioannes Mazochas uir ualde probus, Prætoris tabellio Valerius conuolat Patauij noctu, antequam resciscat Prætor illum esse in tabula proscriptorum, aut inimici resciscerent eum esse captum. Sic nocte eadem à Prætore pronunciatum est, causam ob quam captus erat, non fuisse idoneam ut detineretur, atq; dimissus est. Et forsan ille nomen mutauerat: ita qui maximo in mœrore uesperi discesserat mane lætus redijt, atque

impensas

impensas graues uitauit. quòd si uel modicũ distulisset non solum securi percussus, sed etiam inter tormenta, cum magna ignominia extinctus fuisset. Quòd si à iudice fugam & libertatem impetrare non liceat, iam tentandi sunt custodes, si existimas graue esse crimen, nec deesse probationes auro, ut Philippus Rex dicebat, patet uia, aditurq́; in quamcunq; munitam arcem. Ducẽtis aut trecentis aureis coronatis multa & magna agũtur ab humilibus personis. Difficile est in huiusmodi natura simplices docere, sat fuerit eorum ingenia excitasse, qui prompti atq; solertes sunt, atq; uiam illis aperuisse. Nam quòd horam oporteat habere constitutã, uestes, pileum, barbam fucatam seu emptitiam, nummos, equos dispositos, præsidium uirorum, haud obscurum est. Sed si nihil horum successerit, cum per alios fidos hæc melius quàm per teipsum tentaueris, iam scire te decet maximam partem securitatis in non fatendo crimẽ esse repositam. Venetijs enim ubi rectè ius administratur, non confeßis mortem nunquam irrogãt, sed si conuictos, ut isti dicere solent esse existimauerint, oculo uel manu mutant. Sub barbaris autem aut Tyrannis quòd legibus cautum est seuerius quàm iustus obseruatur: scilicet ut morte quòd indignum est plectantur. Vocant conuictos cum duo tresúe testes egregij, et nulla ex parte suspecti qui simul interfuerint, tuncq́; cõtestes uocantur id testantur. Quasi certum eße poßit testes aliquos nullam pati exceptionem. Ac si quis dicat,

mortalem

mortalem immortalem, hominem bonum, cum nullus prorsus talis sit. Compertumq; tibi sit hos homines ab omni amicitia, odio, indignatione, inuidia, spe, metu muliebri, persuasione, auaritiaq; se motos esse. Post ergo pertinaciam non confitendi est iudicum & ministrorum, & tabellionum amicitia. Inde accusatores lenire per communes amicos tentabis. Testes etiam corrumpere quibusuis modis nō negliges, & confeßionē minus funestam reddere. Sunt ergo in uniuersum quinque. Non fateri, aut sic fateri ut defendi poßis. Iudices amicos reddere maximum post primum præsidiū est. Inde accusatores lenire, testes corrumpere, & optimos ac gnauos defensores habere. In omnibus his tria præcepta obseruare decet, primum ne in aliquo erres, & Horatianum illud pulchrè exequaris:

Virtus est uitium fugere.

Secundū ut omnia quam occultius poßint, peragantur summaq; patientia. Tertium ut perfidos ministros & amicos. interimq; quocunq; tempore, si res sit in periculo priorum præsidiorum, ne obliuiscaris, scilicet ad fugam pertinentium. Sæpe enim in processu defensionis occasiones emergunt opportuniores, quæ ab initio non apparuerant: oportet igitur semper intentum esse in rem non conniuentibus oculis. Tu tamen obserua, ut quam defendis causam iustam, uel per leges uel æquitate, uel apud Deum dicere poßis. Nam tres hi modi plerunq; & si inuicem conueniant, nonnunqam tamen

men inter se plurimũ differunt. Velut si quis spoliet aliquem pro ea pecunia quam sibi debet, nec tamen scripto uel testib. illũ conuincere potest iustè secundũ Deum: ex lege uerò et æquitate defendi nullo modo potest. Rursus si quis hominẽ occiderit clãculũ, nec ex lege nec ex æquo cõdẽnari potest, ex diuino iure tamẽ reus est. Rursus si quis iuuenẽ amicũ ad uxorẽ ire hortetur clã se, inde fingẽs uelle etiã occidere amicũ, uxorẽ solã occidat ex æquitate à legib. absoluitur: cũ tamẽ diuina et humana lege parricidij teneatur. legẽ enim adulterij simulatiõe, ac defectu probationũ doli eludit. Ergo ut nõ fateatur crimẽ tota uis est. cõfeßis enim nullũ aut ualde breue tẽpus ad defensionẽ datur, lege potius sæuißima quã seuerißima. nam hoc solo prætextu quòd periculum sit, ne uenia principis sontes euadãt colorari solet. Interim multis modis peccatur: primùm quod multi sunt casus misericordia digni, qui principis uenia indigent, & tamen lege absolui nõ potest. Deinde quòd ob temporis breuitatẽ debitis ac iustis defensionib. destituuntur captiui, atq; iniustè cõdẽnuntur. Deterius est autem insontem unũ condẽnari, quam sontes decẽ liberari. Tertiò quod statui lex potest, qua principis autoritas ad contumaciam pœnæ restringatur, nec arbitrij sui sit plenè liberare sontes: cum scilicet & crimen graue est, & defensio friuola. Vnde ex hac præcipiti principis uenia deterius persæpe contingit, eos scilicet liberari qui nihil haberent quo se tuerentur atq; defenderent.

rent. Quarto quòd si princeps longius abest, cessat hoc periculum: si præsens uel breuissimum tempus, aut etiam duorum dierum sufficit. Itaq; ut ad rem redeā ut non fateatur admonere, & confirmare captiuū oportet. Primùm quidem multis modis fieri solet, admisso aliquo per custodes, idq; optimum est. Quòd si nec amicitia nec pecunia id impetrare liceat, per literas certiorem facere illum oportet. literas aliquando in pisce in pane abscondere licet, & per custodes rei conscios transmittunt, nam per inscios periculosum est. Custos enim sic fallere iudices, tanquam deceptus ipse potest: admittere quenquam sine periculo famæ & suo nō potest. Quòd si nec hoc facere potes, per alium captiuum tentare solemus. fauent enim plerunq; captiui alter alteri. Quòd si nec sic monere concessum est, epistola pomo includitur: multa uerò scitulus puer ludendo quasi ad captiuū per fenestram mittit unū alterumq;, sed sic ut intus non perueniāt, quod uerò epistolam continet, destinato ictu inijcitur. Demū si nec hoc facere possumus, alligata epistola sagittæ per scorpionē è fenestra immittenda est. nullus enim carcer fermè absq; fenestra uel minima saltem esse solet. Sed si alloqui liceat hoc optimū est: nam non solū monere, hortari & confirmare hominem potes, sed sciscitari cōscios testes, omniaq; quib. causæ prodesse potes, seu occultādo, seu palā faciēdo. Multos etiā alios modos excogitare pro ratiōe loci atq; custodū licet, quos nimis lōgum esset enumerare.

Sermo

Sermo autem seu forma epistolæ quasi idem erit. Erit autem huiusmodi.

Quatuor generalia præcepta seruabis. primum bibe perpetuo aquam: Secundum linguam dentibus ita uulnera ut uix loqui poßis. Et dum te examinant, compreßis labijs idem perages. Tertium, ne cui nuncio nec fratri tuo credas quam mihi. Quartum, ne extra examen uel in mensa, uel cum socijs uerbum de causa tua egeris. Si loquantur? tu tanquam surdus sis obmutesce. si interrogant cur sic? dicas de alio cogitabam. Propria primum cum ostium aperiri sentis, ut ad examen ducant, nam hoc ante cibum facere solent, uerba hæc profer: subijce autem qualiacunq; modo ad rem facere uideantur? sic cum tibi lictor manum inijcit, labiũ non mouens: Tertium cum apud iudicem es. Et si te funi alligauerint, quarto eadem repete. Secundum cum interrogant te, imaginare mortem ante te positam, laqueum aut securim, & in ea meditaberis per totum examinis tempus, nunquam eam cogitationem deserens. Tertium cum interrogant te de principali, respõde simpliciter non. De alijs rebus quæ non ad rem pertinent circũstant, tamẽ nescio aut si aliquos dies intercesserint, non memini. nec ad alia respõsa te permuta, aut in illis te diffunde. Quartum si polliceantur, si spẽdent, si conditionem offerant. Responde, Quorsum hæc si nescio? Et si recitẽt uera falsáue testimonia aliorum non dicas quod quidam, adducite illos, sed persta

in hoc

in hoc uerbo,non si de principali agitur:uel in hoc ne scio aut non recordor. Duo præterea memineris: unũ quod si in tormentis aliquid fateri cogaris, uelint autẽ ut explices historiã,tu pollicere dicturum omnia si tollant tormenta,ubi sustulerint dicas,nil horum scio: ut me à tormentis solueretis quæ ferre non poteram commentus sum. Et quantumuis te ad tormenta cogant,eadem repete. Alterum ut nullum uerbum proferas nisi diu meditatum. Et in summa,quam uerißima dicito,sed ita ut ueris dictis tuis abuti non poßint in perniciẽ tuam. Lectã epistolam in minutißima frusta statim lacera,nomen tuum ne adijcias.

Non adijcies nomen,nec diem nec huiusmodi,ille tamen sciet qui miserit. Verbo autem & per internuncium admonere non utile admodum est:si quidem in periculo es ne ille accusatores moneat,& duplici fraude res agatur:aut saltem ne qui monet infinitos admittat errores. plus autem obest uel minimus error,quam iuuent decem præcepta etiam si obseruentur. nam ex erroribus captiui in contradictiones deducuntur,ex partibus cogũtur subire tormenta. Tribus enim causis aut quatuor tormenta adhiberi solent,ob testes,ob euidentes coniecturas,ob criminis magnitudinem.

Facit & ad hoc persona infamis iam & quæ eodem crimine notata fuit,& conditionis humilitas. Cætera ad improbitatem iudicum pertinent. Si possumus etiam monere de tormentorum quantitate, magis confir

mabitur æger, si temporis perbreuis sit? Sed & si testes coram ipso deducti sint, constantem esse oportet, ac niti ut illos in contradictionem deducas. Crocum etiam edere & lapidem corui piscis secum deferre, tum Amethystum aut Androdamãta bonũ esset et utile, ut quidã putãt. Sed si captiuus respõdere uelit, aut admonere suos amicos licebit: id habita charta et plumbeo stylo, aut carbone. Vbi resciuerint amici de testibus, sua interest alios mitigare aut ablegare. ita ut interim mora dilabatur causa.

Sed uideo quid requiras à me, causam scilicet præceptorum epistolæ? Defensionem doli? & præcantationis imaginẽ (tametsi in medicorum libris quòd ad salutem tendant multa huiusmodi defendi soleant, nolo tamen his inniti) prodesse hæc. quoniã ubi ex hac falsa persuasione fidem conceperis silentij tui, facit hæc fides ut nec proferre perperam quicquam in mentẽ ueniat, nec in aculeo positus, aut ab igne cruciatus dicere poßis. quòd dicere nõ posse iam cõfidis: Experimentum à uenere deducito: ad mulierem accedas hoc cum timore, cũ hac formidine, quòd cũ ea concũbere non tibi liceat, nõ licebit quin amplius ut mingas, si nõ posse te credas non minges, aut uix. Indicio esse persuasionẽ causam impedimenti, quòd aliquibus dolore aut leuitate ingenij hæc non prosunt, ut nec reliqua præcepta, quamuis pauci sint. Similiter quòd monuerim docendos captiuos, aut puto me malè egisse, sæpius enim circum-

circumueniuntur quam uera fateantur miseri. Et iam, ut dixi, aduersus conuictos lex sæuit, etiamsi pertinaciter negent. Plures igitur contra unum, eruditi & callidi contra simplicem & imperitum: integri mente contra metu perterritũ, carcere in desperationem adactũ: hinc accusator, illinc testes rigidi, iudices minaces tormentorum aspectus, expectatio cruciatus deniq;: unus hortatur, alter pollicetur, aliqui minantur, illi mutuis consilijs armati aduersus omnium inopem. Non desunt qui iurent si fateatur, parcituros: alij etiam ostendunt fidem publicam: Sunt qui omnino etiamsi non fateatur moriendum illi prædicant: frustra experturum tot tormenta, tot cruciatus: non iam quæstionem hanc agi propter ipsum, nam de ipso decretum etiam quid iam acturi sint, sed propter alios. Forsan complices fatendo, aliquid emersurum pro defensione sua. Quicquid eueniat pertinaciam hanc iudicibus inuisam sibi inutilem, sed solis his qui illum damnarunt atque accusarunt. Ita aliquibus accidit ut fateantur quæ non patrarint, aliquibus ut quam patrarint grauius efficiant crimen: pluribus ut fatendo crimen uenia dignum, ex defectu probationum iniustè damnentur.

Eadem ratione de corrumpendis testibus, non id agam ut horter dicere quæ non uiderint fecerintúe: absit, sed ut dicta sua temperent. nam hoc non solum legibus permissum est, sed sunt è nobilibus Iurisconsultis quæ hæc doceant & tradant.

Diximus aliàs esse in ueritate dicenda modum & excessum. ad quid ea narrare atq; fateri quæ non solũ contra te sint, sed etiam iudicem in opinionem contra te inducant? & ut ab eo iniustè damneris efficiant? iustum & iniustum lex determinat diuina una, hominũ plures: nec eædem apud omnes gentes. Idem crimen nõ apud singulas nationes, eadem pœna punitur, lege crimẽ cõstat. Si lis apud superos esset, testes corrũpere ne fas esset: hic multa supplere loco eorum quæ desunt aut auferre licet. testis neminem grauet, nulli noxam afferat, non dicat quæ non sunt: sed ita uera proferat ut captiuus iniustè non damnetur. Dices quomodo? Quidam luscus erat nec satis acutè cernebat, uidit quẽdam qui iniuriam suam ulciscebatur, cum quæreretur respondit, scitis me oculis hebetibus esse non ut ausim affirmare quis fuerit. Et certè non solum amici saluti cõsuluit, sed uerisimilia dixit. quandoquidem alius similiter cum uisus causa deceptus esset insontẽ accusauerit: parumq; ipse à capitali pœna abfuerit. Alius cum nobilis quidam ab amico suo interfectus esset, interrogatus dixit, illum qui interfecerat uidisse fugientem ab eo qui interfectus esset. Ex quo sequebatur uel non interfectum illum ab eo qui de crimine arguebatur, uel ob causam legitimam. Et tamen uera dixit. Vix est ullum crimen, quòd testis aut iudex grauare non poßit, aut leuius reddere. Itaq; stulti est non consulere iustè rebus suis cum instante calumniatore, iniustæ damnationis periculum

periculum subis. Est non integritatis hæc laus, sed stulticiæ lapsus. Causa uerò singulorum præceptorum huiusmodi est. Potus aquæ efficit hominem cõsilio prudẽtiorem, & in respondendo cautiorem. Et dum ualetudinem debilitat, animum confirmat: lingua dentib. sauciata uix admittit responsa, & in memoriam tardando uerba reuocat quæ opportuna sunt proposito. Sæpe uerò subornantur ministri quæ tuæ causæ fauere uidẽtur, monentq; te de rebus exigui momenti, quibus dum te perdis in casses incidis. Ita contigit in causa quæ inter Franciscum Gadium & Ambrosium Cauenagum olim agitabatur. Nam Nepos Gadij Ioan. Baptista de Coruo, quamuis publicus tabellio et harum rerũ haud ignarus, nihilominus deceptus fuit. Sed non erat capitale crimen.

Cauendum est igitur ab omnibus. nam idem etiam à socijs carceris contingere potest. Quamobrem si per illos qui custoditur admonere uelit defensores, ita agẽdum est. per epistolam primo præmoneatur ut persona personæ subijcere norit: uel è regione pro fabro sutor: uel ordine certo, utpote tertiæ aut quartæ domus dominus: adiecto inde loco, uiaq; aut foro. Sic illos sine discrimine docebit quos alloqui necesse sit. Quod uerò in conuiuijs silentium habere oporteat cum socijs ludendo, dum simulant, dum prædicãt te absolutum: dum quod plus est etiam peierant, imò diploma absolutionis ostendunt, hoc argumento intelligas, quod maius

est periculum lõgè in hoc quam in aculeo. Quamobrẽ quocũq; ducaris, ubiuis fueris adhuc laqueũ et cũ falce mortẽ imaginare, nullæ blãditiæ, nulli apparatus, nullæ cupediæ, nulla promissa, nõ amici nõ iuramẽta, non diplõmata etiã sigillo firmata te ab huiusmodi cõtẽplatiõe auertãt. præstat insanire metu et imaginatiõe quã perire, omnis morbus sanari potest, mortuus nullus resurgere potest. Si inuitẽt ad pocula, aquã bibis, causare capitis aßiduũ dolorẽ. Tũc crede te liberatũ cũ iam annus excesserit à carceris exitu, morã quæras, tẽpus pertrahas spõte, sic minus grauabit te carceris tædiũ, & securius uiues à timore fatẽdi quæ reticere oportuit: multos enim quos tormẽta euincere nõ potuerũt, carceris fastidiũ ad cõfeßionẽ adegit. Omnib. præstat à flagitijs abstinere, sed nullis magis quã impatientib. moræ et tædij. Quatuor sunt instrumẽta ueritatẽ eruẽdi, Dolus, blãditiæ, cruciatus & tædiũ. Terror nãq; sub cruciatu cõtinetur. Cur aũt, breuißimè respõdẽdũ? quoniã lõgus sermo aliqua quæ suspicionẽ iudici afferũt detegit. Est enim hæc ratio uelut disputãtis. Sed capitis tamẽ periculo te disputare memineris. Præceptũ est ergo philosophi in Topicis ut quã breuißimè respõdeas. Cũ uerò ad ea quæ circũstãt se trãsfert iudex, quia talia multa esse poßũt, nõ simpliciter negãdũ ne deprehẽsus in mẽdacio augeas criminis suspicionẽ, ob id nescire, nõ meminisse. oportet aũt hominẽ exercitatũ esse in ea parte dialecticæ cuius usus iã (tametsi ualde utilis) exoleuit. uocãt aũt

obligationem

obligationem quæ à Paulo Veneto diffusè ac pulchrè explicatur. Supponitur aliquod absurdum sæpius falsum solũ, nonnunquam quòd esse non potest: & iuxta ea quæ supposita sunt respondere cogeris, contradictionemq; uitare. uelut si dicat, suppono te non esse, admittam autem: quæret quid responderim, dicam non respondisse: Quæret an affirmatiua sit hæc suppositio an negatiua, dicam nullam esse responsionem. Ergo tales nugæ plus longè prosunt quam multa alia, quæ nunc nulli cum sint usui, in precio habentur.

Propterea quod & alias dixi, nihil agas si potes quod silẽtio perpetuò sit occultandũ: nã et in periculo maximo semper eris, & tu tibi culpæ conscius cogeris supprimere quæ scis, tormento nõ leui animi. Verùm si innocens à crimine sis, diffuso sermone claro atq; expoliato cuncta narrabis. Veritas enim quanto clarior in lucem prodit, eo securiorẽ reddit eũ qui accusatus est. Porrò ad hanc disciplinam inepti sunt immemores, stulti, impatientes, loquaces, timidi, iracũdi & ueritatẽ dicere nesciunt, nam hi nec mendacia fingere oportunè norunt. Etenim si mendacia tuta esse debent, uerisimilia esse oportet: at quomodo uerisimilia dicet, qui ueritatem dicere non consueuit. hos igitur in aperta ui uin dicta potius quam in dolo collocare licet, quoniã et honestior & securior est. Quod si crimen recens sit, dubiusq; sis ne conuincatur, uel nõ poßit proferre tormẽta, epistolam hoc modo exarabis. Si times iudicijs conuinci SS. MM. CC.

AB. LM. CD. Memoriæ mãda.

uinci aut ſuccumbere tormentis, ſtulticiam finge factis dictisq́;, ac in his perſeuera nec cura quid interrogatus dicas, modo ne conſentientia præferas nec in eodẽ propoſito maneas, perpetuo autem loquaris. hic enim mos ſtultorum. In eculeo obiurga, minare iudicibus, clama dicas te alios qui uiuunt occidiſſe. Si ſecurim oſtenderint tu collum ultro ſubijce, à cibis perſæpe duobus diebus abſtine, toruum intuere, uentrem infla aliquando reſipiſce, poſt denuò ad ſtulticiam breui tranſi. magna prudentia (memento) opus eſt ad ſtulticiam rectè fingendam. propter uarias iudicum interrogationes. Si interrogent an prudens ſis, prudentiſsimum te dic. iraſcaris ei qui te ſtultum aut fatuum eſſe dixerit, aliter conficta res uidebitur. Habet hæc ſimulatio quatuor egregia commoda, ut confeſſus etiam plenè liberetur, quanquam ob multitudinem teſtium conuictus dici poßis abſoluaris, ut confeßio omnis, ſeu in tormentis ſeu ſine his irrita ſit. Et ut abſolutus non euadas infamis, ſed perinde eſt ac ſi inſcius ſis facti. Et ſi capitale periculum aduocet nec in dolo ulla fuerit ſpes, certa fuga ei conſulitur.

Quòd ſi nec huic locus ſit, iam omnis ſpes in defenſione repoſita eſt. Tum uerò & teſtibus & aduocatis fidis ac præſtantibus indiges, propitijsq́; iudicibus. Et ſi crimen graue ſit, res in arcto eſt collocata. nihilominus miſerum captiuum deſerere non oportet. Gratia quoque principum, quòd ſupremum etiam & tutißimum

auxilium

auxilium, plurimi liberati sunt. Principum gratia habetur atq; speratur, uel beneficijs in illum collatis, quòd inualidum est uinculum, siquidem principes plerique nullis (uix dijs ipsis forsan) se debere existimant. Quatuor sunt alia his præsidia ad aucupandam gratiam lõgè hac firmiora, familiaris is qui principi imperat, & cuius nutu omnia agit, qualiscunq; ille sit, alius princeps quem aut timeat aut uehementer amet, amasia et sacerdos omnium conscius, sed hic non apud plerosq; inueniri solet, sed uel religiosißimum uel sapientißimũ principem. Quomodo autem hos uel illos tibi deuincas, satis intelligere te puto. Et ubi de amicitia & familiaritate actum est dixisse me nemini. Vnum est quod in repentinis casibus repentino auxilio ad amicitiam conflandam opus est.

Quare eum qui sanctè uiuere uelit oportet aut, ut dixi, sub cultu optimarum legum uiuere, aut Deũ pluris longè facere, quam omnia reliqua aut fortuita omnia contemnere, atq; etiam inter hæc fortuita collocare sobolem atq; posteritatem. aliter uel casu uel metu miser eris. Iudices quoq;, ut dixi, iisdem rationib. beneuolos facere præstat. nam caput illud de Arbitrio iudicis eodum ampliarunt ut iam nihil timeant, timent uocem populorum? eodum ut uotis suis conformem. atque ita ut propugnaculum, non hostilem machinam aufugiat qui bonus est ex ea patria, ubi homines plurimum possunt. nam uix tuti essemus à superis, si nihil hi

timerent. Sed timent iustum, æquũ, bonũ, pium, sanctũ. Ecce quòd plura timẽt dij quã homines. Sed non timẽt dij? uerum hæc tamẽ diligẽtius obseruãt quã si timerẽt. Homines mortales sunt. ob id multis perturbationib. ac uitijs referti sunt. hos quã minimè tutũ est Dijs puris similes facere ac immortales & nulli subditos. Quãobrẽ à Rom. olim criminũ iudices sortè ducebãtur, et statim finito iudicio illo desinebãt esse iudices. optimeq; cõsuluit qui etiã iudicia ad equestrẽ ordinẽ trãstulit. Et Venetijs sex mensib. solũ præsidẽt. quã pulchrũ, est eis subijci iudicib. quos paulo pòst alios iudices metuere oporteat? Si læsi quenquã, si inuidia laboro? sub æternis iudicib. quomodo tutus esse poßũ. Si mali sint quis prohibebit insontẽ dare pœnas? si boni? saltẽ à metu nemo me liberabit: ubi metus, ibi summa infœlicitas. Aequis ergo iudicib. legib. agendũ est: ostẽdere oportet probitatẽ, præstantiãq; ac uirtutẽ calamitosi, causam qua id egerit, cõditiones quæ crimẽ alleuãt, nobilitatẽ ad misericordiã reuocare decet. Si hæc plus poßũt quã gratia: æternã illã potentiã, quatenus humanæ tales esse poßũt existimare decet. Si minus fluxilẽ atq; caducã. Vnde recte Ro. pop. legẽ statuit, ne quis ciuis nisi qui in Remp. cõiurasset morte plecteretur ex quouis crimine. quòd etiã Cicero testatur. nam summũ suppliciũ cõstat fuisse relegare hominẽ. Hæc qui idola coluerũt, Deũ non cognouerũt: at nos pijßimi Christiani & in dubijs reb. et ancipiti crimine, & attractos alieno scelere crudelißi-

mè

mè occidimus? adeò ut etiã fures pauperes fameq; pressos, exiguũ ob furtũ laqueo suspẽdamus. Inde cõquerimur Mahumetanorũ res in dies fieri ampliores? Sed fac ut quòd dare debẽt emere cogaris? nec hac in parte osci tãtẽ esse oportet, nã nõ uerbis sed facto inimicorũ nequitiæ occurres. si 50. pepigit inimicus, 100 dabo, non querar de causa iniquiore. nã sic tãquã prauũ accusas iudicẽ quẽ tibi reddis inimicißimũ, qui nec das nec acci pere permittis, et præter id sceleris reũ ut sibi uidetur, absq; causa facis. Nõ enim aliter quã qui in pẽsilib. tabulis agitãtur, uehemẽtius huc illucq; iactati magis cõci tãtur. Nil aũt hac in causa deterius est animo inquieto atq; impatiẽte: tametsi in omnib. patientia summa opus sit. Sed illis parũ præcepta hæc prosunt. quoniã quantũ cunq; boni feceris, uerbũ unũ inconsideratè prolatũ euertit, seu fatẽdo crimẽ, seu iudici aut ministro etiã irascaris. Melius ista per cõmunes amicos agũtur. Nõ est ut iniquã omnẽ largitionẽ esse dicas: nã et Cato ipse ad uersus Cæsarẽ publicã largitionẽ pro Bibuli consulatu cõprobauit. Mediocris aũt largitio inutilis est. nã ut animũ iudicis moueat, parua est si uincaris, perijt. In du bijs ergo causis magna eße debet, in alijs minima: caue etiam in minoribus criminibus, dum aduersarios uincere celerius studes, ad maiores confugias magistratus, unde aduersariorum potentiam testeris, tuam inopiã notam facias, iudices priores irrites, pecunias effundas, uictus abeas. Quamobrem ubi iniustè fatigeris,

cum

geris, cum tabellionibus paciscendum est ut clauus clauo trudatur.

Sed ad rem redeo: si potes à litibus abstinendum consulo etiam ciuilibus, sed hæ mitiores ac ut ita dicam blandiores. Quòd si cogaris exercere, seu has seu illas meminisse oportet eum qui exercet debere esse admodum liberalem, solertem, solicitum, patientem etiam iniuriarum, ut aduersarios flectat peritumq; exactè iuris, & maximè municipalis atq; consuetudinis fortemq; in omnibus, ac ut ita dicam, quasi audacem in periculis obeundis, cum res in extremo uersatur discrimine. Quòd si ita est, iam expertum talia esse necesse est. Inde igitur prima utilitas quæ ex huiusmodi infortunio colligitur, ut si contingat aliàs paratior sis. Igitur prima utilitas in aduersis cunctis, præterquam in morte, cum sit discere aut tueri se aut perferre, in litibus criminosis maximè enitet ea pars tuendi se in posterum, si simile quid euenerit. Secunda robur & incolumitas corporis. Animus enim intentus (quia quemadmodum ille dicebat dormire in ephippijs non debemus) ut carbasa nauim, corpus sustinet. Cum ultimis uiribus filij salutem tueri conarer, quamuis animi æstu maximo, ut unquam aliàs laborarem, & prætermodum ac intempestiuè me exercerem & uigilarem, nihilominus sanus & ualidus semper fui ob intentam curam. Vnde non malè mihi uisus est Epaminundas admirari de milite strenuò qui in castris morbo perierat: dicens unde illi tantum ocij

ocij superfuit ad moriendum? Tertia amicos sibi plurimos parare. Quòd & si etiã compares inimicos? plus tamen delectant amici ac prosunt quam obsint aut afficiant inimici. quod amici cum uis, aut saltem frequenquentius adsint præsentes inimicis, nec illorum opera legibus ut inimicorum interdicantur. Quarta est cognitio morum hominum ad multos usus accommodata. Dico auaritiæ uel liberalitatis, scientiæ aut ignorantiæ, fidei aut perfidiæ, efficaciæ aut languoris, atq; aliarum animi qualitatum. Quinta est ut discas liberalitatem, quæ est in eos pecunias & munera erogare qui promerentur. Disces etiam patientiam, ferre contumaciam, maledicta & iniquas iudicum uoces ac iniusta facta. Tum intelliges te in tartaro sepositum, extremaq; supplicia pati, inter metum & spem semper torqueri. Qui in tempestate periclitantur, Dijs supplicant & mortem unam timent: at qui in litibus uersantur improbißimis hominibus supplicare coguntur, & plures mortẽ timent. Inexorabiles isti & diuturna animi pœna, nauigantium breuis, sæpius aditum precibus inuenit. Mala hæc sunt molestißima, sed tamen quæ nos admonent miseriæ nostræ & calamitatis humanæ, & quanta esse debeant quæ apud inferos sunt. cogeris atrocia uerba audire, truces intueri uultus, immania facta experiri: nec magis metuendi iudices, quam cum abblandiuntur, Domitiani exemplo, sunt inconditæ sæuitiæ, immensæ ambitionis, inexplebilis auaritiæ.
Inter

Inter tā grauia mala uersanti quælibet occasio leuis fælicitatis aut trāquillitatis, aut ocij plurimum delectat. Est aliud litiū caput, an liceat quenquā accusare? sane defensio apud oēs laudata est, accusatio nō ita. nā et Cicero in Diuinatione se excusat, quòd cū tot annis multos defenderit, neminē accusauerit. nūc cogi à Siculis inusitato fungi munere: nec ullū extat xēplū quæstuariæ accusatiōis præter illud: nā in Vatiniū, Pisonē, Catilinā, Antoniū, Salustiū, uel pro Reip. uel pro seipso inuectus est. Demosthenes plures accusauit, ut Aeschinē, Aristogitonē, Midiā, Aristocratē, Timocratē, Theocrinē. Et ut breuiter cōpræhendā rem, ut Cicero defendit, raro accusauit: ita Demosthenes sæpius accusauit quàm defenderit. Sed priores publicæ utilitatis prætextu. in Aphobū aūt tutorē ac sequētes priuatā ob causam, estq; insignis illa ob utilitatē litis intētatæ: uictor enim aduersus tutorē suū Remp. capeßiuit, atq; in ea exēplo priorū actionū illustris euasit. Itaq; et multis cōtigit, ut ob lites illis intētatas procuratores litiū ac defensores euaderēt. Verùm nec hæ, nec aliquot aliæ quæstuariæ sunt, sed ut rem suā tueretur, atq; ciuiles potius quā criminosæ. Turpe ergo existimari debet, si ob mercedē quisquā de priuato crimine accusetur, nō aūt alio modo. Porrò cū accusatio libera sit, non est ut doceā qualiter ex illa utilitates capere licet. Quanquam haud obscurum sit hoc quos exercitationis usos Romæ adolescentes ut inclarescerent. Verùm cū accusationū & criminosarum

litium

litiũ finis sit, uel mors uel absolutio, aut mulcta uel exilium, de morte superius quantum satis est actum est. de absolutione non est ut agam, multas inter damna rei & paupertatis causas recensuimus.

DE EXILIO.



E exilio igitur agendum est: & quamuis triplex sit illius genus, lata fuga, aut relegatio in insulam, aut certorum locorum aditus interdictus, ut Martianus affirmat, nihilominus de omni genere intelligendum est.

Non eadem in exilio, quæ in alijs calamitatibus dicẽda mihi puto fore necessariũ, cũ in illis & uitare infortunium & dolorẽ leuare docere solitus sim: at in exilio solũ id superesse mihi arbitror, ut commoda illius describam: neq; enim exilium inter calamitates numerandũ censeo. sed huiusmodi rem, quam multi sapientes et optimi uiri sponte sibi delegerunt. Nec admiror multitudinem eorum qui hoc uitæ genus seu amplexati sunt seu libenter pertulerunt, sed cur non omnes se eò conferant? nec aliam scio inuenire causam, nisi quòd non omnes gnaui aut prudentes, aut boni aut fortes sint. omnia enim hæc abesse oportet ut homo in patria, quantumuis fœlix se contineat. omitto enumerare quos numerare nequeo, qui sibi spontaneum exiliũ delegerũt, ut Ly-

ut Lycurgum, Solonem, Africanum, Antonium Oratorem summum, Rutilium, Ruffum, exilij tantum incommoda commodaq; recensebo. sed & hoc parcè quòd Plutarchus primum, inde Petrus Alcyonius in hoc argumento duos libros sub dialogi forma eleganter conscriptos reliquit, in quibus etiam existimatur non pauca ex libris De Gloria M. Ciceronis quos ad illum peruenisse fama est inseruisse. Quicquid sit satis constat eos per se facundos esse atq; eruditos. Videntur igitur exilij præcipua incommoda sex esse, carere patria, honoribusq; eius, tum necessarijs ac neci damnatum esse (hoc enim solet exulibus adijci ut impunè poßint occidi) infamia quoq; ac absentia charißimorum. Nihilominus uidetur res adeò utilis exiliũ ut nemo fœlix esse poßit nisi in exilio, nemo prudens, nisi qui illud expertus sit. Ego sanè quandiu extra patriã fui beatus fui, nec uel minimam molestiam foris expertus sum, ut nec domi quicquam suaue, nisi quantum ex studijs subripui. In patria morbos omnes quos passus sum subij, pestem, febrem, aliaq; omnia, Taben etiam Mediolani à qua in Saccensi oppido liberatus sum. Mediolani accusatus, reprobatus à collegio, ubiq; gentium laudẽ, gloriam, officia erga me multa sum consecutus.

An non igitur facilius est in toto orbe deligere sedem commodam quam in patria, & si sit optimis prædita legibus ac uiris? Dici solet nil esse tam beatũ quin aliquid poßit beatius inueniri: nil tam sanctum, quin aliquid

aliquid sanctius. Ergo in toto orbe licebit urbem aut oppidum, non solum legibus & institutis ac moribus liberum eligere, sed etiam ubi aer & aqua ualetudini ac uitæ conueniant, & ars tua uel industria in precio sint. hæc enim ut dixi, sunt necessaria. Sed dices quæ patria erit hæc bonis legibus ac moribus instituta? In qua rectè uiuenti securè etiã uiuere liceat? Et nihil sit tam malè sancitum aut perperam neglectum, ut secundum leges uiuere non poßis. Nam plerisq; in locis hæc neglecta uitam acerbam efficiunt, uelut ubi adulterijs atque iniurijs fauetur. nam æque malum est seu infamiam perferas, seu cum uitæ periculo ulciscaris.

Ergo in huiusmodi urbe aut oppido fœlicius te uiuere posse aio, quam in patria ipsa etiam satis bene instituta. primum quod prudentiam maiorem adipisceris alienas prouincias inuisens, alienos mores expertus quàm si perpetuò delitescas domi ut ille:

Dic mihi musa uirum captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum uidit & urbes,

Nouit mores, leges, instituta, regiones, loca, animalia, artes multarum urbium ac gentium, domesticas ac peregrinas arbores, herbas, ingenia uirorum, mulierũ puerorum, maria, flumina, montes, stagna, lacus, paludes, linguas adeò ut hac in parte neminem tam iniquũ iudicem habere me posse sentiam, qui neget & prudentiam & uoluptatem maiorem non gigni lustrando nouas regiones, quam si more uermiculorum in patria

ſua uelut illi in ſua auellana perpetuã exigant uitam. Quinetiã horum qui alienas inuiſerũt regiones nemi-nem uidi in Prætoris manus incidiſſe, aut in rixa occu-buiſſe: non ſolum enim prudentes & fortes, ſed et boni atq; corpore agiles euadunt.

Cõducunt præterea hæc etiam ad lucrum & glo-riã: peculiariter aũt locorum cognitio in bello utiliſsi-ma eſt. Inde etiã narratiõe oblectamus audiẽtes. Ex na-turaliũ rerũ ſciẽtia, auxilia medica, ornamẽta domus, mercaturæ et lucri anſa nõ exigua habetur. Præterea deligere facile ſcies ex morũ cognitiõe in ſingulis regi-onib. ſeruos, ancillas, famulos, artifices, pædagogos, mi-lites, coquos, nutrices. generaliter quoq; ipſum ſcire per ſe pulchrũ eſt et delectabile. Quod ad affines attinet fi-lij uxor ad exules proficiſcũtur, nec ulla eſt lex tã bar-bara quæ his prohibeat aditũ ad illos. De reliquis ſi nõ amant, cur eorũ deſiderio fruſtra tentaris? ſi amant ad te uenire illos haud pigebit. imò et tecũ libẽter atq; diu-tius cõmorabuntur. Experieris etiam amicos fictos, ue-ros atq; inter illos qui ſint præſtantiores. Affinitatẽ e-tiã in exilio cõtrahere licebit, atq; nouæ clientelæ ſe in-ſerere. Similiter ac lõgè celerius nouos amicos parare, atq; ſocios tum familiares: abſentibus etiam per epiſto-las frequentes ſe iungere animis uirorum, corporibus fœminarum iungi præſtat.

Quod ad infamiam attinet ſi flagitioſè non uixi-ſti, non potes eſſe infamis. ſtultum enim eſt, ut antea di-

xi, cum

xi, cum uitæ conſcientia pura ſit, ob inuidorum & plebis uoculas torqueri ac expaueſcere, neq; enim ſupplicium Chriſtum aut Petrum, aut Paulum aut Socratem aut exilium. F. Camillũ aut Metellum infames reddere potuerunt. Cauſa eſt quæ etiãſi non te damnarint, ſi nõ expulerint è patria, imò etiãſi ornarint, ut Seianum et Tigillinum, infamem reddit. Ariſtidẽ ſcimus ob exiliũ optimum fuiſſe uirũ, quod in exilium actus ſit quia optimus eſſet. Quin etiã multa deformia in uita noſtra apud exteros latent, adeò ut multi flagitioſi procul à patria uixerint, ſolum ob id ut flagitia laterent. Ego flagitioſum me ob id eſſe nolim, ſi tamẽ aliquid ſit quod citra culpã meam homines turpe eſſe putẽt, id latere certè cupiã. Velut iniuriam acceptã, paupertatẽ natalium humilitatẽ, minus nobilis artis exercitationẽ, quòd ſpurius natus ſim, quòd uxor mœcha fuerit, quòd filius ob flagitium publica morte perierit. Multa ſunt huiuſmodi quæ latere uelim, & ſi ad me non pertineant. Hoc igitur commodum eſt exilij, quamobrem & ea occultare quantum licebit ſapientis erit. Vt contra maiorem de te exiſtimationem habere poterunt, quòd ut ſæpius dixi ignota ſemper maiora exiſtimari ſoleant. Ita ergo te geres ut omnia in te bona illi maiora eſſe credant. Cum enim apud exteros incognitus ſis, omne iudicium transferunt ad mores: cum ergo hi planè ſint in tua poteſtate, apud exteros tantus eſſe potes quantus eſſe uelis, non ita apud tuos ciues.

Adeò uerò res hæc certa etiam & euidens, ut etiam uaria hæc existimatio domi forisq; in Christo locũ habuerit, nam domi palam contemnebatur. Virtutes ac præstantiam exercere potes, uitia occulere. Propterea Sycophantæ & quorum uita nequißima est ita aßiduè uagantur, ut uno in loco non nisi trib. aut quatuor diebus maneant: hoc igitur sextum est in exilio commodũ præter illa generalia tria quæ proposuimus, scilicet securitatem, salubritatem, & lucrum. At obijcies paucos agnosco? Deo magis, magis superis ac contemplationi studebis, quid aliud agunt hæ turbæ clientum & sociorum, quam ut inutili conuersatione ab utili honesta & debita Deorum cura te auertant? Habes & tempora incumbendi literis latiora. De causis autem exilij, licet semper in meliorem transferre: occidit inimicum, uir fortis, iniuriæ ultor, honoris proprij non indiligens conseruator. Exulat ob monetam adulterinam, gnarus est Chimicæ artis, multa secreta nouit. Scimus amicum nostrum ex hac damnatione admotum profitendi muneri, meliore ac locupletiore quàm antea conditione. Seditionem in populo mouit, patriam prodidit? magistratum iniuria affecit. Homo est potens domi ac nobilis, plures illum obseruant, principes inimici uel uicini premijs ac stipendijs annuis ornant, muneribusq; sibi conciliant. Cum domum redierit, ab omnibus obseruatur, à complicibus colitur. hos enim omnes factione sibi adiungit. Factiosos non laudo: si quid tamen

men ad hominum potentiam ac gloriā facit factio est. Verùm ut in corpore factio uni membro utilis: ita toti perniciosa. cum toto aūt partē perire necesse est. Itaq; qui redeūt in patriā, ob factionē pulsi ijdē cū magistratu potentia summa & honoribus redire solent: uelut Alcybiadi & Thrasybulo apud Athenienses contigit, & in nostra ciuitate Ioanni Iacobo Triuultio, Ioa. Iacobo Medices, Hieronymo Morono. omnes enim prouinciæ præfecti euaserunt, aut aliquanto etiam illustriores, nec id absq; ratiōe: necessitas enim uinculo indissolubili animos iungit, eadem facit prudentes & fortes, fortunæ conditio humanos. Sic Ottoni Vicecomiti ut ab exilio diuturnam familiæ suæ damnationem pareret, imò perpetuam nisi domestica perfidia obstitisset. Conco quuntur enim consilia in diuturnis calamitatibus, sed in exilio cum libertate fautoribus & gloria etiam: itaq; in egregia facta erumpunt. Ergo & amicitia arcta & prudentia comites sunt exilij, nec solum in his qui seditione è patria pulsi sunt, sed etiam in omnibus. Desiderio enim ciuium deuincti si aliquibus occurrere cōtinget, uerā & firmā cōtrahimus amicitiā. Sed seditiosis mutatio status Reipublicæ magnū commodum afferre solet. Humanæ autem res cum in perpetuò motu sint Exemplo uictoriæ Cæsaris, ac prædictionis Aruspicis frequenter ac quasi semper mala in bona cōmutare solent. Tabulas testamenti falsas confecit? calidus est, astutus, ingeniosus. Leuē ob causam exulat? uir

insignis est, præstans, ob inuidiam riualium pulsus est. Deniq; nulla tã turpis causa esse potest, quin subduxisse se homines maius putent, quam crimen atq; damnationẽ. Crimen enim cõmittere humanũ est, damnari inuidiæ & acerbitatis inimicorum: at præoccupare, publicas uires superare, fallere oculos hostium prudẽtiæ & fortitudinis insigne est argumentum, atq; factũ præclarum. Ob hoc etiam exuli magis timentur, tum etiã quia nihil habent quòd eripi queat, ideoq; illos magis obseruãt homines, ciues aũt magis amãt. at timeri tutius est quã amari. Porrò quod ad periculũ uitæ attinet illud cum his quæ de inimicis dicta sunt, explicatũ esse scio, ut frustra sit repetẽdũ. Facilius aũt est lõgè deuitare hoc in exilio quã domi. quòd lõgius absis, quod aduenã facile cauebis: inquilini et ciues si id patrare audeãt in eodẽ periculo sint, ac si non damnatus esses ac domi. quòd sint multa loca ob iusticiã insignẽ securissima, ut Heluetiorũ urbes: alia ob diligentiã ut Ferraria in qua quandiu uixit Laurẽtius Medices, qui Alexandrũ Florentiæ principẽ occidit tutus fuit: cũ Venetias se contulit per siccarios ad destinatos statim oppressus est. Turcarũ aũt regio magna ignominia Christiani nominis ab hoc periculo tutissima est, & procul maximè abest, & diligẽtia exquisitissima adhibetur ne nocentes euadant, & capti seuerè puniũtur. Itaq; hoc periculũ minus è lõgè quã quod ab ullo, uel minimo inimico in patria impẽdet. Reliquũ est igitur ut hoc ipsum solũ graue sit

ne sit in exilio exulare ac primo arceri. Quidā enim pu tāt debere nobis patriā gratā esse ac parētes, quòd sapiētes oēs plus teneri patriæ nos affirmēt quā parētib. atq; id uerū est attigitq; Alcyonius, sed nesciuit se à tā difficili modo explicare. Nō enim omnia possumus oēs: Ergo parentib. quidē lege naturæ debemus, atq; ideo etiā lege diuina: parū enim absunt instituta harū præceptionū, si quis rectè interpretatus fuerit: patriæ ex cōuentiōe ac pacto. Ita enim cōuenimus ut donec simul sumus, alter alteri ciuis auxilietur, et omnes cōmuni bono faueāt, quoniā ciuitas aliter stare nō posset: Ergo ubi ciuis exulat liber est ab hoc pacto, reiectus à ciuitate soluta cōuētio: desinit esse ciuis, pro mortuo illi ciuitati est habeturq;, alijs uiuit: at parētib. nulla lex interdicere potest, aut naturæ uinculū soluere: ob id quantūuis à patre filius explodatur, aut pater à filio iniuriā patiatur, desinere nō potest amicitia, cōiūctioq; mūtua et obligatio inter patrē ac filiū, quia uinculū illud naturæ abrūpi non potest. Vnde bene idē Alcyonius enarrans hāc causam, eā cōiunctionē declarauit his uerbis: Filios quidē nos procreamus, de nostris uiscerib. extrahimus, cū uoluptate suscipimus, nostris manib. alimus, educamus, ad nostros mores fingimus. Illos ut expressas effigies animi, ingenij, uolūtatis nostræ exhibemus, semperq; in oculis habemus, uel dulci naturæ cōmēdatione. Atq; hæc ut dixi de filijs optimè: sed ius patriæ fortuitū esse credidit, nec ius cōiūctiōis intellexit, nec cur in exulib.

nihil momenti afferat cognouisse uisus est: namq; dum manet patriæ charitas esse debet maior quam parentum, quia ex conuentione est: sed cum conuentio abrũpitur nil postmodũ superest. Quod si exules aliqui patriæ periclitanti opitulati sunt, id inter magnifica acta non autem debita numerari debet. Ergo carere patria non maius est quam illa te ipso carere: illa abrupit pactum ac mutua fœdera: tu liberatus es à uinculo, à debito quòd illi præstare tenebaris. Quid est ergo quod te premat ob absentiam? si lege naturæ? nihil illi debes: si humana atq; ciuili? merito illam odisse potes ut illa te. nec tamen necesse est ut cum illam oderis, ut etiam omnes tuos coniunctos qui in illa sunt odio prosequaris: sed licet illos amare, alios despicere, quosdam etiam odisse. Atq; hæc generaliter: nunc autem solum reliquũ est de his loqui quæ exulem facere oporteat propriè, uersantur autem circa tria, electio loci quod ad salubritatem (nam de legibus dictum est & securitate, de amicorum & sociorum electione) uita demum, studia ac conuersatio.

Principiò igitur regionem deligere oportet in qua homines diu uiuant, & ubi plures sint senes, paucique oblæsi, raroq; abortiant mulieres, aut ex puerperio pereant, & ubi raro homines ægrotent, nec acutißimis morbis intereant, ubi pueri agiles, mulieres & uiri bene colorati sint. Vbi uictimarum adeps candidißimus & caro maximè rubicunda, et iecur minimè uitiosum

nec

nec calculis plenum. Ipsa uerò regio boriali & Orientali uento perflata alijs non obnoxia, sabulosa, aprica, libera ab aquis stagnantibus, sed propè flumen limpidum, procul à mari, uel prope mare sine flumine. Aquas habeat pellucidas & quæ epotæ non grauent uiscera. sint etiam loca amœna ex uiretis & plantis odoratis, non cicuta abundet, aut Hyoscyamum aut Sambucus. In deligendis quoq; amicis minimè sis præceps. cumq; hoc ubiq; cōueniat, magis tamē extra patriā est obseruandum. Inspice igitur primum qualiter cum alijs se gesserint amicis, & mores illorū, & quā facile in eorū amicitiā te insinuare poßis. Inde simula inopiā, et uide quā prōptè se exhibeāt ad mutuū et auxiliū. nā mutuum semper fuit officiorū maximū & ultimum, si pecunia grandis sit. Caue etiam ne amicos tibi adiūgas qui solum tui in aduersa fortuna misereantur, sed etiā qui in secunda gaudeant. multi enim sunt qui amicos habere uellent ut seruos & famulos. nam miseret illorum aduersæ fortunæ, si tamen prouehantur inuident: amicis ergo inuidis præditum esse persæpe inutile est. Nec plures tibi para in aliena regione. nam multis periculis atq; laboribus, tum etiam suspicionibus facile implicaberis: nec longis sermonibus, nec de eisdē rebus sæpe nec nimis frequenter congrediendo illos fastidio afficias, nec illorum fidem cum detrimento experiaris aut cum periculo. Nec communica quæ sciri nolis si potes. Et in eorum incommodis præsto antequam roga

tus sis adesto. Et eis præsentibus amicorũ aliorum facta lauda. Exẽplo enim discẽt quã modestus sis, ne pugnes, ne iactes te, ne illos reprehẽdas corã alijs. omnia enim hæc insolẽtis sunt et amicitiã destruũt. Vitã uerò duces cautè cũ ancilla fida, saltẽ et familiari, pecunias ne ostẽtes: si fert cõditio tua habeas tecum uxorẽ, filios aut agnatos aliquos amãtes tui. Lucro, sobrietati, moderationi ac probitati, mãsuetudiniq; intentius quã in patria operã dare oportet. lucro quidem quia facile indigere posses, nec haberes unde mutuo sumere cõmodè ut in patria. ob id etiã et ob alias causas à ludo abstinere decet, quòd pauci cũ facere norint in magnas calamitates incidere solẽt. Sobrietati ob aëris & aquarũ & uictus mutationem: neq; enim & si aer optimus sit tibiq; cõueniat, statim tibi cõueniet, mutatiõe enim sola morbũ facile gignere poterit. Est etiã ob id præcauendũ, quòd aduersa ualetudo in externa regione plus incõmodi affert quã in patria, & grauiorẽ propter multas causas quæ quia facile intelligi poßũt, à me nõ referũtur. Probitati uerò studere ob id præcipuè oportet, quòd ipsum exiliũ improbitatis nõ leuẽ suspicionẽ afferat. Mãsuetudinẽ etiã præferre maiorẽ. quòd in externa patria ambitione & ira nil sit absurdius, periculosius & magis inuisum. Expedit etiã scilicet quãdiu fieri potest, nõ detegere calamitatẽ tuã, multis enim exitio fuit antequã amicos cõparaueris, & loci consuetudinẽ intellexeris. Sed nec negare apertè, ne postmodũ mẽdacij arguaris.

Sed si-

Sed silentio tegere & præcipere familiaribus ut ne cuiquam dicant, & si obijciatur (illis enim citra quod erubescas licet) negent. Tu uerò si negare nequeas, rem extenua ac paucißimis uerbis age. Pietatem cole & cultum etiam illius præferes.

Ergo ne uereare his morib. hac prudentia non æqualem conditionem ei quam in patria habuisti recipere posse. quandoquidem Themistocles *etiam longè locupletiorem à* Persarum Rege *accepit: siquidem reditus quatuor ciuitatũ, unius pro tritico, alterius pro uino, duarũ pro obsonijs.* Annibal *apud* Antiochũ *honestã non minus quam in patria, si caliditate* Ro. *legati non fuisset euersus.* Demetrius Phalereus *apud* Ptolemæũ *maximo in honore fuit, adeò ut eius suasu bibliothecas & regnum etiam ordinauerit.* Hic Regi *suadebat ut libros* De Regno & Principatu *lectitaret, quoniam de multis admoneretur de quibus amici non auderent illum admonere. At uerò illorum qui non exularunt, maximam tamen gloriam apud exteros sunt consecuti numerum quis dicere poßit? Imo nostra ætate nullæ maiores opes & gratia, & potentia quam apud exteros maximè* Aethiopes, Indos & Parthos. Et *olim* Anacharsis *Scytha apud* Athenienses *receptus est inter ciues, &* Eleusinis *sacris est initiatus, quod maximum erat* Atheniensium *donum: adeò ut* Nero *non auderet his sacris interesse.* Toxaris *uerò & ipse* Scytha *apud eosdem, & statuam & diuinos honores*

promeruit,

promeruit, liberata urbe à pestilentia, quæ etiam Hippocrates promeruit ob eandem causam, & accepit.

Zeno quoque philosophus cum citteus esset tantæ autoritatis fuit apud Athenienses ut penes illum ciuitatis claues reponerentur, & Antigonus Rex apud ipsum cœnaret. Nemini ergo abest aliena patria ni potius nos nobis ipsis in illa negocium facessamus. Quid dicam de his qui in aliena patria edocti, clari apud omnes euaserunt? ut Plato & Eudoxus in Heliopoli Aegypti? plerique philosophi aduenæ Athenis, ut Aristoteles, Theophrastus alijque innumeri? Considerandum est igitur quòd res ipsa, non locus efficit beatos & incolumes. Viuo Cæsare dicebat Brutus Romæ non poteram esse incolumis. Nam locorum uarietas parum facit, ut Varro dicebat, ad fœlicitatem. quando quidem eadem rerum natura ubique utendum sit: parum autem referat si quid desit, cum omnia ad omnia etiam loca conuehantur. Quinetiam Cicero ipse non semel solitudinem & absentiam à Roma laudauit, quæ erat tum mundi diuina: tu uerò ab urbe despecta & sordida abesse non potes? Nullum igitur malum (si exilium malum est) exilio leuius esse potest.

DE SO-

DE SOLITVDINE.



E Solitudine uerò scripturo quid melius succurrit quam ut ea dicam atq; his uerbis, ni melius dicere posse spe-rem quibus Cicero? inquit enim Africanum dicere solitum scripsit, Cato nunquam minus ociosum esse quam cum esset ociosus, nec minus solum quam cum solus esset. nam in solitudine secum loqui solitum, ut neq; cessaret unquam & interdum colloquio alterius non egeret. Et quæ duæ res quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant ociū & solitudo. at ego inquam inquit Cicero, non eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas: & quanquam non tantum roboris habeamus ut cogitatione tacita à solitudine abstrahamur, plura tamen breui tempore euersa, quam multis annis stante Repub. scripsimus. Hæc ille cum dixerit, & uerè ut aliàs docuimus dixerit? nihil aptius contemplationi esse palam est ipsa solitudine. Quid illud prouerbium tam Græcum quàm Latinum? Soli sumus, quòd multa sunt quæ soli facere poßimus quæ cum alijs non licet. Itaq; solitudo ipsa maximam affert libertatem. Illa nos iungit Deo, neque enim unquam melius Dei recordamur quam cum impediti non sumus ab hominibus.

Viri illi maximi Antonius, Hylarion, Hieronymus Moses & Paulus Eremitæ, Magdalena diuturna solitu-

dine

dine diui nomen constans sibi comparauere. Scripsimus in hoc genere multa in Theognosto. ob id nunc ni repetere iam dicta uelimus quam pauca supersunt. Sed & in hoc genere libri extant Francisci Petrarchæ, & numeroso pede Theophylus poeta: nos uerò magis necessaria attingemus, & quæ ad hūc finē maximè spectant, siquidē ad humanæ uitæ cōmunē usum atq; utilitatē. Videntur aūt celeberrimi uiri ad ciuilēq; uitā nati solitudinē approbasse, aut ea profecisse. Inter quos Aristoteles cum Athenis fugeret, ne bis in philosophiā peccare illis contingeret, in Eubœæ Chalcidem se contulit, non in patria stagyrā aut Macedoniam, maluitque in exilio & solitudine mori, quam in patria uiuere. Perijt enim in Chalcide. quo consilio cum in patria acceptus esset? Existimandum est uitasse illum omnem ciuilem turbam, maluisseq; potentia carere, quam negocijs occupari. Credo etiam quòd tamen Polyperchō Macedoniam occuparet: nam Antipater, ut Diodorus Siculus autor est, prætermisso filio Cassandro Tribuno, Polyperchontem Macedoniæ præfectum reliquit. Aristoteles cum esset Antipatri & Cassandri partiū, & Olympiadi Alexandri ob hæc parum amicus, non ausus est in patriam redire, hocq; consilio maluit in solitudine mori. Constat sanè 63, ætatis anno illū perijsse: an uerò Nicomacho filio aut Pythiade filia, uel Calisthenis matre eius sorore adhuc superstitib. aut aliquo eorū, incertū est. Illud cogitādum cum sumus soli tūc adesse

adesse nobis semper sex socios. de septimo est dubitatio. Terram, aquã, aërem, cœlum, Deũ, cõscientiamq; naturã. nam de septimo licet, nõ apud me, apud plerosq; alios est dubitatio. Ergo de terra, aqua & aëre manifestum est ex his, quæ in Primo de Aeternitatis Arcanis dicta sunt: cum enim omne elementum maneat propter locum, solus locus medius inter tria elementa conseruationi mixtorum & maximè animantium opportunus est. nam si locus aëris aërem conseruat? mixtis ut sit exitialis necessarium est. Ergo homini nec in profunda terra, quantumuis libera esset respiratio, nec in media aëris regione, etiamsi ibi esset commodißima habitatio, uel per diem unam uiuere liceret: in hoc autem interliminio elementorum, ubi nullius elementi uita est, resident mixta atque uiuunt. Vbi ergo fueris tria elementa esse neceße est. & nisi captiuus sis, cœlum etiam spectare licet: inde conscẽtia tuorũ factorum atq; Deus ubiq; omnibus præsens. Vix etiã fieri potest, ut cum his omnib. aliqua non sint, quæ tecum uitam agant: aut plantæ aut animalia aut lapides quorum generatione & uita delecteris. De genio aũt tuo quòd te comitetur haud dubiũ est: nõ tamẽ alijs tam facile est persuadere. Omitto enim Brutũ et Dionẽ, Cæsarem, Neronẽ cuius uox edita è Colosso mortẽ prænunciauit: nostris temporib. Augustini Niphi Suessani fidẽ exigo, et paulo antè Ludouici Alodisij Immolæ domini ingẽs miraculũ, & Matthæi Vicecomitis & Taciti Imperatoris

peratoris prodigia, inter quæ numerantur Materni fraterniq; manes: Anastasij Antistitis septem uoces, quibus septem inter quos & ipse uocatus interierunt. Opicino Caciæ unicus erat filius Ioan. Baptista, uox audita est ab Opicino dum sub porticu deambularet, an uellet filium suum mori: Opicinus ne cogitato quidem responso annuit statimq; se colligens pœnituit ac negauit. intra tridum filius acuta febre correptus, à morbi initio tertia die perijt. Vnde tot somnia prodigiosa? tot miracula? fulguris ille casus in sepulchrum Augusti centesima ante die quam Augustus periret. C. literam quæ centum signat sustulit. Tam impudentis est nihil horũ quæ quotidie uidẽmus admittere, quam stulti omnibus credere. quòd multi ioci aut lucri aut sanctitatis opinionis causa huiusmodi fingant. Diuina res est solitudo, & ueræ lætitiæ alumna, in qua tam prope es immortalibus, quam procul à mortalibus. Numa Pompilius à solitudine dux factus exercitus, miranda facta ac supra fidem egit. Epimenidem Cretensum quis adeò stupidus credat obdormisse quinquaginta septem annos? & nõ potius tantundem fuisse in solitudine ad rerum naturam dignoscendam? qui se ab hominibus ob uirtutem separat, huic genij & hæroes sociantur.

Cum uerò duplex sit solitudinis genus, uel cum seorsum manes ab omni humano consortio semotus, uel cum solus peregrinaris ut in fuga uel ob paupertatem, de hac etiam solitudine quòd miserabilis non sit aliqua

qua dicam. Non negauerim solitarium peregrinũ maioribus exponi periculis, ut uel spolietur, uel occidatur à latronibus: uel in ipsa caupona, uel despiciatur: persæpe etiam à magistratu, tanquam latro detentus iniustas det pœnas. nam si pauper præsumit ob paupertatem latrocinari, maximè si se à communi uia uoluptatis ut causa fieri solet, sustulerit. Si nummatus, hui quantum scelus: occiduntur pecuniæ causa ab ipsis custodum uiarum præfectis tanquam sontes, ut spolientur. Est solitudo periculosa, sed tamen deterior societas improborum latronum, incognitorum mendicorum. Solitarius non habet unde auxilium speret, cum his socijs habet unde timeat. Cum solus fueris ne desere tritũ iter, ignoto ne socieris. quanto magis suadet incognitus socius ut secum eas, in tanto magis illum deuita. Matutinum iter aggrediaris, tempestiuè hospitium subi, caupònam non ingrediaris solitariam, aut non solus. Vilis societas mulionum & aurigarum sed tutißima: ne pigeat aurigæ paucos nummos numerare ut leues laborem, et tædium pellas, & multa discas, & fidum socium habeas. detrahe ex prandio quòd in currus uectigal insumpseris. Ne ludas, emas, permutes, rixeris. Omnia enim hæc magnorum malorum initia esse possunt. Cubiculo obducito pessulum, uectem, uinculisq́; firma. Prope Iuliacum cum Antuerpia redirem, bis sensimus ostium claue peti sed frustra: uigilabamus enim omnes, obicesq́; ac lectum ipsum ostio opposueramus, repagulum

peratoris prodigia, inter quæ numerantur Materni fraterniq; manes: Anastasij Antistitis septem uoces, quibus septem inter quos & ipse uocatus interierunt. Opicino Caciæ unicus erat filius Ioan. Baptista, uox audita est ab Opicino dum sub porticu deambularet, an uellet filium suum mori: Opicinus ne cogitato quidem responso annuit statimq; se colligens pœnituit ac negauit. intra tridum filius acuta febre correptus, à morbi initio tertia die perijt. Vnde tot somnia prodigiosa? tot miracula? fulguris ille casus in sepulchrum Augusti cẽtesima ante die quam Augustus periret. C. literam quæ centum signat sustulit. Tam impudentis est nihil horũ quæ quotidie uidẽmus admittere, quam stulti omnibus credere. quòd multi ioci aut lucri aut sanctitatis opinionis causa huiusmodi fingant. Diuina res est solitudo, & ueræ lætitiæ alumna, in qua tam prope es immortalibus, quam procul à mortalibus. Numa Pompilius à solitudine dux factus exercitus, miranda facta ac supra fidem egit. Epimenidem Cretensum quis adeò stupidus credat obdormiße quinquaginta septem annos? & nõ potius tantundem fuiße in solitudine ad rerum naturam dignoscendam? qui se ab hominibus ob uirtutem separat, huic genij & hæroes sociantur.

Cum uerò duplex sit solitudinis genus, uel cum seorsum manes ab omni humano consortio semotus, uel cum solus peregrinaris ut in fuga uel ob paupertatem, de hac etiam solitudine quòd miserabilis non sit ali-

qua

qua dicam. Non negauerim solitarium peregrinũ maioribus exponi periculis, ut uel spolietur, uel occidatur à latronibus: uel in ipsa caupona, uel despiciatur: persæpe etiam à magistratu, tanquam latro detentus iniustas det pœnas. nam si pauper præsumit ob paupertatem latrocinari, maximè si se à communi uia uoluptatis ut causa fieri solet, sustulerit. Si nummatus, hui quantum scelus: occiduntur pecuniæ causa ab ipsis custodum uiarum præfectis tanquam sontes, ut spolientur. Est solitudo periculosa, sed tamen deterior societas improborum latronum, incognitorum mendicorum. Solitarius non habet unde auxilium speret, cum his socijs habet unde timeat. Cum solus fueris ne desere tritũ iter, ignoto ne socieris. quanto magis suadet incognitus socius ut secum eas, in tanto magis illum deuita. Matutinum iter aggrediaris, tempestiuè hospitium subi, cauponam non ingrediaris solitariam, aut non solus. Vilis societas mulionum & aurigarum sed tutißima: ne pigeat aurigæ paucos nummos numerare ut leues laborem, et tædium pellas, & multa discas, & fidum socium habeas. detrahe ex prandio quòd in currus uectigal insumpseris. Ne ludas, emas, permutes, rixeris. Omnia enim hæc magnorum malorum initia esse possunt. Cubiculo obducito pessulum, uectem, uinculisq; firma. Prope Iuliacum cum Antuerpia redirem, bis sensimus ostium claue peti sed frustra: uigilabamus enim omnes, obicesq; ac lectum ipsum ostio opposueramus, repagulum

iunxeramus: arma præsto aderant, suspicabantur ut re or illi nos habere pecunias, nos autem illos esse latrones, sed parum in munere exercitatos. Pecunias adeò abest ut ostẽtes ut etiam occultes secretius, ita ut nec suspicio supersit. Id qua ratione agendum nunc explicabo. Famuli sago pannoso, ac lacero pileo cum pluma satis obsoleta, ocreis uetustioribus, dissutisque superiore parte ne aqua tamen ingrediatur, uno tantum calcari, capulo ensis attrito, rugoso & strigoso equo quem & tu ipse curabis, parum nitida interula sedebis in mensæ imo, uorabis auidè, Domini mentionem tui facies, quem nobilem & ex longinqua regione, sed omnibus cognitum finges. Si non placet hic mos panem, uinum, caseum, herbas seorsum pete: prelia & pugnas ac uelitationes, direptionésque ubiq; persona. interim tu tamen ocreas & calcaria deterge, finge in proximam ciuitatem ad amicum domini tui literas ferre, nec turbidam aquam nec torrentem inexploratum transire audeas, sed sarissa prætenta aut conto. Nec quo tendas dicito. Clauem ubi ad hospitium ueneris cubiculi considera, quæ si non intus aperiri potest suspecta est caupona ualde. nidulum dormiturus tene.

Sed iam ad propositum redeo non solitudinis uagæ sed quæsitæ, sed dulcis quam etiam Reges optarunt. nec tam optata quam omnibus sapientibus optanda uenit. Quid habet studiosus ex turba utile? Dicebat Seneca &

eà et rectè sicut optimorum uirorum societas utilis est, ita turbæ popularis mala. Quid habes quod delectet, si sapiens es in hac consuetudine? pro diuinorum contemplatione? futiles nugas: pro arcanarum rerum scientia? uulgares fabulas: pro summa tranquillitate? iurgia, metus, rixas: pro dulci ocio? hominum confusa & laboriosa negocia: pro Deum & geniorum ac heroum societate fœda, & male olentia hominũ corpora, hinc ructus, illinc peditus. Vbi plures homines commorantur deterius olet, nõn solũ quam ubi plures equi aut boues, sed etiam sues, quantumcunq; ab omni sorde triclinium eluas. cogita quantam quisque sarcinam deferat fecis, urinæ in uesica, atque in uenis latentis sudoris, quãta illuuies saliuæ in capite ac murci & sputi in pectore, & pridiani cibi in ore, & sordium in uentriculo & humorum in iecore, & uermium in intestinis, & lapillorum in renibus? quid fœdius excogitari potest? at animum diligo? existima te non sine animis nitidis ubique esse. nam, ut dixi, uel genios nobis adesse certum est, uel animas defunctorum amicorúmque nostrorum.

At dicis non uideo? sobriè corpore animóque uiue & uidebis, primum quidem per somnum, cum anima quiescens etiam minimos sentit motus: inde etiam uigilans. Abhorrent à nobis puræ illæ mentes & accedere metuũt coinquinatis corporea sorde & animi ulcerib.

Quis nostrum exuit uel auaritiam, ne ambitionem

 quidem di-

quid est dicam? at auaritia quantum malum, quæ etiam idololatræ adeò detestanda uidetur, quid? nil sapiebat præter opes, ambitionem, potentiam, inane no-
» men, cædes & patrias leges. Ille idem tamen rei in-
» dignitate uictus, in secundo de Officijs hæc habet: Nul
» lum igitur uitium est tetrius (ut eo, unde egressa est,
» referat se Oratio) quam auaritia, præsertim in prin-
» cipibus & Rempublicam gubernantibus: habere e-
» nim quæstui Rempublicam non modo turpe est, sed sce
» leratum & nefarium. Itaq; quòd Apollo Pythius ora-
» raculo edidit, Spartam nulla re alia nisi auaritia peri-
» turam, is uidetur non solum Lacedæmonijs, sed & om
» nibus opulentis populis prædixisse.

Quid ergo tu cum Christianus sis hac labe imbutus, sub qua omnis malorum seges alitur, iniusticiæ, sæuitiæ, ambitionis, iracundiæ, contemptus bonorum, simulatæ & fictæ religionis, audes petere ut mundis illis uitis congrediaris? quem plus cœno atque serpentibus oderint. Sint hæc bonorum premia, hi fructus, hæc uoluptas θεονόσος, diuina dulcedo, atque suauitas. Verùm ut dixi cum alias satis de his & peculiari nec exiguo opere scripserimus, ad tractationem de communibus calamitatibus transeamus.

DE PVBLICA CAlamitate.



D Solum admonẽs, quòd utilitas quæ ex solitudine capitur, non ex calamitate sed summa felicitate, ocio, quiete, tranquillitateq; sumitur. ut uelut omnis belli pax finis est, & laboris ociũ, & diei nox: ita negociorum & societatis amœna & dulcis solitudo, qua dijs & genijs ac tranquillitate potimur. Quinetiam in animi magnis doloribus solemus captare solitudines, ut Homerus de Bellorophonte ait. Hic enim Corinthius Bellero interprete, dum in cœlũ aduolare niteretur, ut fabulæ aiunt, æstro percussus à Ioue excæcatus est, unde illud:

Ille etiam cæcus campis errabat Aleis
Cor edens curis hominum uestigia uitans.

Nihil est in solitudine quod interpellet. Quid grauius quam iuterpellari in ocio uel somno? Disces etiã seruire, nemo melius mihi seruiet quam ego: nemo docecebitur nisi ab eo qui rectè didicerit: qui in solitudine uixit, optimè seruos suos et famulos instruit. Qui solus esse potest iam mori didicit, quando in morte grauissimum sit coniunctis carere.

Qua causa etiam publicæ calamitates graues sunt. Sunt autem hæ, pestis, fames, inuocatio, terræmotus, incendium, bellum & quòd raro accidit animalium ui-

lium abundantia. sed & si terribilis sit publica calamitas, minus tamen contristat commune malum in quo nemini inuidemus quam proprium. Dici enim solet:

Solatium est miseris socios habere pœnarum.

Et minus etiam detrimentũ. tot enim habes socios fautores & amicos, quot calamitatis comites. Dixi hominem nulla magis ualere re quam societate aliorum hominum, hãc & multiplicem & firmam præbet calamitas generalis. Hi postmodum in amicitia iuncti, perpetuò fœdere tibi ac filijs tuis auxilio futuri sunt. Rectè iungit Troianos Virgilius Aeneæ in Troiæ excidio, atque illi obedientes facit. quinetiam Græcos & Phœnices Troianis. quoniã communibus calamitatibus afflicti didicerant. Imitare spiritum tenuem oris quem efflas in hyeme, cogitur enim in seipso ut se tueatur: cum reliquijs patriæ coi. Pluribus etiam hæ occasiones contulere ad principatum, ad honores atq; diuitias: ueluti Xenophõti qui deuicto Cyro è gregario milite dux factus est. Cincinnati illi atq; Fabritij, & Attilius Regulus & F. Camillus & C. Marius nónne ex periculis ingentibus ac cladibus Reipublicæ ad honores & magistratus peruenere. Iam illud dictum Salustij uerißimum est: „Nanq; antea pleraq; nobilitas inuidia æstuabat & quasi pollui consulatum credebat, si eum quamuis ægregius nouus homo adeptus foret, Sed ubi periculum aduenit, inuidia atq; superbia post fuere:

ita

ita etiam Ciceroni patriæ damna usui maximo fuerũt. »
Sed hi quibus utile non honestum cordi est, nullam maiorem ansam habere possunt, quam patriæ calamitatem. Qui enim his proximis temporibus quibus patria adeò afflicta fuit acriter inuigilarũt, ex summa inopia ad maximas opes repentè deuenere, & cum opibus ut fieri solet amicos ac potentiam coniunxere. Nam uelut in incendijs uicinorũ plures suã rem augẽt, quos tamẽ Respub. fures iustè uocat, ita in communi miseria multi locupletantur: qui eodum potentiæ perueniunt, ut non castigare ut fures ac latrones audeamus, sed ut potentes uenerari cogamur.

Vides ubi diripitur urbs quot aduolent emptores direptarum rerum? ubi tributa imponuntur, quot adsint fœneratores & quam graui fœnore mutuent homines? Et dum uectigalia augerentur, quanto lucro publicani ea conducant? Et cum annonæ penuria urget, quam paruo ueneant gemmæ, libri atque alia minus necessaria? qualéque lucrum sit, seu potius latrocinium his qui horrea clausere? an nondum satis intelligis quanta utilitas ex publica calamitate habeatur? Vtinam tamen iustè ac sanctè eam amplexari liceret? Pestis adest? hæreditates sine possessore & res preciosa iacent: at si tollam fur sum? minus tamen quam qui sine periculo rapit. multis hæreditates ipsæ adueniunt, multi magna paruo emunt, triticum carius uenditur quam antea. Audis ru-

mores bellorum, ne adeò pauidus sis ut irridearis, tibiq; negocium facessas. non à Deo contemnas ut opprimaris. Vinum, triticum, carius uendes? emere cogor potius? tutius est diffugere. Nulla ratione exercitus magni aduentum expecta. Si expectaueris omnia mala experieris: si obsidebit & hoc infœlicius est. Sola uoluptas quòd huiusmodi periculũ deuitaueris pensare potest, damna & dedecus irritæ fugæ. Sed & in omnibus aduersis quæ generalia sunt, seu patriæ toti, seu magnæ illius parti illud solari potest ac debet, quòd admodum pauci indigna patiantur. non oderis ut hostes aut inimicos, sed ut malos atq; iniustos. Vides mori homines, fœminas, pueros, non miserearis: primum id ultione diuina fit, neq; tot homines absq; Dei singulari prouidentia perire possunt, nec Dei singularis prouidentia tot absq; culpa homines perire sustinuerit. Vide execrationes Mosis in populum. Scito illos aut eorum maiores non una morte dignos esse? Patres nostri manducauerunt fructus acerbos, & dentes filiorum obstupuerunt. Vides nunc Christianos non Christianos, non Iudæos, parum enim hoc est? non credunt & fœnerãtur: non Mahumedis cultores? & enim parum & hoc est, nam & cum pueris concumbunt, & falsos testes in iudicijs proferunt, & in Christianos sæuiunt, iugoq; intollerando premunt: non idololatras, nam & hoc etiã præter reliqua, atq; illis adiunctum parum est: nam Deum non uenerantur, nulla Christi mandata seruant,

sed

ſed longè plura hi agunt:primum Dei maieſtatem exe crantur,hoc nullis alijs conuenit:pauperes annonæ pe nuria premunt,ad edendas herbas, fructus & legumi- na ac lobam cogunt,unde illis numeroſa teneræ ætatis multitudo abſumitur.hoc non eſt fame illos occidere? expectant ut ſic pereant,ut cauea carducles cum puer metuens magiſtri minas obliuiſcitur,pannicum aut mi lium in alueolum mittere. Hoc ſolum putant eſſe peri mere aliquem fame,omnia prorſus alimenta illi ſubtra here?Inde mœchari, cuius alterius legis eſt quòd à no- bis contemnitur?in ſacræ ædibus fœnora,ſtupra & ul- tiones ordinare cuius legis mandatum eſt,aut qua in le ge tentatum?Chriſtus eiecit è templo uendentes & e- mentes.at malè id certè cum uendere & emere res ſit, non deteſtanda,ſi amorabundis licet inſpirare, irrita- re atq; incendere ſcintillas in templis?inde ſub legis ſub diuinæ maieſtatis uelamine tanta admittere flagitia? non ſufficit admittere nefanda,ſi non Deum ueſtrorũ flagitiorum autorẽ, ſcelus impietate horribilius facia- tis?Inde iudicia corrupta,cui genti uel legi communia? reſpondebitis commune hoc cum Romanis: famoſum illud Clodianum Saluſtij, & in Diuinatione querela generalis:ſed omnia ſaltem ad lenitatem,nos ad ſeueri- tatem declinaſtis.

Quis Hortenſius aut Cicero,uel etiam Aeſchines aut Demoſthenes tueri poterit, cum in grauioribus flagi- tijs euaſiſſe tot cernant,aut mitius actum,nec miſeratio

ni paruulorum filiorum, nec parentum lachrymis, sed potentiæ, sed gratiæ, sed amicitiæ atq; opib. cõdonatos uideat? Quid aliud expectatis quã ut Deus ulciscatur ut reges ac magistratus statim? Sed regib. & magistratib. ni statim ulciscatur multis modis nocẽs eripi potest, nec in descẽdẽtes pœna extẽdi potest: Deũ nemo effugere potest: nõ illa potẽtia aut sciẽtia deest: nõ unquã morte præueniri, non uiuis aut mortuis illũ effugere. Deo tamen licet etiã posteros ulcisci in pœnã maiorũ, ille errare nescit nec potest. Quãobrẽ quid admiramini si omnia quæ in sacra pagina nobis pollicetur suo tẽpore experiamini? aut quod dolendũ si inter tot bupreſtes una uel altera cicada sit? At sentio quid dicturi sint Christiani isti picti, Epicurei meri, & si quid est deterius, mala nobis minaris quòd scias certis circuitibus necesse esse ut eueniant naturæ ordine, non flagitiorũ nostrorũ causa, cum ex historijs apertè constet homines semper malos fuisse, & quam nunc sint multo deteriores, & tamen manere hominũ perpetuũ genus: quinimò eos dominari solũ, quorũ maiores maioribus flagitijs obstricti fuerint. Scelere enim tyrannis paratur: tyrannorũ descẽdentes reges nominãtur. His ego tribus uerbis satisfaciã. primum quòd nobis sat esse posset ad perferendas æquo animo calamitates publicas, illud scire quoscunq; mortales hac ætate sic uiuere ut posteri sui omni supplicio digni sint, extincta omni fauilla iusticiæ, pietatis in Deum atq; religionẽ, miserationis in humanum

humanũ genus & uirtutis, quib. quatuor præsidijs modo unũ relinquatur stare potest gens illa. nam philosophi uirtute, Iudæi pietate, Muhamedi iusticia, Christiani misericordia olim steterunt. Iudæi legem olim cõtempsere, nos misericordiam exuimus, quid est quòd stare posse speremus? Secundũ est, quòd nec omniũ regum talis est origo, nec eorũ fœlix status: sed ut liliorũ cũ maximè nitent & olent iam ad summũ peruenere, sic unaquæq; stirps aut ignauiter finitur, aut si generosior sit ad principatum peruenit atq; ibi extinguitur: tãto proximior interitui quanto gloria splendidior. Quinetiã multi Reges optimi sunt, quorum causa ut etiã aliàs diximus, nil tamen negligẽs Deus mala fert. Tertium stultè cogitare homines, si mortalis homuncio nouit domũ suam instituere, quisq; etiam regulus suam urbem ita ut bene agentibus premia proposita sint, improbis autem pœnæ. Deum omnium sapientißimum non sciuisse, aut potentißimum non potuisse, aut iustißimum dulciq; illo amore bonorum fœcundum atque plenum neglexisse. sic humanas res disponere ut suis temporibus etiam hic unusquisq; uirtutis ac uitiorum debitam non recipiat compensationem? Sed quia de magistratuum iniusticia & improbitate quæsti sumus ac temporum iniqua conditione, de his nunc agendum est.

DE

DE TEMPORVM ET magiſtratuum prauitate.



EMOCRITI & Epicuri quanquam in reliquis diuerſa ſentientium una ſententia eſt, unius ſapiētis opinionē populi exiſtimationi debere præferri. Qui hæc humana ſuo nixu Regi & conſtare arbitrantur, idem putant ac qui etiam elementorum pugna atq; uictoria uitam ac generationē: ſtultum ſanè conſilium cum uideamus cœleſtia tanto ordine, tam celeriter ac perpetuò moueri? ſapientibus credendum eſt quod negari ratione non poteſt. nam et ſi Solem tam paruum eſſe uidemus, ſi multis modis errantes ſtellas ferri, uanum tamen eſt non credere his quæ à Ptolemæo declarata ſunt de Solis immēſa magnitudine, ac de æquali ſiderum circulatione: quæ tot annorum iam centenarijs experimento conformis eſt. Vanum eſt ergo etiam ſi in his quæ eſſe non poſſe putamus, quanquam æterna natura conſtent: uera tamen eſſe comperimus in hac fluxa labiliq; congerie, cū plurima etiam uerißima eſſe cernantur, ordinem deeſſe ſuſpicari. nam aut impotentis eſſet aut negligentis. Verùm non eum eſſe ordinem qui à nobis poßit intelligi, & uerū eſt & fateor: forſan uerò & quādoq;, ut in cœleſtibus pars magna aliqua innoteſcet. Dicis, ſi magiſtratus peccant diuina ultio non illos plectit? At ego

quam

quã apertius, imo si statim plecteretur non peccaret magistratus? quis dubitat! En uide historiam: Franciscus Crimignola dux militũ inuictus fuit sub Philippo Vicecomite, cum uerò obsideret arcẽ. S. Ioannis in qua erat Philippus Arcella cuius fratrem ac filium Crimignola in potestate habebat, erecta furca comminatus est se illos suspensurum ni arcem redderet: renuit ille ut apud quem fides potior esset: Crimignola ita miserabilem filium patris auxilium frustra implorantem suspendi iußit. quo facto nullis ex causis cum principe, cuius regno tot urbes adiecerat in simultatem uenit, discesßitq; ab eo: adhæsit Venetis, rursus inuictus expugnabat principem cui seruierat. Verum manibus filij ac fratris Arcellæ urgentibus in ipso agendarũ rerum flore Venetos destituit, classemq; pulcherrimam illorũ expugnari permisit. Venit in suspicionem malæ fidei: sed adhuc tegi poterat. Euenit ut arx quædam à paucis militibus Venetis caperetur: petunt auxilium à Crimignola ibi urgentibus, ut dixi, animis iniustè occisorum per tres dies præstare contempsit cum prope esset, donec illi pacta salute principi rursus quam occupauerant arcem reddidere.

Venetias accersitur, ibi rursus nõ ire poterat nec debuit. cui enim dolus suboluisse poterat, ipseq; id intelligere quòd omnes suspicabantur, nihilominus tanquã innocens Venetias audire ausus est, captus, damnatus, publicè securi percussus. coegitq; Senatum illum quòd

nunquam

nunquam aliàs in suum exercitus Ducem sæuire amisit, & centies uities HS. Myriadas triginta aureorum Philippeorum, quos in administratione suffuratus partim erat, partim deprædatus.

Sunt aliquid manes: lethum non omnia finit,
Luridaq; euictos effugit umbra rogos.

At uide modo exemplum è regione contrarium: Brissaccus Prorex Galliarum in Italia, Duxq́; exercituũ inclytus expugnaturus Cuniũ antea filiũ paruulũ præfecti cœperat, misit qui interminarẽtur ni dederet occisurum filiũ (hoc enim licet et expedit Regis sui causa) uir constans negauit se redditurũ, pluris esse apud illum fidem quam filiũ. Prorex ut erat uir inclytus filiũ ei reddit hac pietate atq; prudẽtia etiam clarior, quam tot uictorijs urbiũq; expugnationibus. hæc enim maiora sed cum fortuna communia, illa eius propria. Dicas modo quòd nefariũ est, cum nullũ regnũ iustius administretur, quam Venetorũ iniustè perijsse Crimignolam. adhuc euidentius esset exemplum diuinæ ultionis in tam nephario scelere. Quid magis obfuit Augusto hoc exẽplo quo postmodũ & ipse alioqui fœlicißimus omnib. alijs in rebus, hac in una filiorũ infœlicitate mortales omnes superauit. nã masculos ambos adultos iã et egregios amisit, filiã ob turpitudinẽ relegare coactus est: intutãq; ob filiorũ et nepotũ infœlicitatẽ deuenit, ut tãto cũ imperio, tot cũ uictorijs, tãta cũ obediẽtia et ualetudinis firmitate odio uitã habuerit, et mortẽ in bonis duceret.

ceret. quinetiã omnis illius tã numerosa stirps prorsus extincta est annis illius post obitũ 55. cũ Nerone. Vnde hoc? cũ post humanũ adeò se præbuisset? nisi quod patrẽ cũ filio dimicare coëgit. Verba Suetonij in tanto te „ stimonio afferre libet. Alios patrẽ & filiũ pro uita ro „ gantes, sortiri uel dimicare iußisse, ut alterutri conce „ deretur: ac spectasse utrunq; moriẽtem, cum patre qui „ se obtulerat occiso, filius quoq; uoluntaria occubuisset „ nece. Vnde subiungit: Quare cæteri & in his M. Fauo- „ nius ille Catonis æmulus, cum catenati producerentur „ Imperatore Antonio honorificè salutato, hunc fœdißi „ mo conuicio coram prosciderunt. Etenim quid Deum „ illum intuentem hunc sæuum spectatorẽ dixisse putes? Iam cum tibi uoluptati sit abominandũ ferumq; spectaculũ, efficiã ut aliquãdo te pœniteat memoriæ, tã scèleratæ uoluptatis. Et quòd alijs dulcißimũ est, tibi unũ futurũ sit amarißimũ. Itaq; quãuis postmodũ eò clemẽtiæ benignitatisq; peruenerit, ut pater patriæ meruerit appellari, mereri tamẽ tãti sceleris ueniã nõ potuit nec assequi, ut filij nomen nõ nisi cum summo mœrore atq; horrore audiret. Sed ad magistratuum historiã redeo, nec dedignabor hac in causa referre quæ Ioa. Bocatius „ in lib. de Viris illustrib. scripsit: Sed præsens (inquit) „ ætas antiquam spernit diligentiam: neq; enim dicam à „ primis grammaticæ rudimentis, sed ab ipsis incunabu- „ lis penè raptos infantes inter adulteratas leges enutri- „ unt: neq; id agunt (ut quidã excusare conãtur) ut memo „ ria fir-

„ ria firmiore illas condiscant, sed ut celerius parandis
„ opibus incumbant: neq; pudet magnis clamoribus pu-
„ blicè contendere, primum esse dandam operam lucrā
„ do uictui: studia philosophiæ ac rationes quibus ipse
„ leges constant, tum iusticia boniq; mores superflua es-
„ se. Ita emētitis ac uanis laureæ titulis leges ipsas mutāt,
„ uitiant, fœdant, contrarijsq; interpretationibus corrū
„ punt, litesq; ipsas in perpetuum producunt. Nec pudet
„ magnificis uerbis, honoribusq; prouehere, qui ore in
„ fami & scelerata oratione calcata ueritate iniustam iu
„ sto prætulerunt, iudicibusq; contra leges fucis suis per
„ suaserunt. Idq; etiam maius est, quòd illos extollunt qui
„ fraudibus ac dolis diuites facti sunt, eos patres legum,
„ iusticiæ fontes, sapientiæq; thesauros apepllantes. O in
„ concussa Dei iusticia quandiu hæc pateris. Ab horum
„ igitur scholis, in quibus non sat scio an de ueritatis in-
„ uentione, an potius de lucri spe maior sit disceptatio,
„ prodeunt iudices, præsides atq; ministri, manibus tena
„ cibus, oculis impudicis, effrenata libidine, lapideis cor
„ dibus, ficta grauitate, lingua meliflua, sed dentibus ui-
„ rulentis & breuiter auri insatiabili fame.

„ Et tu præsertim Italica Respublica quæ fermè sola
„ his legibus gubernaris, fœlix uiue talib. præsidibus tu-
„ ta, & tam iustis ministris freta, ac doctoribus illustra-
„ ta. Sic tuere uxores ab adulteris, uirgines à stupris. Ve
„ stales ab incestu, thesauros coge, campos eme, domos
„ prætorias erige, modo noris tribunalia corrupta esse

libidine

libidine & auaritia: & iudicia mendacijs ac dolis uitiari. Quorsum tam arcta nunc uiuendi formula, nisi ut liceat laxare habenas iudicibus, atq; implere uomicas auro, si argentum iam cõtemnitur? Nuper quidam criminum quam uocant praxim tanta sæuitia scripsit, ut cum nefarijs suis legibus non legibus sed tyrannicis imperijs, nec defendendi locum miserijs relinquat. Crede mihi nullæ leges bonæ esse possunt nisi quæ à philosophis sunt constitutæ. Scripserat primus Draco leges, ut dicunt, sanguine humano: uenit Solõ Philosophus scripsitq; mites & humanas, nunc ut Dracones uincamus uiperinis operam damus? & tamen Christiani sumus. Ob exiguum furtum suspendimus homines, aduersus leges magnos fures ueneramur? Quòd Idololatria, quòd Turcæ, quòd Iudæi non faciunt faciebantúe, fucati Christiani mitißimiq; agunt.

Vnde nomen miseri, nisi quòd dignus sit cui misereatur? atq; hoc Cicero Idololatra & qui optimatium causæ fauit, affirmat miseris magis fauendum. uos cogitate an id agatis? qui uincla iusticiæ per potentia relaxatis? diuitibus indulgetur. qui iure peccare potuerũt suspenduntur? Scripsimus ob id in septimo libro de Arianis Aeternitatis, De perpetua Republica statuenda. Nam Venetorũ illi proxima cum sit, ideo adeò diuturna est, Romanamq; iam superauit. Romani enim à condita urbe annis D.CCIIII. aut circa libertatem amisere. cum etiam antea annis CC. XL. sub Regibus fuissent ut uix

CCCC.LX annis libertatē in quib.etiā toties iactati seditionib.ac dissensionib.ut deterior fuerit hæc tam funesta libertas quauis graui seruitute.at Veneta urbs iā incolumis penè per an. MC. libera floret. Id beneficiū est nō tā legū quā hominū qui custodiūt eas,leges mites cōstituūt,si casus grauior euenerit ex æquo et iusto augēt scelerati pœnā.Vix esse sceleratus potest qui nō pecuniæ causa aliquid amittit.Ergo mitibus pœnis sed immutabilib.puniendi eßēt sontes, qui nō auaritiæ causa crimen admiserint. tu quo apud Deū impudēs prorsus et temerarius audes aliquē mortis dānare,cū quāta perpetraueris meministi?Propterea dicebat Cic. Sexto de ,, Rep. Moderatori Reip.beata ciuiū uita proposita est, ,, ut opib.firma,copijs locuples,gloria ampla,uirtute ho ,, nesta sit.huius enim operis maximi inter homines,atq; ,, optimi illū esse effectorē uolo.Et rursus in tertio:Cū ue ,, rò iniustus est Rex quē tyrānū uoco,aut iniusti optima ,, tus quorū cōsensus factio est,aut iniustus ipse populus ,, cui nomē inusitatū nullū reperio,nisi ut etiā ipsum ty- ,, rānū appellē,nō iā uitiosa,sed omnino nulla Resp. est. ,, Et rursus:At nō cernimus optimo cuiq; dominatū ab ,, ipsa natura,cū summa utilitate infimorū datū?inde mul ,, to post subiūgit:Sic regū,sic imperatorū,sic magistra- ,, tuū sic patrū,sic populorū imperia ciuib.socijsq; præ- ,, sunt ut corporib.animus.Hac solum in parte ab eo dissi ,, det, quòd existimet Rēp. æternā esse posse quoniā nul ,, lū finē hab eat naturalē,inquit enim:Itaq; nullus interi

tus est

tus est Reip.naturalis,tu hominis in quo mors nõ mo- „
do necessaria est, uerumetiã optanda persæpe. nã si sic „
foret,aliquis tandẽ eam formã Reip.inuenisset. uerum „
nullũ ex sapientibus inuenisse comperimus, cum æquè
mortales sint Reipub. ut etiã homines:sed etiã diuturnior est,ut quæ ex pluribus hominib.sibi inuicẽ succedentibus constet. Et licet diutius maneat,difficilius tamen est Rempublic. ad suum finem deducere quam uitam cuiusuis seruare usq; ad ultimum terminum. Homo enim unus est cui præcipitur,& idẽ permanet, & sua curat.at hic lex quæ neq; oculos habet nec aures, sed magis ducitur quam ducat.Ob id cauendũ est,ne in Repub.homines uiolenti,duri,crudeles,seditiosis ex familijs & quorũ maiores duces fuerint factionũ,constituantur:Sed mites & innocẽtes philosophiæ supra omnia præceptis imbuti.Quantũ hoc profuerit uisum est inspicientibus nobis triũ principũ diuinam gubernationem Imperij scilicet Traiani,Adriani & philosophi. Traianus licet eloquẽtiæ expers fuit,tamẽ philosophiæ præceptis à Plutarcho imbutus,Adrianus & Antoninus admodũ eruditi. In omnibus cauendũ est ne quicquam per calumniã facias.Sed minus obijcias quã illi peccarint,honestioribusq; uerbis utaris.cõsulo etiã ut patriã illã relinquas,ne malũ malo addant.durũ est pugnare cũ potẽtiorib. imo superiorib. Qualis enim animus esse potest, illiusq; qui eos habet inimicos in quorum potestate uita , honor ac fortunæ repositæ sunt?et

eo magis quòd ut melius est sub Rege esse quã sub pau corum dominatione ubi Rex præsens adsit, si tamen ab sit longè melius est esse sub Repub. quoniam in Repub. contingit uelut in bullis feruentis aquæ, quæ dum hinc illincq; efferuntur, bullæ tandem parte partem trahen te, necessario omnes subsidunt ac coequantur: feruores enim illi diuiduntur, impellunt, præmunt donec necessariò ad æqualitatem omnia perueniant, non sic in Rege qui procul absit: nã pars quæ Regi adhæret, & quæ cum illo connexa est prominet semper quasi sustentata, aliosq; præmit & urget. Et quanto magis cursus uitæ magistratuum est cum casu & prolapsione, eo magis alios impellunt miserosq; priuatos. seu inopia præmantur seu libidine ferantur, seu ira sint irritati seu sibi metuant: quodcunq; malum his acciderit ciuibus cõmune fit: utinam bona? quæ sibi solisq; retinent. Nec aliud metuere possunt, ne plures sint Pausaniæ qui nõ inimicum animum erga eum qui iniuriam intulit uertant, sed in ipsos iudices uelut etiam Andreas Lampugnanus qui cum iniustè uexaretur, non à Principe sed Miramũdi antistite, iram tamẽ in principẽ ipsum uertit. id fermè utilium generosis omnibus inest animis. quare melius esset ut Reges iustos philosophiæq; peritos iudices eligerent. ipsi uerò iudices mites, probi, sancti meminissent utilitatis Regis honoris potius proprij quam potentiæ, quid expediat magis quam quid liceat humanæ conditionis ac fragilitatis: concordiam serent

rent, non discordias & inimicitias ultionum acerbitate alerent. Sed hic error unde proueniat satis mihi compertum est. Interim uerò in his tumultibus aut egregia potentia est opus ad securitatem, aut contemptu quam potentia euasere. Pariunt autem contemptum, senium, paupertas, solitudo, ruris cultus, & furor uerus aut simulatus. Ob id, ut in maximo contemptu sis nec tamen parum poßis, danda opera est. Cæterùm utilitas quæ habetur ex hac iniqua magistratuum administratione atq; eorum odio est ut sanctè uiuere discas, in cunctis fi es callidior, amicos habebis quoscunq; illi oderint, nouaq́; uidebis prodigia omnis generis naturæ iudiciorum, suppliciorum & seditionum. Deniq; ferre magistratuum & populorum incommoda oportet, quando quidem etiam seruitus & ipsa ferenda sit.

DE SERVITVTE.



Fateor enim seruitute nullũ fermè maius malum esse in humanis, cum plurimi libertatem uitæ prætulerint. sed tamen ut humana res ferenda est. Vinctum habes corpus, usumq́; membrorum tuorum, somnum cibumq́; in alterius arbitrio, fœda pateris: æger es nec quiescere licet. inde uultus minaces & uerbera: liber tamen animus est, hic solus alieni non est arbitrij.

Quãquã enim Matius dicat: At hæc etiã semper sper nis libera fuerũt, timerẽt gauderẽt, dolerẽt suo potius quã alterius arbitrio. nihilominus nõ prorsus hæc uera sunt, si ad externos corporis affectus referãtur. Etenim nec ingenuis ipsis in iusticio sororis sub Caligula licuit. conandũ est ergo ut quisq; ab hoc tãto malo quã celerius potest se uindicet. interim uerò danda est sic uirtuti opera, ut & hoc inter medio tẽpore melior euadas, & si licet etiam eruditior ac sapientior. Simul etiam hoc ad libertatem conducet: nam ubi animum libero uiro dignum in seruili fortuna heri aspexerint, facile adducuntur ut libertatem illis condonent. adhortantur enim ad hoc rei ipsius dignitas, Dei reuerentia, uoces amicorum ac consanguineorum.

Pulcherrimum spectaculum præbet quisquis media in miserius miseria beatus est. Profuit etiam seruitus plurimis, Pallanti, Calisto, Narcisso, Drußilano, Claudij postmodum libertis, Menæ, Menecratique Sexti Pompeij, Archelao Mithridatis, Ventidio qui Prætor Consulque eodem anno factus est, & de Parthis specioso spectaculo triumphauit, Chrysogonum Syllæ, Demetriúmque Gnei Pompeij monstrosæ potentiæ ac opulentiæ non referam. sufficiant hi quos occasio seruitutis per Domini gratiam & propria uirtus euexit, ut Daphnis & Taberius. Eros grammatici Plotius Mimicæ scenæ conditor, cuius consobrinus fuit Manlius Astrologus, atq; poëta insignis adhuc florens

post

post tot secula, Alcman amatorij inuentor carminis omnes discipulis aut pretijs artis, aut monumentis insignes. Terentius quoq; Tyro, ac laurea Ciceronis eruditione humanarum litterarum: Aeschylus Herodoti poëta. In philosophia Phædon, Epictetus, Aesopus, Plato etiam quãdoq; in seruitutem ductus est: at Diogeni quã fœlix & clara seruitus, mendicabat miser in libertate suo instituto: dum uero nauigaret captus, uenalis prostabat in foro quem Xeniades Corinthius emptor cum interrogasset quid sciret? respondit, liberis hominibus imperare.

Cognouit uir prudens eum esse philosophum, emit manumisit, tradiditque ei filios instruendos dicens, ecce liberi quibus imperes? Quod dictum ad nos maiore quam apud Græcos lepore transijt. nam & liberi sunt qui non seruiunt, & filij etiam liberi appellantur. Ita ex oleribus crudis in carnes & fercula; ex dolio ad lectum mollem seruitute transijt.

Adde commoda seruorum & ancillarum, & societatem pro solitudine. Quibusdam etiam sine uirtute seruitus ipsa sola attulit perpetuam gloriam: colitur Pompilij serui nomen ob Theophrastum, Persæi ob Zenonem, Euporus ob C. Cracchum, Micithus ob Messenium Anaxilaum, Chilo Portij Catonis, Zosimus Plinij qui Panegyricum scripsit. Vt dicamus cum poeta:

Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet: profuit multis capi.

Turcica gens hac ætate nulli secunda, imperio, potentia, opibus, nihil gloriosius ducit quam si quisq; seruus principis appelletur. Summis nostris pontificibus consuetum est non solum se Dei seruos, sed seruorum etiam seruos nuncupare. Nostris quoq; temporibus Aegypti Rex non nisi ex seruis deligebatur, qui eorum lingua uocabantur Mamaluchi. Paulinus Nolanus Pontifex seruitutem seruiuit gloriosam: Et Serapio Eremita semetipsum uendidit, ut alium redimeret. Olim totæ quædam gentes se uendebant ut Thraces: nostra ætate Hispani Catelani, id est, Itergetes, sed magis Afri ac Numidæ: qui pro lucro ponunt, non solum filijs sed etiam sibimet inuenisse emptores. Quot profuit tempore penuriæ & caritatis annonæ in potentium & diuitum domibus fuisse seruos, qui liberi fame periissent? plures pereunt fame homines ac pueri quam equi & equorum catuli. Seruitus tempore belli utilior est libertate: Siquidem cum diuinis ipsis se eripiunt periculo. Verum cum duo sint capita fugiendorum malorum, scilicet ut ipso malo careamus, aut eodem commodè utamur, si pecunijs è seruitute nos redimere non licuerit, gratiã domini assequi oportet, qua duo illa ambo præsidia continentur, scilicet spes libertatis atq; interim commodioris seruitutis usus. Porrò de hac parãda rursus cum dixerim, Ioannem Casam locupleti libello atq; huic argumento propriè addicto scripsisse nihil mihi restat, nisi ut quatuor uerbis omnia illa præcepta comprehendam

comprehendam: scilicet Domini amorem ac gratiam comparari uirtutis omni genere, pietate, fide, patiẽtia, constantia, diligentia. Propria tamen serui sunt, Mansuetudo, fides, patientia, diligentiaq́;. Fortitudo autem ut rarior in seruis, ita si casus contingat ut ob illam dominus aut domino ualde coniunctus à uitæ periculo liberetur, plerũq; libertatis causa est. Interim uerò si qua sit seruitus mollior, ut apud Turcas et olim Iudæos quæ septennio finiatur: apud Turcas etiam pascendis ouib. addicta, licebit continentia corporis robur firmare; industria multa discere atq; cognoscere, quæ nobis parta libertate usui esse poterunt. Agnoui hominem multa huiusmodi cõdidicisse, quibus non solum apud nouarũ rerum studiosos, sed apud quoscunq; potentiores uiros in precio erat. Ergo quid prohibet, dum adhuc captiui simus ne conuersi ad Deum, cum etiam liberi uersemur in pelago stulticiæ, ignorãtiæ atq; impietatis, inter tot scopulos, uortices, maximis in tempestatibus, eripiamur à submersione? Si igitur fortes mala tulerimus, prudenterq́; ea tractauerimus blandosq́; in conuersatione nos exhibuerimus, & diuinus nos fulgor aliquando irradiabit, & clementiam fati melioris experiemur, & nos interim æquiore animo cum ita feremus, meliusq́; in occasionem parati, commoda infaustæ conditionis sentiemus. Sũt aũt seruitutis commoda præcipua hæc, uiuere atq; ualere alieno periculo. Vides ne equos quã chariores sint dominis, imo & boues & sues rusticis

maiore esse in precio, nõ solũ quã famulos & familiares, sed etiã persæpe ipsis filijs? magna res est cõputari in alieno äëre. Aliud cõmodũ est ut nõ adeò libero fruerís corpore ad uoluptates, ita nec ad lenocinia morborũ. Vnde serui qui modestis dominis seruiũt, liberis plerũq; melius ualẽt. Quid aliud est esse in patria potestate quã in modesta seruitute? nemo tamẽ nisi uehemẽter improbus patriã abhorret potestatẽ. Quid ergo aliud est modesta seruitus, aut domino probo seruire quã in patria esse potestate? multa quidem seruitus nobis eripit quæ libero licerẽt, sed maxima pars eorũ quæ eripit, nec sunt necessaria nec utilia saluti animæ uel corporis. rarò quicquã aut utile, multo minus necessariũ ad salutẽ detrahitur nobis. Vinũ dilutũ bibo. parũ carnis edo, sed ferculũ solũ, nõ fructus aut cupedias ullas. nõne hæc omnia ego spõte ago, ut corporis ualetudini, diuturnitati uitæ, ad sobolẽ procreãdã, ad animi uires, ad tẽperãtiã, ad pietatẽ, ad eruditionẽ: deniq; ad animi trãquillitatẽ ac felicitatẽ lõgè præstãtiora? Quã paucos, ne ullos dicã, seruos inuenias podagra, arthritide, lapillo renũ, ac huiusmodi morbis quos ociũ et crapula gignit laborare? Nã et hoc 3. est cõmodũ ad labores excitari, quo nil ad corporis salutẽ melius, ad animi aũt sedãdos tumultus, ad cohibẽdã impatiẽtiã summũ malorũ magis ẽ necessariũ. Sed pastoralis illa apud Turcas seruitus, nec dira laborib. nec ocij indiga, nec astricta uictu, sed melior lõgè nostrorũ rusticorũ uita ac salubrior: nã nostris rusticis uix patris ex loba aut milio (qui locupletiores) quã

tũ satis est: et cæparũ ac allei: seruis illis placẽta triticea abũdãs, olera et lac: nõnũquã etiã caro. At uinũ deest quòd illi nõ optãt, cũ etiã Domini ab eo abstineãt: hic cũ optẽt, nõ tamã habẽt. Et habẽt nõ habere præstaret: nã et corruptũ plerũq; & marcidũ accidũue tãto deterius est aqua ipsa ad salutẽ, quãto gratius ori aut iucũdius. Nõ illis deest in umbra somnus, non sues & feras arcu uenari prohibitũ, nõ fallere aues, nõ piscari. Quid quòd maximũ est, nec uxorẽ seruã ducere? filios educare? quod etiã institutũ apud Ro. fuit, ut ex Iurisc. decretis deprehẽditur? apud quos Ro. plures, ut Sene. ait, multo erãt serui ipsi quã liberi. ob id ne paucitas ingenuorũ deprehẽderetur, permiserũt seruis ut ingenuorũ habitu uterẽtur. Ob id etiã quartũ illud euenit cõmodũ ut domini seruos plus amẽt quã filios nõ dicã, sed quã cæteros oẽs quod à seruis nõ cõtẽnãtur, nõ deserãtur nec decipiantur: quæ omnia agnati cognatiq; et amici falsi, quorũ maxima semper copia fuit, præsertim in aduersis facere solẽt. At dices, nõ amãtur à dominis, nec amari promerẽtur, quia coacti metu et ui id agũt? nihil refert, nã iã utilitate ea fruũtur, cõmodũ sentiũt, serui prudẽtes id tã sedulo agũt ut quod metu facere cogũtur, spõte agere uideantur. tũ præcipuè quòd in lõga seruitute multa emergũt, quæ nullo metu aut ui inuito animo illorum possẽt extorqueri. At dices, sunt etiã mali domini qualis Antius, Restio, Vedius, Pollio aliiq; multi. fateor sed frequẽtiora mala et grauiora etiã liberis plebeijs accidũt.

De.

De multitudine, ſcio non magnam rem dixiſſe me putas: at de magnitudine miraris? quidnam maius quam inuri notis in facie? uirgis nudum ad necem cedi in piſtrino? crucifigi, uerberatum tradi, nudum uinctumq́; murenis edendum? per iocum ſuffocari in inani rota roſis plena circumacta? at maiora proferam nec abſtruſa nec rara, omitto enim indignitates ſæuorum, magiſtratuum & patronorum, uiolentam auaritiã, & quorundam nomine nobilium in pudicitia uiolanda, uxorum filiarumq́; aut ſororum iniuriam? hæc tanquam parua quæ maxima ſunt, & morte ſi bene extimentur deteriora, & tanquam priuata mala, quæ tamen adeò frequentia ſunt ut publica merito dici poßint, miſſa facio: tribus aut quatuor filijs paruulis, media hyeme frigore & fame confici, nec poſſe auxilium ferre miſeros parentes, in ſumma omnium egeſtate, irritis laboribus, ægram mentem ac corpus ob indigentiam ſuſtentantes, nullo uitio, nullo ſcelere, nullo etiam errore, an nõ miſerius eſt hoc ſupplicium atque ſpectaculum piſcinæ Pollionis (quam tamen Auguſtus ipſo ſtatim momento poſtquam reſciuit compleri iußit) & crucibus? nam in illis non pueri coram parentibus, ſed uiri, non omnino ſine errore, plerunq; non ſine uoluntario ſcelere, non diutino cruciatu, ſed quantum immanium dominorum oculos ſatiare poſſet necabantur. at hic pluribus diebus extenditur.

Ergo non minus eſt liberorum infœlix conditio

quam

quam seruorũ, imo dirior prout in utroq; genere lusus fortuna. Vix uidere me nõ nugas agere. Lex erat apud Iudæos quam Turcæ & ipsi nunc obseruant, quicunq; mitiores sunt, ut post septimum annum seruus liber esset addito etiam uiatico, si manumißionis conditio arrisisset. Et tamen plures erant & nunc apud Turcas futuri essent, ni diuersitas religionis & Christi amor certè dignus, ut eo maiora relinquantur qui seruitutem libertati præponerent: nec manumißionis beneficio utebantur. Nam & quintum commodum in hoc esse cernebant, scilicet maiorem pietatem, integrum Dei cultum, seu aduersa & duriora perferendo illius amore, seu charitatem uberiorem erga dominos exercendo, seu contemplationi firmius insistendo, uoluptatibus omnibus ualedicentes quæ in libertatis solutis uinculis & impotenti euagatione animæ repositæ sunt. Vnde Phratiarum institutio orta est.


DE PHRATIIS.



IQuidem hi sunt de quibus uerè dixisse Seneca potuit, paucos seruitutem tenere cũ multi à seruitute teneantur. Hi sunt qui seruitutem tenent qui diuino amore Phratrias ingrediuntur, uoluntariam subeunt seruitutem & breuem, ut perpetuò libertate secura fruantur. Seruitus difficilis est, quoniã

inuolun-

inuoluntaria est, ideò qui uoluntariè in Phratriã se conferunt nihil durum patiuntur. Quid durum esse potest Deo seruire, intra metum se continere? Si lupi atq; leones ubiq; uagarentur & homines discerperent, an nolles cõtineri etiã per uim in arce munita, ut tutus esses ne dilaniareris? Natura uitiorum etiã infinita, est enim prolapsus quidã. qui dixit uitia esse circa extremũ, uirtutes circa mediũ, utinam tam perfectè rẽ explicasset, quã uere dixit? Finge collẽ ex toto decliuem à summo,



sed in uertice planũ duo tantum habentẽ latera, scilicet ut oui figurã superius plano dissecti referat, at latera nullis impedita obicib. labãtur in præceps, hinc auaritia illinc prodigitas: in medio cõsistat liberalitas. Vbi è medio excesseris, paululum in imum prolaberis cuius nullus est terminus aut finis: sed quo magis dilaberis eo capatius spaciũ erroris ac uitij inuenis. Certè ueri admodũ amicus sum: si fieri posset ut homines in uitijs cõsisterẽt, nõ adeò uitiũ ipsum abhorrerem

horrerẽ. Sed poſtquã in ipſum prolabẽti uolũtas effrenis in infinitũ illud ſpaciũ abſq; ullo retinaculo uagatur, incerta loci, incerta ſui, pro lucro quis nõ ponat in caula cõtineri? Sed debẽt eſſe hæc uincula uolũtaria nõ ab ira, deſperatiõe aut parẽtũ ui inіecta. Itaq; de hisqui ſanè perſpecta re ingrediũtur hos ordines, nefas tracta re puto, tãquã calamitoſis. quæ enim calamitas eſſe poteſt deo ſeruire? literis ac ſtudijs operã dare? uiuere ſine ſolicitudine atq; labore? tot habere egregios ſocios, multarũq; rerũ peritos, atq; ut ita dicã, ſecreta omniũ mortaliũ ſciẽtes? tutos eſſe ab ira principũ, improbitate magiſtratuũ, iniuria petulantiũ, peregrinari in oẽs terras ſumptu alieno, ibiq; domũ paratã inuenire? uenerari apud oẽs tanquã diuos? cohibere noſtros inimicos, atq; hoſtes ſcilicet effrenes cupiditates perturbatiõesq; animi ac peccata? omni cura uacare? ſi ſanus es multos hilaritatis ſocios habes: ſi æger nullos uides lachrymantes ſed plures hortãtes atq; cõſolãtes? Verùm qui eo cecidit nõ iuit impulſus eſt, nõ ingreſſus multa obijciet incõmoda, poſtquã pœnituerit cognita? pupertatẽ, ieiunia, uigilias, aſsiduũ orãoi morẽ, ſeruitutẽ, ſolitudinem claudi in domo tanquã in carcere, inuidiã, inſidias, contumaciam, quorundam ambitionem, inter illos ſumma odia, perpetua ſupplicia, aſsidua ac pœnas acerbas, ſuperiorũ crudelitatẽ: deniq; quod maximũ eſt nõ poſſe unquã liberari à ſeruitute abſq; ſumma infamia, perſæpe etiã ſi uelit cũ ea. Verũ hæc omnia dulcia efficiũtur, atq;

atq; facilia si eo modo accipiantur, quo qui sponte ingreßi sunt collegium illud sacrum. Si tibi animi immortalitatis spem certam proponas, omnia libenter patieris. nam de uitæ breuitate, de mortis neceßitate tam certus esse potes, ut nihil amplius. Verùm animi immortalitatis tot sunt indicia, tot argumenta ut dubitare non poßimus.

„ Inter reliqua uide quid Seneca dicat? Et mors quam „ pertimescimus ac recusamus intermittit uitam non eri„ pit. Veniet iterũ qui nos reponat in lucem dies, quam „ multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea dili„ gentius docebo omnia quæ uidentur perire, mutari. æ„ quo animo debet rediturus exire. Obserua orbem re„ rum in se remeantium, uidebis in hoc mundo nihil ex„ tingui, sed uicibus descendere ac resurgere. Aestas abit „ sed alter annus illam reducit, hyems cecidit, sed illam „ referent sui menses. Solem uox obruit, sed ipsam statim „ dies abiget. stellarum iste discursus quis præterierit re„ petit. pars cœli leuatur aßiduè, pars mergitur. Et quanquam æternorum sit hæc reuolutio, profundius tamen discussa declarat reditũ hũc animorũ nostrorũ. nec perire quicquã sed intermittere, uelut & in plãtis dum folia, fructusq; decidunt. Si igitur de uita illa æterna cogitas omnia suauia uidebuntur. Accusor falsò, calumnior atq; insimulor, in carcerem detrudor, cogor inedia fateri quæ nec cogitaui. Hoc enim est summum apud illos malum. eò tamen tendunt hæc omnia, ut potius di-

gnitate

dignitate te spolient quam ut sæuius puniant. Quorsum fastu illo indiges, quorsum magistratu si eò te contulisti ut omnino quiesceres. Via hæc est ad salutem certa, in quam te inimici protrudant. Si peccasti? non peccа: si non peccasti? uel ob offensam, uel ob inuidiã te accusant. Si ob offensam cuiquam, caue ne in aliquo excellas. humilitatem profiteris? fac ut propior sis contẽptui atq; despectui quam honoribus & fastui. Improbi est Deo mentiri illum uelle fallere, non fallas non mentiaris. ταπεινοφροσύνην exerce. At urgeor fame, pereo, iam duobus diebus nihil prorsus edi, ante uerò panem & aquam? Dicas cum Paulo: Non sunt di- „ gnæ huius Mundi molestiæ ad cõsequendam æternam „ gloriam. „

Quicquid pateris etiam immerito paruum est, ut dignus sis cœlesti regni participatione. nullum hucusque tamen fame interijsse audio. Imitare beati Phratij illius mores, qui cum accusaretur à puella quod illam cõpreßisset, atq; puerum quem in utero habebat procreasset: natum & ablactatũ apud se aluit. inde cum mortuum iam Phratrium lauarent, inuenerunt esse fœminam. Ita gloriosum diuina colenti esse mitißimum & omnia patientem, et alijs excellere potentia, dignitate & autoritate. Vincere omnes ut ad gloriam hominem ducit, ita ex aduerso latus est aliud gloriæ, non minus optandum & singulare ab omnibus uinci. At melius esset dicis ut huiusmodi calumnijs obstarent? utq; non

suspecti iudices statuerentur, ne quis insons infamia aspergeretur? imò non? nam claustra ut fores magis obstreperent, & uirtus patientiæ non adeò in bonis floreret, nec malis improbitati libera adeò uia pateret. Ex omnibus ergo calamitatibus Phratrius tria illa optima, propter quæ ei ordini se inseruit, quæ etiam uerè bona sunt & apud Deum in precio, & apud homines sapientes uitæ innocentiam ταπεινοφροσύνην & patientiam auget & colit, & rusticus uitam fœcundam ac pulchram.

Inde etiam apud plebem celebratur. Sepeliri autem uiuos, & atrocia supplicia pati, aut nunquam cõtingit aut rarius inter hos ordines, quam apud iudices nostros excarnificari, rotis inseri, uri, lacerari ab equis, uiuos à carnifice diuidi, pali transfigi, transuersim serra secari. nec uerò id contigit nisi in uitæ indignißimis, & ob maxima scelera, ut etiam apud nos mortes truces. reliquæ disquisitiones ad ueritatem eruendam, carceris teter horror, fames, sitisúe multo mitiores sunt eculeis atq; ignibus talis linteo quam diuturniores. Cæterùm supplicia ipsa confeßis sine comparatione minora, & raro ad summum perueniunt.

DE CARCERE.



VErùm cum carceris mentio habita sit, de utilitate illius dicendum est. Illius tria sunt genera, libera custodia, uincula, triremes. liberæ custodiæ multa sunt

genera

genera, cum tota urbs aut arx: aut arcis pars, domuncula pro custodia est. Vinculorum & triremis duo genera: quædam enim sunt cum labore, ut uincti ad fodinas & secandos lapides & in triremibus remiges. alij autem non nisi uinculis coërcentur. Horũ etiam duplex genus, nam quidã ad pœnã sic solũ damnati sunt, quæ nunc in usu non est: alij uerò ad custodiam quibus tormenta solent ad eruendam ueritatem adhiberi. Dicam ergo primum de his quibus uincula ad custodiam iniecta sunt, nõ pœnæ gratia. Ergo in his tria hæc semper se habent eodẽ ordine, cõfeßiõ, damnatio, supplicium. Cur ergo cum tam negare poßis quam confiteri, mauis fatendo damnari et suppliciũ pati quam negando liberari? at dices timeo tormenta, nec pati possum? audiui à podagrico, eculei dolores podagræ doloribus esse persimiles. nihil durum esse potest, nil acerbum ex altera parte metuenti mortem, ex altera salutem ac libertatem speranti. Fœda res est torqueri, & miserabile spectaculum? sed fœdißimum ac terribilißimum damnari ad mortem, ut contra pulcherrimum exire liberum. in quo uel laudaris ob constantiam apud eos qui te reum fuisse putant, criminis aut iudices damnantur, quòd innocentem frustra cruciauerint. l. Qui sententiam Cod. de Pœnis.

At non confeßos etiam damnant si conuicti sint? conuicti dicuntur uel spontanea confeßione de qua nemini dubium esset debet, nisi ubi de facto non cõstaret, aut constaret de stulticia uel nimio amore alterius

rius quē liberare cuperet, uel ebrietate uel desperatio ne: uel cum duo testes affirmant id uidisse conformes et ab omni suspicione alieni: ut Digestis de Testibus & lege tertia. Tertio ex euidentia facti. cum tamen clarū sit, & maximè in hoc secundo & tertio genere multas fraudes posse committi. ideo omnes hæ damnationes iniustæ sunt, nisi cum confeßio propria successui delicti ex toto congruit: in reliquis omnibus deberent damnari ad triremes. Nam quid defuit ad iustam damnationē Christi Dei, nisi confeßio propria? testes enim illi contradixerant. Moniti per hoc sumus nos Christiani quam moderatè & in condemnando procedere debeamus, & maximè cum confeßio propria adest. Nónne scriptū est? Nolite condemnare & non condemnabimini. Sunt ergo tria iudicia, plena indicia ad quæ sufficiunt testes duo, uel saltem unus probatæ uitæ, qui doceat de his quæ ad facti uerisimilitudinem spectant, ut gladius sanguinolentus, nudus, & testes qui factum ipsum testentur. Melius tamen esset ut res ad publici facti rationem reduceretur, scilicet ad decem testium fidem, ut Baldus in Codice de Collationibus.

l. Vbi. §ec. inchoante, itē diuus.

Titulo Quod locum in fine.

Sed si carcer pœna sit, cogita primum illud, quòd tria cum sint homini proposita bona, honestum, utile, iucundum, de primis duobus tantum tanquam bonis philosophi disputant, tanquam iucundum nullo modo bonum sit. Sed sit sane certè minima cum sit pars. carcer uerò nec utili nec honesto nos priuet exigua parte bono-

te bonorum qui in uinculis est, sanè & si omni etiam iucundo priuaretur destitutus esset. Sed non omni iucundo caret, uinctus habet horas somni, cibi ac potus cum liberis communes. Plura scio recitaret nobis, Andreas Matthæus Adriæ Princeps tanquam expertus, ut qui in carcere, ut audio, perpetuis tredecim annis fuerit, scripsitq; de Vtilitate ex aduersa fortuna librum elegantem. Sed cum ad nos non peruenerit, methodo satisfacere conabor. Certè societas illa exigua, tametsi prandij ac cœnæ ijs iucundior uideri solet quam liberis. Omitto reliqui temporis æstimationem illam Stoico supercilio dignam & inanem, omnes scilicet in mundi carcere esse. illum ego cubiculi unius eis relinquam, hunc quo ubilibus uagari poßim, mihi quoad licuerit retinebo. Ergo uera non solum sed euidentia sumamus. reliquo tempore patientiam, ut diximus, omnium uirtutem nanciscemur & ocium. Ex ocio ipso consilium & studium. ex studio eruditionem, ex consilio prudentiam nobis comparabimus. Breuis temporis carcer uitia multa corrigit, cautiores ad pericula facit & uoluptatum dulcedinem auget. Breui tempore Marius, Cæsar, Castrutiusq; in uinculis fuere, nec id postmodum aut gloriæ illorum, aut factis aut dignitati obfuit. Quinimo ex eo acriores & uehementiores euasere. Auenzoar infimæ sortis homo duobus annis ab Hali Regulo in carcere detentus, acrior exiuit hostis quam ingressus fuerit.

Turcica gens hac ætate nulli secunda, imperio, potentia, opibus, nihil gloriosius ducit quam si quisq; seruus principis appelletur. Summis nostris pontificibus consuetum est non solum se Dei seruos, sed seruorum etiam seruos nuncupare. Nostris quoq; temporibus Aegypti Rex non nisi ex seruis deligebatur, qui eorum lingua uocabantur Mamaluchi. Paulinus Nolanus Pontifex seruitutem seruiuit gloriosam: Et Serapio Eremita semetipsum uendidit, ut alium redimeret. Olim totæ quædam gentes se uendebant ut Thraces: nostra ætate Hispani Catelani, id est, Itergetes, sed magis Afri ac Numidæ: qui pro lucro ponunt, non solum filijs sed etiam sibimet inuenisse emptores. Quot profuit tempore penuriæ & caritatis annonæ in potentium & diuitum domibus fuisse seruos, qui liberi fame periissent? plures pereunt fame homines ac pueri quam equi & equorum catuli. Seruitus tempore belli utilior est libertate: Siquidem cum diuinis ipsis se eripiunt periculo. Verum cum duo sint capita fugiendorum malorum, scilicet ut ipso malo careamus, aut eodem commodè utamur, si pecunijs è seruitute nos redimere non licuerit, gratiā domini assequi oportet, qua duo illa ambo præsidia continentur, scilicet spes libertatis atq; interim commodioris seruitutis usus. Porrò de hac parāda rursus cum dixerim, Ioannem Casam locupleti libello atq; huic argumento propriè addicto scripsisse nihil mihi restat, nisi ut quatuor uerbis omnia illa præcepta

comprehendam

comprehendam: scilicet Domini amorem ac gratiam comparari uirtutis omni genere, pietate, fide, patiẽtia, constantia, diligentia. Propria tamen serui sunt, Mansuetudo, fides, patientia, diligentiáq;. Fortitudo autem ut rarior in seruis, ita si casus contingat ut ob illam dominus aut domino ualde coniunctus à uitæ periculo liberetur, plerũq; libertatis causa est. Interim uerò si qua sit seruitus mollior, ut apud Turcas et olim Iudæos quæ septennio finiatur: apud Turcas etiam pascendis ouib. addicta, licebit continentia corporis robur firmare; industria multa discere atq; cognoscere, quæ nobis parta libertate usui esse poterunt. Agnoui hominem multa huiusmodi cõdidicisse, quibus non solum apud nouarũ rerum studiosos, sed apud quoscunq; potentiores uiros in precio erat. Ergo quid prohibet, dum adhuc captiui simus ne conuersi ad Deum, cum etiam liberi uersemur in pelago stulticiæ, ignorãtiæ atq; impietatis, inter tot scopulos, uortices, maximis in tempestatibus, eripiamur à submersione? Si igitur fortes mala tulerimus, prudenterq́; ea tractauerimus blandosq́; in conuersatione nos exhibuerimus, & diuinus nos fulgor aliquando irradiabit, & clementiam fati melioris experiemur, & nos interim æquiore animo cum ita feremus, meliusq́; in occasionem parati, commoda infaustæ conditionis sentiemus. Sũt aũt seruitutis commoda præcipua hæc, uiuere atq; ualere alieno periculo. Vides ne equos quã chariores sint dominis, imo & boues & sues rusticis

maiore esse in precio, nõ solũ quã famulos & familiares, sed etiã persæpe ipsis filijs? magna res est cõputari in alieno aëre. Aliud cõmodũ est ut nõ adeò libero fruęris corpore ad uoluptates, ita nec ad lenocinia morborũ. Vnde serui qui modestis dominis seruiũt, liberis plęrũq; melius ualẽt. Quid aliud est esse in patria potestatę quã in modesta seruitute? nemo tamẽ nisi uehemẽter improbus patriã abhorret potestatẽ. Quid ergo aliud est modesta seruitus, aut domino probo seruire quã in patria esse potestate? multa quidem seruitus nobis eripit quæ libero licerẽt, sed maxima pars eorũ quæ eripit, nec sunt nęcessaria nec utilia saluti animæ uel corporis. rarò quicquã aut utile, multo minus necessariũ ad salutẽ detrahitur nobis. Vinũ dilutũ bibo. parũ carnis edo, sed ferculũ solũ, nõ fructus aut cupedias ullas. nõne hæc omnia ego spõte ago, ut corporis ualetudini, diuturnitati uitæ, ad sobolẽ procreãdã, ad animi uires, ad tẽperãtiã, ad pietatẽ, ad eruditionẽ: deniq; ad animi trãquillitatẽ ac felicitatẽ lõgè præstãtiora? Quã paucos, ne ullos dicã, seruos inuenias podagra, arthritide, lapillo renũ, ac huiusmodi morbis quos ociũ et crapula gignit laborare? Nã et hoc 3. est cõmodũ ad labores excitari, quo nil ad corporis salutẽ melius, ad animi aũt sedãdos tumultus, ad cohibẽdã impatiẽtiã summũ malorũ magis ẽ necessariũ. Sed pastoralis illa apud Turcas seruitus, nec dira laborib. nec ocij indiga, nec astricta uictu, sed melior lõgè nostrorũ rusticorũ uita ac salubrior: nã nostris rusticis uix patris ex loba aut milio (qui locupletiores) quã

tũ satis est:et cæparũ ac allei:seruis illis placẽta triticea abũdãs, olera et lac:nõnũquã etiã caro. At uinũ deest quòd illi nõ optãt, cũ etiã Domini ab eo abstineãt: hic cũ optẽt, nõ tamã habẽt. Et habẽt nõ habere præstaret: nã et corruptũ plerũq; & marcidũ accidũue tãto deterius est aqua ipsa ad salutẽ, quãto gratius ori aut iucũdius. Nõ illis deest in umbra somnus, non sues & feras arcu uenari prohibitũ, nõ fallere aues, nõ piscari. Quid quòd maximũ est, nec uxorẽ seruã ducere? filios educáre? quod etiã institutũ apud Ro. fuit, ut ex Iurisc. decretis deprehẽditur? apud quos Ro. plures, ut Sene. ait, multo erãt serui ipsi quã liberi. ob id ne paucitas ingenuorũ deprehẽderetur, permiserũt seruis ut ingenuorũ habitu uterẽtur. Ob id etiã quartũ illud euenit cõmodũ ut domini seruos plus amẽt quã filios nõ dicã, sed quã cæteros oẽs quod à seruis nõ cõtẽnãtur, nõ deserãtur nec decipiantur: quæ omnia agnati cognatiq; et amici falsi, quorũ maxima semper copia fuit, præsertim in aduersis facere solẽt. At dices, nõ amãtur à dominis, nec amari promerẽtur, quia coacti metu et ui id agũt? nihil refert, nã iã utilitate ea fruũtur, cõmodũ sentiũt, serui prudẽtes id tã sedulo agũt ut quod metu facere cogũtur, spõte agere uideantur. tũ præcipuè quòd in lõga seruitute multa emergũt, quæ nullo metu aut ui inuito animo illorum poßẽt extorqueri. At dices, sunt etiã mali domini qualis Antius, Restio, Vedius, Pollio aliiq; multi. fateor sed frequẽtiora mala et grauiora etiã liberis plebeijs accidũt.

De.

De multitudine, scio non magnam rem dixisse me putas: at de magnitudine miraris? quidnam maius quam inuri notis in facie? uirgis nudum ad necem cedi in pistrino? crucifigi, uerberatum tradi, nudum uinctumq; murenis edendum? per iocum suffocari in inani rota rosis plena circumacta? at maiora proferam nec abstrusa nec rara. omitto enim indignitates sæuorum, magistratuum & patronorum, uiolentam auaritiã, & quorundam nomine nobilium in pudicitia uiolanda, uxorum filiarumq; aut sororum iniuriam? hæc tanquam parua quæ maxima sunt, & morte si bene extimentur deteriora, & tanquam priuata mala, quæ tamen adeò frequentia sunt ut publica merito dici poßint, missa facio: tribus aut quatuor filijs paruulis, media hyeme frigore & fame confici, nec posse auxilium ferre miseros parentes, in summa omnium egestate, irritis laboribus, ægram mentem ac corpus ob indigentiam sustentantes, nullo uitio, nullo scelere, nullo etiam errore, an nõ miserius est hoc supplicium atque spectaculum piscina Pollionis (quam tamen Augustus ipso statim momento postquam resciuit compleri iußit) & crucibus? nam in illis non pueri coram parentibus, sed uiri, non omnino sine errore, plerunq; non sine uoluntario scelere, non diutino cruciatu, sed quantum immanium dominorum oculos satiare posset necabantur. at hic pluribus diebus extenditur.

Ergo non minus est liberorum infœlix conditio quam


quam seruorũ, imo dirior prout in utroq; genere lusus fortuna. Vix uidere me nõ nugas agere. Lex erat apud Iudæos quam Turcæ & ipsi nunc obseruant, quicunq; mitiores sunt, ut post septimum annum seruus liber esset addito etiam uiatico, si manumißionis conditio arrisisset. Et tamen plures erant & nunc apud Turcas futuri essent, ni diuersitas religionis & Christi amor certè dignus, ut eo maiora relinquantur qui seruitutem libertati præponerent: nec manumißionis beneficio utebantur. Nam & quintum commodum in hoc esse cernebant, scilicet maiorem pietatem, integrum Dei cultum, seu aduersa & duriora perferendo illius amore, seu charitatem uberiorem erga dominos exercendo, seu contemplationi firmius insistendo, uoluptatibus omnibus ualedicentes quæ in libertatis solutis uinculis & impotenti euagatione animæ repositæ sunt. Vnde Phratiarum institutio orta est.

DE PHRATIIS.



SIQuidem hi sunt de quibus uerè dixisse Seneca potuit, paucos seruitutem tenere cũ multi à seruitute teneantur. Hi sunt qui seruitutem tenent qui diuino amore Phratrias ingrediuntur, uoluntariam subeunt seruitutem & breuem, ut perpetuò libertate secura fruantur. Seruitus difficilis est, quoniã inuolun-

inuoluntaria est, ideò qui uoluntariè in Phratriã se con ferunt nihil durum patiuntur. Quid durum esse potest Deo seruire, intra metum se continere? Si lupi atq; leones ubiq; uagarentur & homines discerperent, an nolles cõtineri etiã per uim in arce munita, ut tutus esses ne dilaniareris? Natura uitiorum etiã infinita, est enim prolapsus quidã. qui dixit uitia esse circa extremũ, uirtutes circa mediũ, utinam tam perfectè rẽ explicasset, quã uere dixit? Finge collẽ ex toto decliuem à summo,



sed in uertice planũ duo tantum habentẽ latera, scilicet ut oui figurã superius plano dissecti referat, at latera nullis impedita obicib. labatur in præceps, hinc auaritia illinc prodigitas: in medio cõsistat liberalitas. Vbi è medio excesseris, paululum in imum prolaberis cuius nullus est terminus aut finis: sed quo magis dilaberis eo capatius spaciũ erroris ac uitij inuenis. Certè ueri admodũ amicus sum: si fieri posset ut homines in uitijs cõsisterẽt, nõ adeò uitiũ ipsum abhorrerem

horrerẽ. Sed poſtquã in ipſum prolabẽti uolũtas effrenis in infinitũ illud ſpaciũ abſq; ullo retinaculo uagatur, incerta loci, incerta ſui, pro lucro quis nõ ponat in caula cõtineri? Sed debẽt eſſe hæc uincula uolũtaria nõ ab ira, deſperatiõe aut parẽtũ ui iniecta. Itaq; de hisqui ſanè perſpecta re ingrediũtur hos ordines, nefas tractare puto, tãquã calamitoſis. quæ enim calamitas eſſe poteſt deo ſeruire? literis ac ſtudijs operã dare? uiuere ſine ſolicitudine atq; labore? tot habere egregios ſocios, multarũq; rerũ peritos, atq; ut ita dicã, ſecreta omniũ mortaliũ ſciẽtes? tutos eſſe ab ira principũ, improbitate magiſtratuũ, iniuria petulantiũ, peregrinari in oẽs terras ſumptu alieno, ibiq; domũ paratã inuenire? uenerari apud oẽs tanquã diuos? cobibere noſtros inimicos, atq; hoſtes ſcilicet effrenes cupiditates perturbatiõesq; animi ac peccata? omni cura uacare? ſi ſanus es multos hilaritatis ſocios habes: ſi æger nullos uides lachrymantes ſed plures hortãtes atq; cõſolãtes? Verùm qui eo cecidit nõ iuit impulſus eſt, nõ ingreſſus multa obijciet incõmoda, poſtquã pœnituerit cognita? pupertatẽ, ieiunia, uigilias, aſsiduũ orãoi morẽ, ſeruitutẽ, ſolitudinem claudi in domo tanquã in carcere, inuidiã, inſidias, contumaciam, quorundam ambitionem, inter illos ſumma odia, perpetua ſupplicia, aſsidua ac pœnas acerbas, ſuperiorũ crudelitatẽ: deniq; quod maximũ eſt nõ poſſe unquã liberari à ſeruitute abſq; ſumma infamia, perſæpe etiã ſi uelit cũ ea. Verũ hæc omnia dulcia efficiũtur,

atq;

atq; facilia si eo modo accipiantur, quo qui sponte ingreßi sunt collegium illud sacrum. Si tibi animi immortalitatis spem certam proponas, omnia libenter patieris. nam de uitæ breuitate, de mortis neceßitate tam certus esse potes, ut nihil amplius. Verùm animi immortalitatis tot sunt indicia, tot argumenta ut dubitare non poßimus.

„ Inter reliqua uide quid Seneca dicat? Et mors quam
„ pertimescimus ac recusamus intermittit uitam non eri
„ pit. Veniet iterũ qui nos reponat in lucem dies, quam
„ multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea dili
„ gentius docebo omnia quæ uidentur perire, mutari. æ-
„ quo animo debet rediturus exire. Obserua orbem re-
„ rum in se remeantium, uidebis in hoc mundo nihil ex-
„ tingui, sed uicibus descendere ac resurgere. Aestas abit
„ sed alter annus illam reducit, hyems cecidit, sed illam
„ referent sui menses. Solem uox obruit, sed ipsam statim
„ dies abiget. stellarum iste discursus quis præterierit re-
„ petit. pars cœli leuatur aßiduè, pars mergitur. Et quan
quam æternorum sit hæc reuolutio, profundius tamen discussa declarat reditũ hũc animorũ nostrorũ. nec perire quicquã sed intermittere, uelut & in plãtis dum folia, fructusq; decidunt. Si igitur de uita illa æterna cogitas omnia suauia uidebuntur. Accusor falsò, calumnior atq; insimulor, in carcerem detrudor, cogor inedia fateri quæ nec cogitaui. Hoc enim est summum apud illos malum. eò tamen tendunt hæc omnia, ut potius di-

gnitate

dignitate te spolient quam ut sæuius puniant. Quorsum fastu illo indiges, quorsum magistratu si eò te contulisti ut omnino quiesceres. Via hæc est ad salutem certa, in quam te inimici protrudant. Si peccasti? non pecca: si non peccasti? uel ob offensam, uel ob inuidiã te accusant. Si ob offensam cuiquam, caue ne in aliquo excellas. humilitatem profiteris? fac ut propior sis contẽptui atq; despectui quam honoribus & fastui. Improbi est Deo mentiri illum uelle fallere, non fallas non mentiaris. ταπεινοφροσύνην exerce. At urgeor fame, pereo, iam duobus diebus nihil prorsus edi, ante uerò panem & aquam? Dicas cum Paulo: Non sunt di- "
gnæ huius Mundi molestiæ ad cõsequendam æternam "
gloriam. "

Quicquid pateris etiam immerito paruum est, ut dignus sis cœlesti regni participatione. nullum hucusque tamen fame interijsse audio. Imitare beati Phratij illius mores, qui cum accusaretur à puella quod illam cõpreßisset, atq; puerum quem in utero habebat procreasset: natum & ablactatũ apud se aluit. inde cum mortuum iam Phratrium lauarent, inuenerunt esse fœminam. Ita gloriosum diuina colenti esse mitißimum & omnia patientem, et alijs excellere potentia, dignitate & autoritate. Vincere omnes ut ad gloriam hominem ducit, ita ex aduerso latus est aliud gloriæ, non minus optandum & singulare ab omnibus uinci. At melius esset dicis ut huiusmodi calumnijs obstarent? utq; non

suspecti iudices statuerentur, ne quis insons infamia aspergeretur? imò non? nam claustra ut fores magis obstreperent, & uirtus patientiæ non adeò in bonis floreret, nec malis improbitati libera adeò uia pateret. Ex omnibus ergo calamitatibus Phratrius tria illa optima, propter quæ ei ordini se inseruit, quæ etiam uerè bona sunt & apud Deum in precio, & apud homines sapientes uitæ innocentiam ταπεινοφροσύνην & patientiam auget & colit, & rusticus uitam fœcundam ac pulchram.

Inde etiam apud plebem celebratur. Sepeliri autem uiuos, & atrocia supplicia pati, aut nunquam cõtingit aut rarius inter hos ordines, quam apud iudices nostros excarnificari, rotis inseri, uri, lacerari ab equis, uiuos à carnifice diuidi, pali transfigi, transuersim serra secari. nec uerò id contigit nisi in uitæ indignißimis, & ob maxima scelera, ut etiam apud nos mortes truces. reliquæ disquisitiones ad ueritatem eruendam, carceris teter horror, fames, sitisúe multo mitiores sunt eculeis atq; ignibus talis linteo quam diuturniores. Cæterùm supplicia ipsa confeßis sine comparatione minora, & raro ad summum perueniunt.

DE CARCERE.



Erùm cum carceris mentio habita sit, de utilitate illius dicendum est. Illius tria sunt genera, libera custodia, uincula, triremes. liberæ custodiæ multa sunt genera

genera, cum tota urbs aut arx: aut arcis pars, domuncula pro custodia est. Vinculorum & triremis duo genera: quædam enim sunt cum labore, ut uincti ad fodinas & secandos lapides & in triremibus remiges. alij autem non nisi uinculis coërcentur. Horũ etiam duplex genus, nam quidã ad pœnã sic solũ damnati sunt, quæ nunc in usu non est: alij uerò ad custodiam quibus tormenta solent ad eruendam ueritatem adhiberi. Dicam ergo primum de his quibus uincula ad custodiam iniecta sunt, nõ pœnæ gratia. Ergo in his tria hæc semper se habent eodẽ ordine, cõfeßio, damnatio, supplicium. Cur ergo cum tam negare poßis quam confiteri, mauis fatendo damnari et suppliciũ pati quam negando liberari? at dices timeo tormenta, nec pati possum? audiui à podagrico, eculei dolores podagræ doloribus esse persimiles. nihil durum esse potest, nil acerbum ex altera parte metuenti mortem, ex altera salutem ac libertatem speranti. Fœda res est torqueri, & miserabile spectaculum? sed fœdißimum ac terribilißimum damnari ad mortem, ut contra pulcherrimum exire liberum. in quo uel laudaris ob constantiam apud eos qui te reum fuisse putant, criminis aut iudices damnantur, quòd innocentem frustra cruciauerint. l. Qui sententiam Cod. de Pœnis.

At non confeßos etiam damnant si conuicti sint? conuicti dicuntur uel spontanea confeßione de qua nemini dubium esset debet, nisi ubi de facto non cõstaret; aut constaret de stulticia uel nimio amore alte-

te bonorum qui in uinculis est, sanè & si omni etiam iucundo priuaretur destitutus esset. Sed non omni iucundo caret, uinctus habet horas somni, cibi ac potus cum liberis communes. Plura scio recitaret nobis Andreas Matthæus Adriæ Princeps tanquam expertus, ut qui in carcere, ut audio, perpetuis tredecim annis fuerit, scripsitq; de Vtilitate ex aduersa fortuna librum elegantem. Sed cum ad nos non peruenerit, methodo satisfacere conabor. Certè societas illa exigua, tametsi prandij ac cœnæ ijs iucundior uideri solet quam liberis. Omitto reliqui temporis æstimationem illam stoico supercilio dignam & inanem, omnes scilicet in mundi carcere esse. illum ego cubiculi unius eis relinquam, hunc quo ubilibus uagari possim, mihi quoad licuerit retinebo. Ergo uera non solum sed euidentia sumamus. reliquo tempore patientiam, ut diximus, omnium uirtutem nanciscemur & ocium. Ex ocio ipso consilium & studium. ex studio eruditionem, ex consilio prudentiam nobis comparabimus. Breuis temporis carcer uitia multa corrigit, cautiores ad pericula facit & uoluptatum dulcedinem auget. Breui tempore Marius, Cæsar, Castrutiusq; in uinculis fuere, nec id postmodum aut gloriæ illorum, aut factis aut dignitati obfuit. Quinimo ex eo acriores & uehementiores euasere. Auenzoar infimæ sortis homo duobus annis ab Hali Regulo in carcere detentus, acrior exiuit hostis quam ingressus fuerit.

Sarra Columna Cardinalis nónne post diuturnum omne calamitatis genus quo à Põtifice conflictatus est, ipsum eundem pontificem mori coegit. Melchuaser Aegypti dominus è carcere detractus in regno consenuit. Matthias & Lusignanus è uinculis ad regnum Pannoniae peruenere, in quo mortui sunt. Ludouicus duodecimus Galliae Rex, quo nemo nostra aetate clarior aut melior diu ante in uinculis fuit. Ioannes etiam huius nominis uigesimustertius Pont. Max. è solio deiectus, inde in uinculis detentus, rursus Cardinalis factus in eadem dignitate obijt.

Nostris temporibus Ioannes Iacobus Medices è carcere Prorex Bohemiae & Dux exercitus aduersus Turcas, & pro Caesare in Hetruria magna gesta gessit. Palauicinus Vicecomes antistes cum in carcere duodecim annis fuisset dux militum euasit, & Caesarianos quibus potuit modis afflixit. Qui à libellis est, Regis maxima haec est post prouinciae praesidem dignitas. cum in carcere duobus annis fuisset, euasit retenta dignitate, & penè aucta. E triremi Alphonsus Daualus Istonij princeps captus armis, lingua coepit uictorem, nec ulla re Caesari utiliore cum Regem maris Andream Dauciam illi conciliauerit. Dragutus cum captiuus non posset se redimere, in scopulo se abdidit. agnitus post tertiam diem extractus est. Cõtemptu uitae (nam trib. diebus iam à cibo abstinuerat) effecit ut parua pecunia se redimeret, liberatus multa gessit, & maiorem potentiã ac nomen

men sibi peperit. Quid dicam de generoso illo carcere tuo? nam & in obscuris tenebris dubiáque luce gloria principalium uirorum clarescit, & ut carbunculus fulget. cum enim quinque mensibus in illo indignißimè detentus fuisses, quid aliud egerunt qui nomini tuo ac uitæ insidiabantur, quam quòd ex una parte patris tui & fratris fidem dignitatemque apud Gallorum Reges, qui tum regnabant ostenderint. tuam uerò innocentiam, fidem, prudentiam ac fortitudinem erga Cæsarem? Itaq; & merito honorib. dignitatibusq; semper & à Cæsare & Philippo Rege Hispaniarum potentißimo eius filio decoratus es. In quibus tam integrè, tam constanter ac splendidè te geßisti, ut omnium non solum prouinciæ præfectorum, sed etiam procerum, regiorum gratiam promerueris. Vt qui tamquam Gallici nominis fautorem odio haberent, nunc ut uirum eximiæ probitatis ac uirtutis colant ac uenerentur. Et Eranciscus Ferrandus Aualus prouinciæ præses, eius cuius iussu ob Strozzæ uanam suspicionem detentus fueras filius unicè te amet & diligat.

Iam cum carceris eluuies omnes corporeas uoluptates abigat, tanto diligentius curandum ut animi deliciæ quæ corporeis præstant augeantur. hæc constant sapientia atq; uirtutibus. Vbi euaseris sarcire oportet quòd periјt potentiæ, gloriæ, soboliq; operam dando. Verùm hæc postea.

In primis conatibus non minus laudanda est uirtus Nicolai Gomberthi quam fortuna. Damnatus enim ad triremes catenato pede Cygneas illas cantiones meditatus est, quibus non solũ libertatem à Cæsare omnium inclytorum uirorũ fautore, sed etiam pingue sacerdotium quo reliquum uitæ tranquillæ duxit promeruit. Difficile hoc Gombertho non fuit, quoniã meritas pœnas patiebatur. at in iniuria & iniusta calamitate semetipsum colligere, forsan plusquam mortalis ingenij atq; humanarum uirium negocium fuerit. Memoranda tamen exempla contigerunt etiam temporibus nostris. Et maximè in Regina Anglorum, quam Maria & ipsa Regina uxorq; Philippi Regis nostri necessario occidit. Misera tamen omni literarum genere culta, nec Regni cupida, parentum potius importunitate & mariti scelere rea facta est. cum proculdubio non debitum sibi regnum Nortumberlanus princeps ea media inuadere tentasset. Ergo fortis animi & miserabilis fortunæ, & eruditionis suæ exempla illa edidit. Aliquanto iniustiora paricida Hieronymus Olgiatus scripsit numeroso pede, latina Italicaq; lingua. Ergo si hæc etiam sceleratis proderint, gratum mihi futurum est, non tamen huiusmodi hominibus hæc scribuntur.

Carceris ergo huius stabilis septem sunt genera παιδευτήριον eiusmodi plura in Gallia Belgica atque Narbonensi ac Aquitania uocant collegia: φυλακτήριον ubi solent asseruari suspecti uiri & nobiles:

κιγκλὶς

κιγκλὶς ubi oppreßi ære alieno, κολαστήριον cuiuſmodi apud Venetos plura, ubi damnati ad necem puniuntur, & Romæ Tullianum à Seruio Tullio conditũ. Eiuſmodi apud Meſſenios Theſaurus ubi nullum oſtiũ ſed ſaxo claudebatur, apud Perſas Lethes & Robur. Γοργύρα ſeu γοργύρη horrendus ſub terra, qualis eſt Turnus Modœtiæ Ἀνάκαιον apud Bœtos ſeu κέραμος, apud Cyprios ingratorum libertorum & ſeruorum carcer, credo quòd ibi æra funderentur & liqueſcerẽt. Ὀρκάνη ubi iuuenes nepotes corrigebãtur cuiuſmodi noſtris temporib. Florentiæ Stinchæ. Barathrũ uerò apud Athenienſes non carcer, ſed locus ſupplicij quo præcipitabantur, ut apud Lacedæmonios in Ceadam. talia audio eſſe apud Venetos, & in arce noſtra. Ergo ſi Carcinomata ſecamus, urimus, ut corpus ſeruemus, non minus utile erit carcere ſi animi uitia corporeis moleſtiora reſecemus ad uiuum. Socrates quamuis ad mortem damnatus carmina in carcere cõdidit. ſcilicet oſtendens, ne tantillum temporis nobis debere perire. nam à ſuprema die, an aliquid ſit periturum incertum eſt.

Franc. Gadius ordinis B. Auguſtini Phratriusex his qui lineam albam ſubuculam ferunt, dum damnatus eſſet à ſuis, magnis contentionibus philoſophiæ diuinæ operam dedit, cum antea non feciſſet, ut incertum ſit, an melior in uinculis, an beatior liber fuerit. Si quidẽ his toti ordini præfuerat, Durum ſanè eſt in libertate

assueto, premi carcere, sed ubi nam tranquillior & firmior meditatio esse potest quam in illo? Chartusiani sacerdotes quam parum à uinctis absunt: quam parum etiam absunt meditationes Dionysij iunioris qui ex illis fuit à diuorum scriptis? & quam multæ? unde hoc? ocium & diuturna tranquillitas. Animus quippe noster ueluti puer est, qui eo magis proficit, quo magis uinctus & sub custodia detinetur. Carcer autor est modestiæ & parcitatis, humilitatis ac taciturnitatis. Vnde à carcere liberati multo meliores efficiuntur. Quosdam uidi qui ob uincula adeò in melius mutarunt mores, ut nec sancti uiri uel philosophi admonitionib. adeò mutari potuisse diceres:

Carcer & inedia exprimunt mores, & ut ille dicebat,
Venter negatas artifex edi uoces.

Reliqua enim suadent.

Quid ergo si carcere tibi, tuisque, atque alijs: tamen Reipublicæ in posterum utilior fias? nónne præstiterit fuisse in carcere? aut si non uidetur? post quam necessario id tibi contigit hanc tantam utilitatem non neglexisse? Nónne pueris conducit in ludo literario uigilasse, tenuiter ali, uituperari, cædi, inde ægregios uiros euadere, potius quam in delicijs educatos, nullius postmodum precij aut existimationis esse? Obijcies forsan carceris incommoda, tenebras, solitudinem, angustias, squalorem, pedorem? quæ si potes perferre utilitatem doceo, si

non

non, ad communia de quibus dixi auxilia atq; solatia recurre. Pete suppliciter quod petere pios à deo dignũ est, non ut libereris. nam & Therameni quamuis è triginta tyrannis unus esset suspectus fuit cum solus è domus ruina euasisset, sed quod optimum est. interim tu mente uotum solenne uoue de abstinentia à sceleribus iuxta uires tuas: ut iusticiam tuearis & mansuetudinem, ut miseris pro fortuna tua opituleris, ut omnibus qui te miserint non improbitatis causa, sed quod te uel improbum, uel indignum uel suum inimicum esse existiment, ignoscas: ut si quæ damna clam aut per uim immerenti intuleris resarcias, ut cures artis tuæ summam peritiam assequi, ut quæcunque bona habes accepisse à Deo precario memineris. Tui uerò domestici amici clientes omnia peragant, quæ ad liberationem necessaria sunt. atque ea quam diligentißimè poterunt.

Porrò artes ac studia quæ captiuo solatium afferunt, sunt trium generum: aut quæ spem æternæ nobis lucis præbent, ut Theonoston, & meditationes Eremitarum, & historia eorum qui uoluntariam mortem pro Christo subiere, in quo genere etiam sunt opera Henrici Susonis. Noli hæc spernere stulte? noli suspicere horum beatorum felicitatem, uana omnia, & ut stipulas aut uirgultum humanæ miseriæ riæ excutiet & confringet? aut ignis mortis absumet, species sunt laruarum & fucatæ beatitatis,

non

non res aut ſtabile aliquid bonum: gratulare tibi etiam ſi felicem te arbitrabaris hæc intellexiſſe. ridebiſq́; luctus hominum, & fruſtratas tot mortalium ſpes, atque inconſtantem in ſingula momenta ſtatum. dicitoq́; ego deterrima nunc patior, non niſi meliora expectare poſſum: hi omnes optima experiuntur, nō niſi deteriora ſunt illis expectanda. In ſecundo genere ſunt quicunq; facilem nouorum problematum aut theorematum inuentionem præbent, ut Geometria atq; Arithmetica. Ea enim inuentio multum delectat, & intenta cogitatiōe obliuiſci ærumnarum cogitat. Tertiū genus eſt illorum quæ per ſe delectant, ut Chelis aliorumq; inſtrumentorum diligens & accuratus ſonus: in quo diſcendo magis moleſtiam depellimus. Poëſis uerò uidetur & inuentione & natura rei ſolicitudinem leuare. Nam nouum aliquid facile inuenit, & meditando proficit atq; delectat, paucisq́; libris indiget. Ob id quæ ut dixi, Socrates & Olgiati damnati ad mortem illi operam dedere. Nicolaus uerò Florentinus cum in carcere eſſet, in φιλακτηρίῳ imò ὀρχαύῃ potius per ocium grande illud medicinæ opus conſcripſit. licet & diſcere nouas artes ac ſcitu iucundas, ut Architecturam, magiam naturalem, Aſtrologiam quæ de prædictionibus agit.

Quamobrem ita agendum eſt, ut dum liber es ſi hæc nō diſcere uacauit, liceat quandocūq; opus fuerit id agere, & tuo marte aliqua excutere. Paulus in uinculis

culis scripsit ad Colossenses, Ephesios, Philippenses, ad Philemonem & secundam epistolam ad Timotheum. Egnatius omnes epistolas qui post quintã extant. Boetius quinq; illos libros de Consolatione. Ex Phœdonis initio & Xenophontis autoritate colligitur apertè Socratem dum damnatus esset ad mortem, in carcere de philosophia cum amicis quotidie disputasse. Sed nihil mirabilius commento Demosthenis, cui cum clientes tempus studiorum eriperẽt, nouum genus carceris sibi indixit. præcisa enim dimidia barba effecit, ut neq; in publicum prodire posset, nec quenquam admittere, qua ratione durior hic carcer fuit etiam eo quo damnati ad necem seruantur, nam ad illos amici uentitare sæpe solent.

Quinetiam effecit ut certum temporis spacium, nec breue sed quantum ad æquandam barbam sufficeret expectare cogeretur. nam neque eradendo reliquam partem liber erat, siquidem non magis illis in publicũ ire licebat sine barba quam sine pallio. Iusticium erat uel luctus prodire in publicum sine barba, ut superius docuimus. Quæcunq; igitur sapiens ille bona tanta industria emebat, scilicet solitudinem, usuram temporis, libertatem animi, eruditionem, meditationem, utq; demum sibi uiueret, tu ultro oblata ne neglexeris.

Verùm obijcies, forsan carceris pœnas morte deteriores esse, ut illud Tragicum:

ELEC. Concede mortem, CLY. si recusares darem.

Rudis etiam tyrannus morte qui pœnam exigit.
ELEC. Mortem aliquid ultra est?
CLY. Vita si cupias mori.
Arrtpite famuli monstrum & auectam procul
Vltra Micenas ultimo in regni angulo
Vincite: septam nocte tenebrosi specus
Vt inquietam uirginem carcer domet.

" Tum illud Boœtij succurrit: Nihil ne te ipsa loci facies mouet? Hæccine est Bibliotheca quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipsa detegeras. Et Saxo Grammaticus. Deinde productum accusatúmque nec obiecta ualde propulsantem, perinde ac conuictum compediri à militibus iubet: qui indebitam regio sanguini contumeliam suis manibus administrandam negabant: cuius tanta apud ipsos ueneratio fuit, ut ex eo ortos morte quam uinculis multare mallet. Tolerabilius rati quod communis conditio admittit, quam quod seruile supplicium exigit. Sed & gentis nostræ uerecundia, summam in uinculorum pœna turpitudinem reponere consueuit: hisque affici fato omni tristius ducit.

" Ingenuas mentes probroso quam cruento supplicio puniri attrocius existimans. Tantúmque alterum altero speciosius censens, quantum naturæ habitus à fortunæ uitio distare creditur. Et rursus paulo post: Sed & autorem quendam splendidissimo loco natum, Falstriam & Sialandia petentem, morique

que quam capi præoptantem occidit. Enimuerò ingenita Danico ſanguini uirtus captiuitatis ſortem omni fato triſtiorem ducit.

His autem breuiter ſatisfaciam. non ſunt hæc argumenta atrocitatis carceris, tum maximè quòd neque perpetuus, nec cum tormentis aut grauis illis futurus erat, ſed facilitatis contemptus mortis. nam & Romani teſtantur Germanas fœminas ſe ſuóſque infantes ſuſpendere maluiſſe quam ſeruire, nec tamen ſeruitus adeò atrox eſt, quam tot millia hominum ſubierunt, tótque annis pertulerunt: ſeu in ea nati, ſeu quòd maius eſt è ſummo ſtatu atque felici in illam delapſi. Sed cum mors omnis ſit abſque ignominia & poſt ſine dolore, metu, & quòd maximum eſt fermè careat ſpectaculo felicitatis & potentiæ, ac uoluptatis inimicorum, quòd acerbiſſimum eſſe ſolet, præſertim cum illa indigni fuerint tanta fortuna & te iniuſtè oppreſſerint: ideo fortibus uiris & philoſophiæ ignaris omnibus alijs incommodis prælata eſt. Sic Cato, Brutus, Caßius, Antonius, alijq́; abſq; numero etiã præter illos quos ſuperius recitauimus, cum nil deterius expectare poſſent, mortem ſibi conſciuere. At qui res ipſas diligentius rimatur non eò perueniet, ut neglectis non ſolũ ſanctißimis Theologorũ, ſed etiã ſalutarib. philoſophorũ præceptis inde petat ſuffragia calamitatũ, unde uideamus cuncta refugere, exiſtimareq́; in eo repoſitã felicitatẽ, quod omniũ eſt terribilißimũ.

Nam

Nam & Socrates quamuis damnatus, nec Aristoteles tametsi exul & patriæ inuisus, nec Theophrastus ultimo senio inutilis: aut Epicurus montis laudator magnus, quamuis intolerabilibus uesicæ & intestinorum doloribus & absq; uitæ spe premeretur, mortem sibi consciuerunt. At carcere arcto detineor, & iniustè? inimici mei indignè fruuntur summa potentia, atq; delicijs liberi cum filijs suis? Sit ita, cogita primum quam celeriter omnia reuoluentur, considera non illos tam beatos esse ut existimas: sed eis contingere quòd in pōpa transit, omnes pulcherrima exponūt, è regione suæ domus intus nihil relinquitur nisi uile, sordidum, inornatum, fœdumq;. Quid enim si latrinæ & cloacæ thesauros exponerent? sic, ut superius dixi, etiam in corporibus nostris tot fœda sub una splendida cuticula natura occuluit. Cogita mœrores, timores, luctus, curas. Si orbi sunt quorsum tanta? si adsunt filij mali? Quid miserius? Si boni, quantum metus & solicitudinis pro illis: & quæ tam illorum quam reliquorum posterorum infinita cura? Cogita illorum conscientiam? Diuinam adrastiā? Demum quòd maximū est, non esse hoc humanum semen sparsum in hunc orbem, ut ex eo colligerētur inanes incultæq; spicæ & quæ tantum floruere: sed ea solum grana quæ per summos labores, presso altius semine densa operum uirtutis segete solido corpore, farinæ plena orta sunt. Hinc sudores & uigiliæ senū: illinc patientia iniqua mortis iuuenum probantur.

Hæc

Hæc cum tecum reputaueris, facile & tuam et illorum fortunã feres, nec eis inuidebis. Considera nunc quid interfit inter Egnatium & Domitianum? inter Neronẽ & Thraseam? inter Antonium & Ciceronem? horum memoria colitur, illorum aspernamur. Hos sedibus piorum lætos uiuere certò credendum est, illos longè maiores luere pœnas quam fuerit uoluptas in flagitijs. Siquidem pœnæ non solum pro patratis sceleribus, sed etiam excogitatis quæ perficere non potuerunt, quæ multo plura sunt exiguntur.

Mobilis autem carceris etiam si cum remigatione sit, multo plura solatia sunt quam huius tetri. nam & societas laborem minuit, et regionum uarietas, nouaq́; terrarum ac cœli facies, mores, leges. Indicio est, quod apud Venetos omnes uoluntarij ferme sint epibatæ. At catenatus sum? Si eundum est par conditio & carceris nam freto non catena detineris, & laboris. nam remigare etiam illi coguntur, quanquam liberi sint. Si quiescit triremis catena illa nullum tibi laborem adijcit. nullum ergo incommodũ affert catena. at dices in portu adimit libertatem? non semper, moris enim est ut custode adiecto Christiani inter Maumetanos, & Maumetani inter Christianos quolibet uagentur. Verùm paucißimis uiris generosis hoc infœlicitatis aduenit ob damnationem, sed solum cum ab hostibus capiũtur. tum multa te solantur & spes redemptionis, & innocentia uitæ, & multitudo miserorũ. Interim uerò mul-

ta disces noua, & quod maximum est paruo cum præsidio lætè atq; iucunde uiuere.

Quòd si exire contingat, non ut prius uel ignauia pueri, uel fractus urceus, uel muscarum tædium molestia te afficient: interim uerò captiuus morositatis tuæ sed sero memineris. disce ergo multa læuia, multáque communia in tota uita per teipsum absque tanto experimento ferre.

DE TAEDIO MVLTIPLICI.



ICEBAT Seneca, si rectè elegeris quod agendum sit, & moderatè uerò concupiscas, beatus his duobus præsidijs eris. Id quam uerißimè, quoniam rectè eligendo uitæ beatæ munimenta adipisceris: moderatè uerò concupiscens læuibus aduersis, atq; erroribus quibus tota uita humana plena est non torqueberis. Calicem confregit? si calicem plus æquo non amares non irasceris? Nec est quod multitudinem aduersorũ accuses, aut illorum uarietatem. eadem est ratio unius ac mille. fateor diutius implicitum te retinent ac magis uexant, sed tamen ea patientia qua unum fers feres & mille. grauia, periculosa, atrocia difficile est ferre, multa augent molestiam non dolorem aut cruciatum. Sentire huiusmodi

modi titillationẽ læuiũ molestiarũ uacui animi est indiciũ. Qui semel magno pondere calamitatis pressus est ut luctus aut seruitutis aut carceris, nihili facit hæc exigua impedimenta. Hoc solum me grauiter afflictum cognosco, quòd pauca me moueant, à paucis afficiar molestia. Beatus est quamuis non deprehendat hoc, qui à minimis torquetur. quod quasi satyra illa: Ibam forte uia sacra, Horatius insinuat. Ex tam læui enim re tantum molestiarum sensit. Si callum manus obduxerit, non solum fila trahendo non sentit sed uix ignes. lætare quãdiu minima ferre nõ potes. certus es adhuc ignorare te calamitatis nomen. nullum ergo felicitatis certius signũ quam sæpius et à quacunq; causa molestia affici. Si omnia animaduertas, finem nullum huiusmodi miserijs inuenies adeo numerosæ sunt: noctu cimices, pulices, culices, ranæ strepentes, canis uicini eiulans, cubiculum æstuans, aues infaustæ, omnia luctuosa, uigiliæ ipsæ, somnia horrida, curæ. die uerò clientes aßidui, frequentes interpellatores, amicorũ officia, præcepta magistratuum, rixæ leues, importunus uicinus, fama non bona, negocia non intermittentia, contentio cum plebeijs sordidijsq; hominibus, muscæ. In domo, equus ferus, contumax seruus, suspecta familiaris ac domestica persona, sordidus puteus, puer fugax aut deceptor, in itinere pluuia aßidua, ocreæ dissutæ, latronum metus, equus claudus, uia cœnosa, circa rem, uása fracta, cadi stillantes, uinum corruptum, papiliones

frumentum exedentes, murium damna, grando, pruina, tectum aquam remittens, picturæ, tapeta, argenteáque uasa mutuo data nec reddita: Fortuito quoq; amicus adueniens imparato, bellorum rumores, uinum aduectum non paratis cadis, merx in ripa sine uectoribus ac gerulis, calor urens, frigus asperum, niues præaltæ, domus ruinosa, nebulosus aër, fulgura frequẽtia, ebriosi domestici, alij ægri, suspiciones uariæ, consanguinei qui te exedunt. Hos tandem, ut ab eis initium ducam aliqua techna, si moniti non desistunt depellere conuenit. ibis tu ad cauponam & nihil emes, aliàs aloem immiscebis cibis, ut ueneno peritos se existiment. scripsimus in hoc argumento librum satis locupletem. Muscas, culices, cimices, pulices, pediculos, ranas, serpentes, aqua, igne, cinere mundiciéq; pelle. cimicibus obstabis lectulo subducto, ut lectus pauimento incumbat, pulicibus ut sit pensilis, uigilias lætis cogitationibus, studijs, colloquijs, picturarumq; amœnarum aspectu, compensabis. aut propulsabis cantu áquarum, nemorum, montium solitudinumq; picturis, susurro aquæ, balneis crurum, odoribus atq; unguentis suauibus ac soporiferis, aniliumque fabularum narratione, tum cum poeta:

Adde merum uinoq; nouos compesce dolores:
Occupet ut fessi lumina uicta sopor

Cæterùm uigilia cogitationum est mater, ijsdemq; & occurrimus tædio, & res nostras rectè disponimus,

& somnum conciliamus: adeò ut semetipsam conficiat. Mutuum uerò si non restituitur, disces in posterum quæ preciosa sunt abscondere, impudentium & pauperum familiaritatem deuitare. Infamiæ læui ne ardentius occurre, ne dum extinguere niteris, uelut follibus lumen extinguendo accendas. sed ea te docebit quomodo grauem effugias si non uana est, aut si uana, quam tibi & à quibus sit cauendum, quanquam malè acceptus sis à ciuibus. Negociorum aßiduitatem non inter mala numerabo, si ocium calamitas est. famillares, famulos, domesticos, pueros ebriosos, fallaces, cur est ut uelis retinere? an deerunt qui huiusmodi uitijs careant? Cliẽtium & amicorum officia ad gloriam pertinent, si tamen te grauabunt facile est huiusmodi & negocia ipsa intermittere, eundo rus, uel urbes alias inuisendo. Pluuia aßidua & tempestates & gelu commoda sua præbent etiam rusticis, nedum nobilibus:

Frigidus agricolam si quando continet imber
Multa forent quæ mox cœlo properanda sereno
Maturare datur. Durum procudit arator
Vomeris obtusi dentẽ, aut numeros impreßit aceruis.

Tum reliqua quæ sequuntur.

At ciuis in itinere omnia interim sua reparabit, rationes subducet. raræ autem sunt, aut non diuturnæ tẽpestates, quæ hominem bene munitum ocreis, pileo, penula uel lacerna & equo generoso impediant iter. Quòd si domi fuerit quæcunq; omisit diebus serenis

 peraget:

peraget: atque sic non leue temporis compendium faciet, frumentum, uinum, suppellectilem totam ac domum curabit, lineas uestes, gausapia, mappas, lintea magna lecti, parabysta. omnia deniq; quæ ad usum pertinent numerabit, uidebit, reparabit, diligentiúsque aptabit ac recondet.

Circa mures, equos multa à nobis in naturalibus dicta sunt. Sic & de papilionibus horreum infestantibus, quos scopis & frumentum agitando tolles. declaratum est enim, quod omnia hæc tum à calido tum à simili generantur. Si merx in ripa detinetur, si uinum perit, quoniam cadi nondum sunt parati, excusationem habes minuendæ impensæ. diminutio utilior est quoniam perpetua, mercis iactura semel aut bis contingit. Intempestiuus hospitum aduentus te monebit, ut discas parcius ac rarius domum aliáque offerre: quandoquidem multi eo animo offerunt ut non recipiant. Dicam autem quid aliquando à fide digno, tametsi ego non interfui audierim.

Ciuis quidam noster cum cuidam Gallo nobili dixisset ut solent, ego dono dabo (nam plus petieras iam quàm par esset, Gallúsque dum negabat) respondit Gallus per fidem meam ego recipio: atque rem ipsam sustulit, quæ satis magni precij erat & abijt, tamen mercator illum insecutus reprehendebat Gallum, quòd non numerata pecunia

satis

abiret: Gallus educto gladio occidere eum tentauit satis iratus, dicens, dono dedisti, inde me tanquam latronem tractas. Itaque mercator pudore, iure & minis superatus domum rediit. Simile quippiam de mercede artifici contigisse audiui. Cum uolueris hospicium polliceri, ita prius te appara ac domum ut cum uenerit cognoscat se seriò inuitatum. Dignus ego uenia eram qui Vicentinos quosdam, nec à facie mihi bene notos hospitari coactus sum, illorum impudentia uerecundiam meam superante. Alius quoque cum manicas ferreas mutuo sumpsisset, non nisi monomachia redditurum respondit: cum sub iudice agerem, ex urbe discessit.

Sed ad rem redeo: paratis è caupona quæ potes statim hylariter illos excipe. nec causeris temporis breuitatem, nam & eam illi norunt: nec tam te excusas quam illos accusas impudentiæ atque importunitatis. Et tamen hoc plerique faciunt. Si inuitasti, teipsum stulticiæ ac uanitatis arguis, dum minus peccatum uis emendare.

Quòd si amici sint, coges modeste ut apud te diem saltem maneant, ut quod deliquisti possis emendare. Præter cætera qui nobiles domo excipere repente posse uult, lintea habeat munda, domum ornatam, famulos elegantes & promptos ad munia obeunda, lectos paratos splendidè, uinum & caseũ optima,

tum panem artopyrum, bellariaq; nobiliora, ut oliuas, colymbadas, aut saltem Hispanicas, lumbos salitos, farcimina Thunni pisci uentres, dorsaq; & oua Attili: sunt qui malint acipenserem dici. Sic inexspectatũ hospitẽ excipere sine rubore potes. Si ruri sis, gallinas, columbos & gallos paucos alere licet. Dixi etiã superius cantionem qua excipere inexpectatos hospites licet: Sed amicos familiariter excipies.

Omina omnia, si Christianus, si uel etiam philosophus prudens, spreueris tuto. quoties è domus regione currus noctu cecidisse nisi sunt mihi? quoties ulularunt canes domestici? quoties crocitarunt corui, utq; aliàs dixi, unus etiam prætextam apprehendit, dum essem puer omniaq; irrita fuere. Sed si prope miraculum accedant, nónne plurimum gaudere debes genijs aut uitis te tamen charũ esse? seu moneant quæ expectanda sint, seu quæ præcauenda? At timeo inquis? timebis ne omina incerta, si certam mortem potes non timere? Frigus, calorem, niues, latrones, cœnosam uiam, ni Smindyrides Sybarita sis, quem aspectus fodientium terram fatigabat, non inter calamitates aut aduersa numerabis. Pol ille fertur uiginti annis Solem non uidisse Orientẽ nec Occidentem. Rosæq; stratum altius illũ delassabat. Cœnosa uia lucrum auget, niues altiores naturale robur confirmant. Domum ruinosam si inhabites nihil plus facies quam ego feci, imo minus. nam dum habitarem corruit, atq; in diruta aliquot annis habitaui. Ea

necessitate

necesßitate in Academiam me contuli, exædificaui subtrahens alijs impensis quod erogare cogebar. nescio an meliore an deteriore fato. Caliginosus aër parcitatis uictus te admonet. Plus potest sobrietas quam insalubris aër ni pestilens sit. Quid aliud est uita nostra bene acta quam puerorum lusus omne genus? mala uerò iter incertum atq; ignotum? In priore docemur ex præsentibus malis uitare & æquo animo ferre futura. Propterea optanda sunt plura mala, ac uaria & tempestiuè, sed non adeò magna ut te euertant.

Quid ergo utilius contingere homini potest multitudine malorum, qua & discat inaniora uitare, atq; inter tot & tanta celeriter & promptè ab aduersis se tueri? uelut cum nauta peritus inter multos uentos nauē erigit atq; ducit. Sic ergo ut ad rem redeā, morbi domesticorū illas obedientiores reddunt & temperatiores, quorū utrunq; non parū utile domino est. Occasionē etiam præbent ostendendæ bonitatis ac beneuolentiæ in illos. Mutatio autem famulorum frequens inutilis est propter ignorantiam morum utriusq;, & indecora ac periculosa. Somnia turbulenta sedat hiacynthus rubēs & adamas, ut alias dixi. Curæ solertem efficiunt, si sint superfluæ granati gēmæ, puluere ut tristicia pellūtur. Grando ac pruina rumoresq; bellorū inertib. & impotentioribus quantum nocent, tantum impigris atque solertibus prosunt, si ex malo alieno lucrari utile dici potest. Suspitiones cautum efficiunt: et dum unum

queris quod inane est & minimè metuendum, sæpe deteguntur ueræ insidiæ ueraq; pericula, nemo est qui non aliquot annis in suspitione uiuere non deberet: nam & cautus & temperans ac modestus uiuet, calidusq; efficietur, ac conuersationem familiaritatémque cum multis contrahet. res qua nulla est utilior ad actus humanos, & præsertim apud principes & in urbibus magnis. Sed ita cum suspitione uiuere decet, ut nemo securius uiuere uideatur. Sed ut inanes metus ferre decet, ita etiam labentes spes & diu expectata æquo animo, si nos frustrentur.

DE SPE ABRVPTA ET fortuitis calamitatibus.



Vanquam qui uere cõstans & bonus sit speratas res cõsequatur seu non, sæuienti fortunæ occurrere soleat non secus ac quadrantalia quæ semper erecta stantia excelsaq; uidentur: & molestiarũ, ut dixi, multitudo leuium sit quædam titillatio nõ uera calamitas. sint quippe quæ sub huiusmodi lateãt: nihilominus quoniã ipsa spes abrupta pluribus est molestißima, ob id in talibus fortuitis quid agendum sit, dicere nunc opportunũ est. Quibuscunq; igitur contigerit ut spes aliqua omnino fortuito & uiolẽter & inexpectato abrupta fuerit, cauendũ est quã diligẽtißime, si modo nõ prorsus salutẽ tuam cõtemnis ab omni occasione, quæ ex inexpectato illius

illius infortunij aduẽtu pendet. Exemplũ habes euidentißimũ in nuptijs adeò calamitosis filij mei, quæ tanto erãt magis metuendæ, quo præter omnẽ rationẽ & expectationẽ factæ fuerãt, ac singulari malo cõiuncta. nã si recepissem in domũ cogebar, cum nihil esset in reditibus præter 40 Philippeos aureos in singulos annos, & nec uel ex cõuentione unius aurei lucrũ, in singulis annis et expensis satisfacere solũ 70 prope lucrari, quam & si summã superarem. præcedenti tamẽ ad senium et cum tot conspirationibus initis, tum labore immodico uix fieri poterat, ut post duos aut tres an. soli impensæ satisfacere possem: morbo aliquo uel impedimentis retardatus, aut superueniente aliqua difficultate ex membrorum imbecillitate, cuiusmodi in senibus aduenire solent plurimæ. Velut hernia, quam pater meus patiebatur in senectute, aut fluxu urinæ, quẽ etiã morbũ in ultimo senio expertus est: aut flagrantia eiusdẽ, ut Hieron. Cardano Iurisc. qui etiam ex ea obijt: aut surditate uel uisus debilitate, quorũ causa medici solẽt iam cõtemni: aut podagra frequenti ut antea solebam, aut leui resolutione, qua mater mea extremis annis tentata est. Simili ratione cum ex hoc inauspicato connubio mors rursus tam tetra filij subsecuta sit, præter omniũ expectationẽ, tãto diligẽtius cauẽdũ est ne quid agã faciãue quod ab hac nece originẽ ducat: quã fieri potest cauẽdo. uelut maledicere abdicare se spõte à legẽdi munere: nã talia quæsita uocãtur ab aduersis fatis, aliquid in præci-

præcipitium impellentibus. Velut Demosthenes cum caput suũ ab Alexandro peti uidisset: Harpali pecunias, quibus post damnatus est (inde malorũ illius initia) respicere debuit. Cicero cum uideret Rempub. adeò uersari, non totum pondus contra Antonium suscipere debuit, tanquam illi non gloriæ sed excidij materiã subministrante Adrastia. Brutus cum uidisset in manibus uictoriam habuisse, sed Deorum manibus ereptã, semetipsum præter rationem, totq; illius errores occidente Caßio. Pompeius similiter postquam stulticia sua euectum Cæsarem. demum negligentia euasisse ne uinceretur cernebat, intelligere potuit apertè non esse amplius prelio decernẽdum. At dices non intelligo an me arcere debeant aut accendere: id ex quinq; coniectaberis: Natura rei, mala ad malum, bona ad bonum, mutatione fortunæ. post aduersa enim fausta, ut C. Iulio Cæsari. post fausta plurima aduersa, ut Attilio Regulo & Agathocli cum apud Tunetum Archagatus & antea Eumachus post plures pulchras uictorias cladem accepissent. ipso mali genere ut mors Iuliæ dißidium inter Cæsarem & Pompeium attulit incertum. cuius exitionam filij mala semper ut quæ nulli usui. alia incerta ut exiliũ repulsa læuis clades. Ob id etiã Euãder, si modo historia est, malè credidit Pallanta Aeneæ cum esset occasio ab exilio, sub alieno ductu in unico senis filio. Ex ætate nam puerorum & adolescentium ad incrementa senum ad exitium, nisi propter filios sint.

Vltimum


Vltimum est segnities quædam & torpor ac desperatio in rebus agendis, cum ad exitium tendunt, uel cōtra alacritas. Ergo *ex abrupta spe occasiones aliarum si se offerant persæpe etiam utiles sunt, nec erit abrupta spes inter calamitates numeranda. Quæ uerò mala est iisdem rationibus docet nos cauere à nouis negocijs, cum alias facilè in casside incidissemus. Cum uerò spei duo sunt genera. unum quòd quæ secunda sint prope adsint, alterum ut quæ aduersa procul: multo magis nos torret desperatio propter malorum incumbentiū præsentiam, quam bonorum absentiam.* Itaque *hoc genus nos desperationem propriè uocamus, huic auxiliū ex uino solent quærere quod etiam est* Aristotelis. *dupliciter autem contingit & quod metum minuat & quod mentem euertat, propter quem spem abijcimus.* Et *certè futurorū triplex genus esse constat: quòd omnino desperatur, quod speratur sine ratione, quodcunq; cum ratione cuius est quædam scientia.* Ipsa *ergo spes cum ratione potior est omnium, uelut & desperatio pessimum est malorum omnium humanorum. quocirca illam abigere sacerdotes solent, affirmantes solos à diuina clementia reijci qui desperauerunt posse mortem utilem illis esse. Alijs uerò quibus nondum persuasum est id ratione esse: aliquando contulit salutem:*

Vna salus uictis nullam sperare salutem.

Cauendum est igitur ne in summum illud malorum incidamus, quòd his euenit qui mortem esse omnium finem

nem firmiter credunt. Quamobrem ultimorum malorum cũ nõ sit cruciatus nec paupertas, aut mors sed desperatio, palã est improbos solos spe destitui & diras pati. Sunt ergo in morientibus tria mala præcipua, dolor iuxta genus mortis, sciẽtia mortis qua publica grauior est & desperatio, qui bene sperantes moriuntur etiam parum mortẽ metuunt. conandũ est igitur ut spe res quæ desperare nõ possis: uelut quæ post mortem de animis & uerè feruntur & quæ cum ratione sunt expectanda, quoniam cum rarò falleris plus erit longè dulcedinis in spe quandiu manet, quam in inani expectatione doloris. In reliquis ita speres ut utrunq; euentum utilem tibi esse persuadeas. Forsan dices improbos nihil cogitare cum moriuntur. ob id nec desperare uel si etiam nihil cogitent nihil esse non torqueri ob hoc. At cogitare omnes & maximè cum mors superuenit certum est, & timere ne supersint. Sed cum non solum expectata nos fallant, sed inexpectato multa nobis bona adueniant, de his nunc dicendum erit.

DE SIGNIS EXIMIAE potentiæ & gloriæ.



Ximiæ ergo & insperatæ fœlicitatis gloriæ aut potentiæ nouem sunt genera signorum. Primum cum in corpore præclara quædam uestigia cernuntur, quasi ordine stellarum cõficta ex maculis

maculis. præcipua autem sunt ursæ, ut Augusto, serpentis, coronæ, canis, calicis capitis humani hastæ, ut ferũt de Spartanis crucis, ut in Standerbergo. Solis Lunæúe aut stellæ ut describi solet * senis aut octo radijs. Oportet autem in his quæ siderum constellationibus assimilantur, numerum & macularum stellis respondere, quæ cũ euidẽtia pulchra et absoluta fuerint, si magnã nõ interruptã cũ fœlici exitu gloriã significabũt. Sed si exigua sint uestigia eo minorẽ, si nõ pulchra fœdã fortunæ inæqualitatẽ aduersaq́; multa. interim ut in Agathocle quouis tyrãno flagitiosiore erga omnes, sed præcipuè Aegestanos incredibili & omnino inaudita sæuitia, ut omnino indignus memoria sit, quãtominus regio nomine, cuius cõparatiõe Caligula bonus uideri possit. ita hæc uarietas nõ solũ in fortuna, sed in moribus uitæ cursum admodũ defœdauit. Quod si non absoluta sint huiusmodi signa, finẽ non successibus parem minãtur. At etiã iuxta partes corporis euidentiores habebunt effectus. Primus est in pectore & uentre ut Augusto, Secundus in dorso, tertius in humero ut Standerbergo, quartus in bracchio ut Nisibensibus, quintus in fœmoribus, sextus in pede. Contra abominanda numerus quilibet incertus digitorũ, maculæ magnæ deformesq́; ac coniunctæ, aliaq́; fœda maxima in læua parte.

Secundũ est cũ nascẽte infante, uel paulò post aut etiã cum utero gerit in eadem domo, aut etiam pago pulchra ostenta apparent, ut Platoni apes mel in os eius deportantes.

hærentes, collum teres, nasus à summo eleuatus in imū deflectitur more rostri rapacium cum quadam uenustate. tum uero uiuida omnia, uel mente sagaci uel cum firmis admodum uiribus, tum oculi magni ac læti.

Quartum cum oculi aspectusq́; micantes lucidi atque splendentes cum quadam ueneratione sunt, ut uix aspectum quis illorum sustinere queat. Qui si humidi sint philosophum magnum aut Regem futurum declarant: si sicci ac terribiles, tyrannum aut seductorem inuictos tum utrosq; denunciat.

Quintum cum in fronte stellæ pulchræ delineatæ atq; puræ, lineæq́; naturales firmæ: atq; eadem in manu cum rectis ac duplicatis principalibus lineis, tum montibus sub digitis bene formatis. summam enim naturæ diligentiam in conformando etiam minutißimas quasque corporis particulas, astrorumq́; constitutionē claram ostendunt. Similiter tubercula ciceris more in dextra parte iuxta nasum, aut in tempore si cum cæteris iuncta sint signis, & pulchra etiam magnam fortunam declarant. Contra fœda signa & turbata inquietum & infelicem uitæ cursum eadem ratione ostendunt.

Si uerò fortuna quadam animalia admirandæ naturæ, aut lapides in manus nostras deuenerint, maximè si animalia ex usu sint, non sunt contemnenda. Velut Alexandro Bucephalus equus, erat enim taurino magnóque capite, qui nullum dum ornatus esset præter Ale-

xandrum ipsum insessorem patiebatur. Et ideo charus admodū illi, atq; inter auspicia magnæ fortunæ, ut post dicemus, numerandus. Similiter equus Cæsaris pedibus prope in modum humanorum in digitos diuisis, quem apud se natū cum aruspices respōdißēt imperiū orbis significare illi apud quem nutriretur, summa diligētia custodiuit, eoq; in bellis atq; expeditiōib. usus est. Simili modo si sapiēti gēma quæpiā, aut etiā lapis stellis in formā aliquā figuræ cœlestis descriptis, aut maculis casu obtigit nō negligendā arbitror, quāquā incerto euētu. Sed è ratiōe figuræ et uiriū stellarū uim lapidis interpretabimur. Eadē ratione facies hominū pictas, aut animaliū seu instrumentorū, aut arborū modo naturæ sint nō artis opus magno auxilio ad diuersa negocia esse existimabimus, sed pulchra & exacta esse oportet, nō nostra uolūtate cōficta. Addūt & huiusmodi ostēta autoritatē homini. Existimatio aūt et opinio rerū humanarū reginæ sunt. Quantū Alexādro Cæsari Thyaneo Pseudo Alexādro, alijsq; huiusmodi profuere? cōsuloq; quòd etiā in dies utile omnib. uidetur, ut homines existimationis & opinionis huius curam habeant.

Septimū est somniorū quæ uel nascentē infantē præcedūt, aut dū primū mulier cōcepit. uelut Astyagis Hecubæ Actiæ, et Octauij Augusti parentū, matris quoq; Echelstani Regis Britannorū et Guilielmi Normādorū, Elysabellæ Darchæ parētis Ioannæ puellæ Gallicanæ quæ fulgur peperisse somniauerat. Ecelini etiā Romani

mani ciuis. Sed multo plura sub ipsis rerũ agendarũ tẽporibus, quorũ exẽpla ne numerare quidẽ nobis licet. Quib. ego forsan nõ tantũ fidei adhibebo, reputãs quãta sit eorũ multitudo quæ fallũt. necesséq; esse ob id sæpius talos iaciẽti in sortẽ incidere. Dictũ est aũt aliàs à nobis in lib. de Sõnijs quod necessariũ est huic negotio.

Octauũ est ratio ipsa morũ cõstãs, infatigabilis, nullius repulsæ tædens, fortis, prudens, comis, liberalis, ac denique prorsus inuicta. Sicut è diuerso magnæ calamitatis ac impẽdentis breui miseriæ index, torpida tristisq; mẽs, anceps & ad omnia segnis & defessa, incerta sui & metu absq; causa contenta, quòd significauit Virgilius:

Non me tua feruida terrent
Dicta ferox: Dij me terrent & Iuppiter hostis.

Inde subiungit

Sed neq; currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemq; manu, saxumq; immane mouentem
Genua labant, gelidus concreuit frigore sanguis.

Eadem uero ratio generalis est uitæ, ac propria uniuscuiusq; fortuiti euẽtus: quapropter decet eũ seruare rationis tenorẽ, qui nulla ui aut metu excuti poßit. Faceßãt omina omnia & fati impẽdẽtis suspitio, & Deorũ terriculamẽta, prodigia aduersa, et quicquid nobis ira cœli obijcere potest: pugnandum est, moriendũ, sit ita: sed nõ moriemur inulti? Clipeus rationis tot tantisq; malis obijciatur. ille solus à Deo pro munimine nostro

descendit ab illo. Hoc agam ut me quantum potero tuear. Porrò cum duo sint morum genera quibus homines ad magnam gloriam ac famam euehuntur; unum quòd æquale est & sibi undequaque simile, uelut cum prudentes in eo semper persistimus fine qui maxime sapientibus conuenit: alius qui mutato consilio sæpius certis solum legibus atque limitibus continetur, uelut prudentia, fortitudine, liberalitate, solertia, comitate; qui modus magis bellicis negocijs aptus est, deligere alterum eorum semper oportet, atq; in eo eminere.

Nonum est cum cometis fulgentibus homines nascũtur. Sed quoniam hoc incertum est & cum plures nascantur ad quos pertineat, ideo ultimum locum obtinuit.

Quòd si quis mihi obijciat ominosa ista à religionẽ reijci? fateor & rectè, ne existimes à dæmone aliquo subiecta? uel si usq; ad fortuita transgrediamur. hæc enim uana sunt. Sed si ad diuinam prouidentiam, ad miraculum, ad naturæ ordines inerrantes, nihil superstitiosi continent. quandoquidem uel ipsis somnijs Iosephus gentem suam liberauit à fame & Pharaoni gratus fuit: & Christus ipse delatus est in Aegyptum. Quominus ergo ut nautæ uentorum magis incertos impetus salutari euentu obseruãt, ita & nos admiranda rerum miracula certa ratione considerare decet. quorum si ars ut uentorũ constitueretur inter naturales, magna cum utilitate numerari posset.

Tribus aut quatuor annis ab hinc ictum fuit templum B. Ambrosij, quem diuum urbs nostra sanctißimè colit, conflagrauitq; culmen fulgure, inde anno fermè post fulgur uerticem templi Beati Laurentij nocte tetigit, nullisq; rursus lapibus excußis, flammam tam illustrem accendit, ut aliquot horis spectarem ardentem. Quis dubitat non summum põtificatum ciui uni nostro decerni? nam templum unum, ut dixi, urbis nostræ tutelare est, alterum uerò antiquißimum & olim Herculi dicatum: non excussus lapis. sed diuino igne exarsit. unde etiam aliquot annis superuicturũ docet. Et nescio quid stabiliturum propter diuturnam collucentem atq; inextinguibilem flammã. Si dicas fortuita hæc fuisse, cur non ex tot turribus altioribus, ex tot sacris ædibus nulla alia icta? sed solum quæ ciuem, quæ antiquißimæ familiæ ciuẽ declarabant? cur nec lapis unus excußus est? cur exarsit ex eo flamma tam ingens, totq; horis quamuis obrueretur copiosa aqua? Meministi cum Arx Iouis icta est fulmine, magno malo atq; inter uicino Gallorum non arsisse tecta, sed disiectos lapides magnamq; muri partem, occisos homines, non gloriam sed ingentem qualis post consecuta est, gentis ruinam significasse. Tres erant Cardinales ex nostra urbe tũ, atq; omnes à familijs antiquioribus, Simoneta, Moronus, Medices primus obijt, secundus captus, in hũc igitur miraculum rei ferri necessarium erat. Significat & hoc incendium alia quæ omnia suo tẽpore eueniẽt.

 nam

nam Pont. Max. decernẽdo quãuis expresso magis augurio icti templi. B. Laurentij cõfirmaretur, nihilominus primus fulminis ictus satisfaciebat. Diuina enim rara, & eorum penuria est.

Cum fulgur Genuæ templi Beati Ambrosij culmen tetigisset, deiecissétque pietatis imaginem, illæso prorsus templo Classis Genuensium, auspicijs Philippi Vicecomitis Mediolanensis reguli Blasio classis duce, classem duorum regum aliorumq; principum superauit: ipsosq; reges captiuos fecit, qui in Philippi manus deuenerunt. Cum fulmen Phari turrim Genuæ in qua depicta erant fulgosiorũ insignia tetigisset, nec læsisset tria solum foramina relinquens, ipsi Baptistæ Fulgosio hæc narranti Genuæ summum imperium totidem annis decreuit, ut cum Horatio dicamus:

Misit pater, & rubente
Dextera, sacras iaculatur arces
Terruit urbem.

Tam stultũ igitur est summa sequi aduersis diuis ac repugnante natura rerum atq; ordine, quam adiuto et incitato non aggredi atq; amplecti. illud semper memoria recenti colens, quòd in maximis mediocria, in his parua ac minima continentur.

Vtinam aliquis ex tanta scriptorum multitudine nos hoc onere leuasset: non ob laboris tædium sed utilitatis occasionem, cum nunc sero hanc felicitatem non mihi sed alijs potius parem. etenim hauddubium est si ego

in tales

in tales quales nunc conscripsi commentarios incidissē quin iuræ naturæ non fuissem felicissimus. nam si nulla cum methodo pauper, sine affinibus, sine amicis, cū tot æmulis, litibus, non satis firma ualetudine in urbe hac, nothus essem, nullo principū præsidio adiutus nisi eo quòd ultimo mihi malè cessit, collegium adeptus fueram, filios quos habui sospites educaueram, ut tanquam turres essent, in collegiumq; natu maiorem medicorum iam collocaueram, ego ad sexagesimum fermè annum incolumis perueneram, medendo in ciuitate, legendo in academia, scribendo in orbe, primum aut nullo inferiorem locum obtinueram, nec pecuniæ quantum satis mihi foret indigus (computaram enim ad mille quingentos aureos Philippeos lucrum peruenire in singulos annos, ni leuitas filij & fata obstitissent) tot scripseram quorum pars minima est atque uilissima quæ edita est, quid futurum erat si talem mihi ab initio methodum ducendæ uitæ fabricassem, aut fabricatam inuenissem? Sed postquam quæ acta sunt reprehendi potius quam emendari possunt, non desinam alijs prodesse qui mihi non potui.

DE VITAE ORDINE.



ONSCRIBAM ergo breuiter quo ordine adolescens institui debeat, ut quamuis pauper & humili fortuna natus, uitam feliciter ducere posit. Omnia enim ita se habēt ut quē

admodum in construenda domo & ordinem seruare expediat, & commiscere actiones, sic etiam in uita agenda facere conuenit. Nam ordo tam est necessarius quam ad tempus colligendum mixtio negociorum. stultè enim agũt qui nolunt nisi uno perfecto opere aliud aggredi, aut iam inchoatum tractare. Quid enim si secundum magis sit, aut necessariũ aut utile? aut quod prætermissum amplius tractare non queas? Deinde quódnam est negocium illud, nisi principi iracundo et ambitioso seruias, quòd totum hominem reposcat & exigat? Ergo in uita ducenda & ordinem seruare necessarium est, & miscere negocia & gnauiter illa exequi. O quã rectè nos admonet Hippocrates dicens, occasionem esse præcipitem. In ordine ergo illa obseruare decet, quæ nam iure naturæ anteponi debent: ut opes ædificandæ domui. quomodo enim domum sine opibus ædificabis? Secundum quæ præstantißima, ut discere leges aut medicinam, aut artem quampiam quam Citharistiam. quorsum enim Citharistia si focus frigeat? Tertium ut ea permittas quorum occasio labitur, ut si asciscaris ad principis aulam, aut si lis incidat: non enim semper hæc opportunè adueniunt. ita curabis filium ægrum, omittens etiam hæreditatis euectionem. Quartum cum eiusmodi sit res, ut fructus multo post suscipiendus sit, uelut procreatio filiorum, & plantarum insitio, & agri inculti ordinatio, & domus ædificanda, & profiteri in gymnasio: hæc enim tempestiuè inchoari

inchoari debent, ut fructum eorum percipere poßis adhuc robustus: quòd si uigeas honori tibi erunt, ipsósque euehes. Si res tuæ aduersæ sint, ipsi tamen gaudebunt ac te erigent. Primum ergo puta carcere uitijs animi in adolescente, deinde œconomiam doce & artẽ qua uiuere ac etiam ditari poßit, inde ubi sic edoctus sit ut uxorem alere queat, ducenda est uxor pro conditione, ac natis liberis instrues illos:

Cum tibi sint nati nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quo poßint inopem defendere uitam.

Sed si pauperi frater sit, qui uel habuerit uxorẽ uel ducturus sit, tu ab eo munere uacare potes. Etenim duabus rebus satisfacere incerto cum lucro non tutum est. Et si diues sis ab artis absolutione abstinere potes, ita ut uxorem ducere liceat, tametsi nõdum artem exactè callueris. Interim ergo diem totum tres in partes partire. maxima sit atq; bessem contineat qua in artis opere exerceris: totius quadrantem in emendo necessaria, ac domo disponenda ac negocijs eius. reliquum curandæ uxori ac filijs, utq; illis blandieris. Totum diem intelligo horas tantummodo quindecim. nam nouem somno dedicabuntur.

Sunt præter hæc festi dies in quibus plus curæ rei familiaris impendere decet, ut quicquid in ebdomada prætermissum sit diligenter sartiatur. reliquum temporis studijs sapientiæ pro tua conditione impendes, ac conuiuijs iocisq; licitis. Faber enim lignarius libros le-

get materna lingua scriptos, cuiusmodi Officia Ciceronis sed hos maximè. Atque ut uera fatear desunt boni libri in hoc genere. Nunc utiliores commemorabimus, præcepta Sabæ paululum superstitiosiora quam quod ad utilitatem conducat. Monita Aulicorum ex Hispana lingua conuersa. Institutiones Patritij Senensis: & Picolomini & Plutarchi moralia. Epistolæ Mõdegneti & ipsæ paulo superstitiosiores quàm uitæ ciuili ac Christianæ etiam sit necessarium. Absurdum enim est aliam existimare Christianam uitam, aliam ciuilẽ ac philosopho dignam & aliam quæ hic tradatur. Sũt enim una & eadem, modo per principes ac magistratus liceret. Sed licẽtia illorũ efficitur ut homines è Christiana uita exire cogantur: atque tum demum quid agant nesciunt, cum pro miserorum indigentia sola uerbula offerãtur. eaq; de causa quid Christianũ agere deceat docui. Suntq; multa etiã nulli usui principib. quæ ablata & cõmutata plurimũ prodeßẽt populis: inuẽta nescio à Cacodæmone aliquo, ut oneratæ plebi tributis hæc etiã frustra superadderẽtur. Quamobrẽ, ut dixi, postquã tu legẽ mutare nõ potes, ut Reip. bono faueat: tu ipse ad legẽ perge. Nihil magis necessariũ aut utile beatè uiuere cupiẽti, quã patriã rectè eligere. Feliciter in bene cõstituta Rep. pauper uiues, infelicißimè sub tyrãnide diues, imò nõnunquã infelicior quo ditior. Nec tyrãnicã Rẽp. facit tyrãni dominatio. ut neq; Regis regiã, quãdoquidẽ sub eodẽ Rege aliter atq; aliter uiuitur,

tur,

tur. Fieri tamē uix poteſt, ne omnino nō poſſe dicā, ut à Rege procul ſemper regijs legib. uiuatur. quo ſanū illud inſtitutū apud Aethiopes adhuc celebratur, ut rex circumeundo totum regnū in perpetua ſit peregrinatione. nā plures hoc metu quā ipſa regis præſentia cōtinentur in officio. Ergo ſi Euāgelij præcepta quis ſanctè rimetur, habet magnā partem imo generaliter totū quicquid illi agendū ſit in bene ducenda uita. Oportet ergo primum uitæ genus ac finem conſtituere, inde ea parare quæ ad finem conſequendū ſunt neceſſaria. Maxima uerò cura ſit circa quatuor res, uitæ incolumitatem, artis exiſtimationē atq; excellētiæ in ea, et uxoris integritatē, ac filiorū commoda atq; mores. quodcūq; enim horum malè ceſſerit, in perpetua uiues infelicitate. non eſt ut dicam, nam partim dicta ſunt partim ſuo loco dicentur. Quocirca etiam duo ſunt ordines faciendorum atque agendorum, ſcilicet quid tempore prius ſit agendū, & cuius curam maiorem habere debeamus. nec uerò cōfidas quòd abſq; huiuſmodi doctrina felix eſſe poßis, quoniā aliquos iam uideris felices abſque horum librorum lectione. Falleris enim primū nam uſq; nunc ſolū diuitijs affluentes fœlices iudicare licuit: modo horum librorum auxilio multo plures pauperes quam antea diuites. nec tum omnes diuites felices erant, ſed pauci ſolum ex his, modo omnes fermè ex eis tales eſſe poterunt. Et eorum etiam qui felices ſunt quam multa ad felicitatē his deſunt? ut enim

puer

puer aut uir uoce optima prędit⁹, parum tamen probè concinit, cum alijs absq; arte, cum illa optimè natura artem & uicissim arte adiuuante naturam: ita qui fœlicitatis commoda assequutus est sine arte quæ fœlicem esse docet, parum fœlicitatis etiam cum illis omnibus commodis assequetur: ita diues incolumis, potens & etiam fortis ac prudens, sine horum librorum auxilio uix limina fœlicitatis ingredietur. Vltimum horum est qui diuites sunt possunt esse felices (neq; enim ante nos ullus hoc docere ausus est, sed solutam Stoici quandam & fictam felicitatem absurdamq; in sola uirtute constitutam: pauperibus tamen communem inuenere (nam legem nostram contemnere uolunt, ac cum Epicureis sentire, ut nunc mos est plurimorum infœlicissimi sunt: ut qui quod optimum sperare audeant est non esse quicquam. Si uerò cum Christo sentiant & sperēt, hac in uita quid illis proderūt diuitiæ suæ: nónne prorsus erunt laconici nummi, quorum nullus erat usus? Iubet Christus ut non sis ambitiosus, iracundus, non opprimas pauperem, ne quenquam lędas, ut omnia des pauperibus, id si agas quid tibi erunt diuitiæ hæ? quandoquidem summa uoluptas diuitis sit illas ostentare, premere pauperes, illis præferri, nonnunquam uel minimis causis pauperes contumelia aut iniuria afficere, demum suas opes retinere. Quorum cum nihil liceat secundum legem: quanto minus fœnerari, horrea claudere ut frumentum duplo magis ueneat licebit? Nos autem

tem diuina ira per manus amentium percußi cum ea quæ nondum nobis bene perspecta essent scripsissemus immortales animos. Ex libris de Aeternitatis Arcanis esse docemus, atq; scelerum ac uirtutis pœnarum atq; suppliciorum conscios. Persæpe etiam ut in Theognosto docuimus, per uim occisorum uagari circa loca uiolenti exitij corpore induto aëreo, & mortuos his qui necis causa fuere colluctati cum illorum umbris. graues utrasq; elemento aëris donec expiatæ ad sua redeant loca. innocentium autem & quorum mens ad Deum directa fuit uolitare ad superos, neglectis siccarijs seu improbis iudicijs, nec illorum nece expectata. cuius rei testimonio sexcenta sunt exempla in historijs tradita. Quamobrem ut quis feliciter uiuere poßit, oportet ut credat atq; etiam intelligat, quod nemini bono obscurum est aut inexpertum, mentem nostram diuinæ felicitatis tametsi modum non sciamus esse participem. Et quomodo sine diuitijs quisq; fœlix esse perfectè posſit. & si non habeat ut parare queat, & si habeat legitimè uti: ut nec impedimento ad Christi uoluntatem satisfacere poßint, nec explendis his uotis quæ felicitati sunt necessaria, neq; cogatur sua prodigere.

Cæterum ut ad rem redeam, cum antecedentia ordine dixerimus duplicis esse generis, uel dignitate uel tēpore: utq; ex familiari exemplo id discas hominem uestes induere cum manu surgit, magis necessarium est & præcedere debet defensionem amici in iudicio: defensio

fensio

fensio tamen illa dignior est, & præstat ordine nõ temporis, sed finis uestium indumentum. Veniamus ad minus uulgata, lucrum tempore filiorum curam præcedere debet: filiorũ cura dignitate. namque ubi ambo facere debeat aliquis primo lucrabitur, inde filios curabit: ubi alterum omittere lucrum omittet non filios. multa sunt in huiusmodi genere, tum speciatim, tum generaliter consideranda. Quærendum est igitur an iisdẽ in quib. generaliter alterũ alteri præferri debet, in ipsis idẽ ordo in singulis actionib. seruandus sit? Velut diximus quòd pecuniarũ acquisitio generaliter præcedere debet filiorũ curam, cura aũt filiorũ si quid omittendũ necessario sit omnino retinenda, lucro relicto: an ergo eadẽ ratio ordinis singulis diebus obseruanda erit? Et palam est quod nõ, quia generũ comparatio suam semper retinet magnitudinem, ipsæ aũt quæuis operationes non ita: nam quædam lucri occasiones magnæ erũt filiorum autem paruæ: ut quòd quis uelit magnam emere partẽ tui opificij, filius aũt neglexerit discere elementa, uanũ est hoc illi præponere: ut rursus expedit quenq; alterius ex toto obliuisci, ut si filio caput tegula confregerit? omittemus omnem lucri curam & filio attendemus. magnæ autem & raræ cuiusdam occasionis est, ut eodem momento cogaris duabus urgentibus causis satisfacere. Si tamen eueniat casus tuæ industriæ & iudicij erit, quid præponere debeas statuere.

Ob id ergo non solum hæc ex scripto scire oportet, sed

ſed iudicio unũquodq; ſcire, perpẽdere quantũ ualeat quãtumq; neceſſariũ ſit: nec id etiã ſufficit ſed exercuiſſe ſe oportet ſæpius in hac tractatiõe. cũ multa oſtẽdat rerũ ipſa ratio, locus, tẽpus, modus, occaſio, quæ ſcribi nec doceri ullo modo poſſũt. Propterea quidã erũt quã quã pauci quib. hæc nõ proderũt. Et quãtũuis legãt in agẽdo nihil proficiẽt, imò quod mirabilius eſt, tametſi uerũ etiã nocebũt hæc præcepta. nã illis temerè fidẽtes maiora audebũt, et ob id maiores admittẽt errores. Hi ergo erũt ſtulti, inepti & impatiẽtes. Omnib. aũt hominum aliorũ generib. utilis hæc erit lectio. Sed & quorundam ex his qui nõ omnino fuerint inſanabiles, & maximè uiri præſtantis addito auxilio. Velut ſi quis frigidus ſit, & uxor filium concipiat, uelit autem lactare quia lac maternum utilius ſit, cogetur ille à Venere abſtinere ne concipiat, & ne etiam ex uenerea agitatione lac fiat deterius: hac continentia ad Venerem fiet impotentior & filiorum generationem retardabit. At contra ualidus ſit quiſpiam & fœcunda uxor, habeat etiam tres quatuorúe filios, melius erit ut mater lactet. Conſuluerim autem generaliter ut & mater et nutrix lactent infantes. hoc enim ad omnia fortuita melius eſt. Habebis nutricem in domo pauper es, ſed & ipſa uictum ſibi parabit ut ſit minus ocioſa. Cum ergo ſingulis in rebus diligentiã adhibueris, fiet habitus bene tractandorum negociorum, honeſtatiq; ac utilitati conſules. In omnibus quæ poſtulantur morem

Germanorum mercatorum imitare: interpone diem responsioni. In celebrandis autem conuiuijs festis diebus cum paribus atq; uxorem habentibus id ages, ne familiaritas illa detrimento sit uxorum pudicitiæ. ita & uxor minus uagari cupiet, & te diliget magis & solatium commune erit.

Qui enim uxorem diligit nunquam in cauponum ut cœnet diuertet, & si id egerit meretur ut illa mœchetur: nam decens est cum bona fuerit uxor, ut à coniuge amari se sentiat: & ut omnium uoluptatum sit particeps, ut etiam mœrorũ necessario fit. Solum illa ei non communicabis quæ imprudenter effutita damnũ tibi ægregium parere possent: & silentio contenta nihil plus utilitatis illa allatura sunt, præter satisfactionem quandam: ut nec illi necessarium est damna omnia exigua domus ut tibi renunciet. Qui uerò iam diues est, bessem illum temporis partim & maiore portione studijs ac contemplationi impendet: huiusmodi enim hominum generi maximè conueniunt studia liberalium artium, philosophiæ, Arcanorum Aeternitatis ac morum componendorum, partim etiam ciuilibus negocijs accommodabit.

In speciali autem curare oportet diligenter, ne alios docere uelis qui consilij inops sis. Præsertim cum uel illi haud tibi fuerint amici, uel cum præter occasionem id egeris. Velle enim alios docere non rogatus, uanæ simplicitatis & absurdæ arrogantiæ indicium est.

Eorum

Eorũ altero cõtẽneris, altero odio illis eris. Sic duo præcipua mala frustra tibi quæres. Deinde quorsum hæc? Quid illi hæc tua doctrina indigẽt? Etsi indigerẽt? quid gratuito fermè ignotis impertisse iuuat? Quinimò & amicis et rogatus uolẽs, si quis interpellet desinito. nã aut ille inimicus est, aut admoneris tacendum esse. Cũ etiã sine filijs ad senectutẽ aut uno alteroue sed paruulis perueneris, iuuẽculæ te iũge, ex quã si filiũ susceperis ei dãda est opera, filio nutrici principaliter cõmendato. neq; sinendũ est ut tẽpus tam opportunũ prætérlabatur. Quib. susceptis, cũ iã spes nõ sit ut illorũ iuuẽtute fruaris, frueris tamẽ dulcißimè infantia ac pueritia, et testamẽto ad salutẽ illorũ ac optimã institutionẽ cauebis. id fiet cõmodè si tu dum uixeris nulli pecuniæ parcẽs, hominẽ probũ, eruditũ patientẽq; præfeceris; atq; illi per ætatũ filiorũ incremẽta stipendiũ auxeris. testamẽtoq; caueris ut in illius custodia sint, si tutorib. è re uideatur, pueros illi, illũ tutorib. cõmendãs. Quo in casu ubi omnia tanquã postridiè moriturus caueris re aßũpta rursus ingẽti spe uitæ terminũ tuæ in magnã ac prouectã ætatẽ filiorũ extende. iuuabit ad uitã producendã nõ parũ charæ prolis amplexus; atq; tu etiã illos fouebis ac instrues. Dici enim solet: oculus domini impugnat equũ. Semper aũt in his casib. uel si parui nepotes mortuis filijs tãtũ supersint, curare debes ut tibi et illis opes cõpares omnib. modis quib. licere superius docuimus. Si enim unquam necessariæ opes sunt in hoc

casu sunt cũ utraq; ætas imbellis est et impotẽs. Quòd si pecuniæ & opes nõ quãtæ oportet adsint, uel etiã tibi iuueni paruulos educãti totũ quicquid habes educatiõi animosè impẽde. Si uiros habebis, habebis & opes? at si desint uiri quid opib. proficies? At dices quid si mihi necessaria defuerint? aut filij futuri sint improbi? noli timere hoc, et si uenturũ sit, melius est tibi in uotis defuisse fortunã, quã illos uoto tuo perijsse, aut male educatos fuisse, aut malè instructos in arte: uel artẽ uilẽ esse, ac minimè uiro dignã aut lucrosam. In arte ergo deligẽda quæres quatuor, primũ ut honesta sit nõ fœda nec turpis, ut nõ noxia uitæ: ut eorũ qui ingentib. malleis aurũ attenuãt: ut sit lucrosa, ut sit eius generis cuius lucrũ sit perpetuũ. Erga eadẽ testamẽto cauebis, maximè aũt iuuãt artes familiæ consuetæ. Id ergo statue ut potius uir sine ullis opib. euadat, quã opib. superstitib. aliquid ad institutionẽ & salutẽ corporis desit. Puellis quoq; dotẽ cõstitue, quòd si nõ poßis masculis et fœminis satis facere, masculorũ cõmodis magis faue, et filiab. ut rectè instruãtur ac tãto diligẽtius cauebis. Puellæ enim multæ cõiugia præclara nactæ sunt ob formã, pudicitiã, mores et artiũ illis cõgruentiũ, summã peritiã. Masculi etiã si minores erũt ob ætatẽ, ut prius illis cõsulatur exposcũt, si fœminis maiores, eorũ auxilio locari poterũt tũ maximè, quòd cũ illas sui causa destitutas intelligant earũ miserebũtur. Quãtũ uerò uirtus in puella poßit, declarat exemplũ Aspasiæ Hermotimi Phocẽsis filiæ,

qua

quæ ex summa paupertate Persarũ regis uxor imo duorũ Cyri & Artaxerxis fratrũ facta est. nõ desit gratia, nõ deerit fortuna. Sed ut ad rẽ redeã, præter cætera memineris in cõuersatione ne res paruas uerbis aut gestu extollas, nec à familiari usu atq; consuetudine recedas, ut si recesseris aliquãdo, necessitatis nõ leuitatis argumentũ sit. Cũ uerò id cõtigerit, minimis immutatis præmissáq; excusatiõe tanquã flosculũ addes. in cæteris omnino mediocritatẽ & mores cõmunes sequere. Opere enim ipso nõ sola sciẽtia præstare oportet. Verbis autẽ sicut nihil absurdũ dicas. Res magnas & manifestas cõmiseratione atq; graui accusatiõe iudicũ et inimicorũ laudeq; amplissima dãnati tueberis. reliqua silẽtio tege tempus enim illa obruet. ⁎ ⁎ In epistola. Ita morũ institutio tribus constat: diligentia circa illos, usu atq; consuetudine, et excessuũ cura: de qua nũc agendũ est.

DE ANIMI PECCAtis curandis.



B impatiẽtia igitur auspicabimur, quæ ut pessimũ uitiũ est, ita patiẽtiæ summa laus qua Homerus suũ decorauit Vlyssẽ πολύτλητον appellãs, id est, multa ferentem. Cogita huius uitæ cursum, inuenies nihil tam necessariũ esse quã patientiã, nihil prorsus sine illa peragi posse. Es æger, uis sanari? patiẽtia opus est: uis fieri diues? patiẽtia rursus opus est. uis è carcere, naufragio, seruitute euadere? tẽpus idoneũ expectare oportet. Vis

filios suscipere, uxorē ducere, emere prædiū? expectare nō parū oportet. Vis magistratū, eruditus esse, cupis discere musicā, principis gratiā assequi? sine patientia nihil detinere potes. gloriā queris, honores, amicitias? tēpore opus est. imò quòd maius est, quo magis niteris eo serius cōsequeris. Vincere uis litē, peragere iter, imo uel uestē habere? patiētia necessaria est. Quid maius etiā si mori destinaueris? nō illico licet. Si caput allidas? cor diu et plus quā uelles palpitat: etiā si caput præscindas, ut uisum est nuper in iuuene quem securi percussērūt. Si cor uulneres? ferre dolorē oportet, nā & sensus & memoria diutius uiuūt. Quid dicā de artificijs magnis? de gloria in arte acquirenda? omnia planè tēpore egēt. Quā sanctè Epictetus illud protulit. Patere atque abstine. putāt hi uulgare aliquid dictū, cuius lucernam refert Lucianus ob gloriā trib. emptā drachmarū millibus Philippeis aureis pulsúq; 250. Nihil boni absq; patiētia cōsequi licet. nullū notū explebis sine ea. O beata et gloriosa uirtus quæ Socratē ad sidera extulisti? Ille cū cōtumace uxore, filijs stupidis ut Cato senior illius ætati satis proximus testatur, filius obstetricis et statuarij summā uirtutis opinionē adeptus est. Dicis perferre nō poßū? nec uiuere igitur? nō poßū expectare? an nō eodū uicturus? si nō uicturus quid ages? si supereris? quare nō melius tūc habere recte quā nō rectè. Patientia opus est ut expectes, ut iniqua præferas quæ mutari posse speras: patiētia opus est ut perferas quæ iam mutari

tari nõ poßũt, ut ego filij mortem. Si hãc fero quæ sine spe, cur illã quæ nõ est sine spe? aut quæ etiã cũ spe est? quæ optima est. Ergo patiẽtiæ triplex genus, atq; in ultimo exercitatus fueris, facile reliqua perferes. Si ergo impatiens fueris, omnino infelicẽ esse necesse est. Tẽtat te inimicus cũ socijs armatis? si nõ patienter tuleris tibi pereũdũ est? Vnde etiã nihil profeceris nisi dißimulaueris. Si ergo impatiẽs sis, procurãdus est hic morbus aliter, de uitæ instituto frustra agis: frustra quicquã in uita beatũ speras. Plus prodest infœlici patiẽtia, quã impatiẽti secunda fortuna. ut ergo curetur ab artib. quæ eã irritãt diximus esse musicã, præcipuè abstinebimus. abstinebimus et à ludo quòd impatientiã non solũ augeat, sed illius fructũ peßimũ afferat. Esse aũt musicos omnes impatientes nõ solum experimentum docet, sed ratio ostẽdit. nam circa idẽ uersantur uirtus & uitium musici aũt est celeriter discurrere per omnia: propterea etiã celeriter cõcupiscere, agere cuncta, atq; aberrare illius est. hoc est ergo incõsulto atq; impatienter. Vinum itidẽ impatientiã auget, ut omnium malorum educator si nõ autor, abstineat ergo & ab hoc adolescẽs, similiter et socijs ætate prouectis adiungatur lẽtis in agẽdo morib. grauib. Studia quæ dura sunt exercẽt patientiã, ut geometria præcipuè iurisprudẽtia, quòd diuersas opiniones de eadẽ re diligenter excutere cogeris. Geometria id adijcit cõmodi quòd ueritatẽ ostẽdit, & quod certum atq; incertum. ideo in agẽdis rebus hi

redduntur cunctabundi. hoc autē & impatientiæ medicamētum & alexi pharmacum. Assuescas adeò impatiēter facta odisse ut probes, & placeant magis quæ uoto cōtraria euenerunt, sed tamē diligenter quæsita tractataq́;, quā quæ ex uoto absq; studio & diligētia parta. In ambulādo lentus eas, nunc aliquid se offert quod uellē: imo nō recipio, quia nimis celeriter se obtulit. Cūctabor in omnib. amicum quærā, sine cuius cōsilio omnino decretum est nihil agere, etiā si optimum mihi uideatur. Edā lentē, dimittā salē, Polytrichō referunt efficere gallos insuetos atq; pugnaces. Cibis ergo potib. arte, studijs, societate, amico, actionibus, cogitatiōe, obuiam ibo. Patientiā te docebo in singulis quo ego præsidio usus sum: in speratis ut sanitate, ducenda uxore, expectatiōe muneris aut similib, triplica tēpus aut quadruplica & nō tædebit te expectationis. Expectabā lucrum intra 15 dies aut debiti solutionē? tecum cogita intra 3 menses sum habiturus, nec urgebis nec torquebe ris. egroto acuta febre? hinc ad duos menses quid acturus sum cum primum cōualuero. nullum hoc cōsilio ad impatientiā leuādā præsidium melius. Ingressurus sum collegium, trimestre spacium communis est mora: ego mihi annū statuā. & quid agēdum tum quasi ingressus sim primū cogitabo. Si hæc antea euenerint magis lætabor. si nō antea prorsus nō torquebor, imò lætus uiuā tanquā iā fine potitus, cuius certā præfinito tēpore mihi cōstitui expectationē. Edā lētius & ambulabo. hæc enim

enim duo nõ solum ad animi cohibẽdum impetum faciunt, sed ad cognitionẽ an curatio proficiat. lunam in Tauro uel Leone uel Aquario cõstitue in ascendẽte Saturno, uel Iouiiunctã nõ lumine defectã, et amethistum aut topazium uerum, aut sapphyrum sculpe imagine uiri dormiẽtis in solitudine, aut inter syluas & collo defer. Expurgabimus & bilẽ sæpe rosis & uiolis et fumaria & citrinis mirobalanis & succo Cichorij & mala punica edemus. Plurimum etiã iuuabit ad impatientiã cohibendã fodere terrã, hortulumq; tuum usq; ad fudorẽ, sic ut tibi uim inferas, discasq; nõ cõcupiscere: quandoquidẽ odiosa minimeq; cõcupiscenda sectæris, & ultro amplecteris. nã opposita ut dixi semper circa eadẽ uersantur. Si enim immodicum appetitum rerum delectabilium cõprimere uelis, quo melius id facies quam si quod nolis uelle uelis. Ita etiã in impetu illo assuescas carnẽ bracchij mordere adeò uehemẽter, ut lachrymas excutias. Ita Stãderbergus dux insignis Epiri labium superius ita mordere solitus erat, ut sanguinẽ educeret. Quid aliud erat quã cohibere iracundiã? Iuuãt etiã nõ parum preces illæ familiares fidiæ dictæ, in quib. & patientia tãto maior discitur quãto minor est uoluptas toties eadẽ repetere, quæ etiã si semel tantum legisses, nullã attulissẽt uoluptatẽ, & Dei numẽ imploratur in auxilium. Galenus quoq; suadet ut sensim facta tua extimes in dies quãtum profeceris, sic paucis mensib. magnã mutationẽ in morib. factã prospicies, tametsi minima in

ma in dies singulos facta fuerit. Illud etiã tecum cogita si perseuerauero? deerunt mihi omnis uoluptatis atq; felicitatis somẽta: & si etiã nõ defuerint? felix esse non possum his moribus, & si adhuc fœlix eßẽ his morib. multa mihi aduersa & turbulẽta cõtingere necesse est. Sed fac ut euadã, & illa necesse est infelicẽ me fieri consciẽtia malarum. Quid ergo? medela ab initio adhibenda est. Et quanquã impatiẽtiæ hæc curatio nõ poßit adeò in singulos dies perspici, ut cæterorum peccatorũ, uelut, iræ, libidinis, nihilominus si impatiẽtiæ genus in species dissecuerimus, facilius animaduertemus. namq; tria sunt illius præcipua genera iracundiæ, intemperãtiæ & deliberandi, quod & deterrimum est, & difficilius curatur. nam iram sedat bilis extinctio & consilium amici, & cõsuetudo abstinendi ab illa: intẽperantiam ieiunia, ætas ingrauescens, sunt enim morbi animi ut animus corpori iunctus est, sed impatientia in deliberando prauus est affectus & quasi incerti generis in animo, præcepsq; cõsilium, quo quod optimum est in nobis relinquitur scilicet ratio. impetuq; cuncta deliberans, parum à stulticia differens: nisi quòd stulticia malè imaginatur aut cogitat, hæc uerò est priuatio cogitationis. manifestum est autẽ quod ab immodica cerebri caliditate procedit, & quod ira etiã ac cõcupiscentia adhuc magis augetur. Quocirca his maximè conferret os capitis perforatum habere. stylaq; frigidioris aquæ ut ferreæ, lamina etiã ex auro & lapis ille topa-

tius è regiõe suturæ coronalis perpetuo gestatus, uel etiã per totã suturã sagittalẽ. Forsan et instillare succos frigidiores rosarũ, florũ nymphee, plãtaginis, aizoi cũ aceto albo acri nõ malũ esset: grãdẽ perpetuo amethistũ collo gestare. Nõ hic facile erit ut dixi, quòd Galenus iubet discrimẽ in singulos dies mutatiõis morũ in melius animaduertere. Cũ enim comitiali morbo persimilis sit hic affectus, ubi curatũ speraueris repẽte incidet, eoq; periculosiore exitu quo magis inexpectato. Iuuat ergo in huiusmodi, imò maximè necessariũ est sociũ habere utilẽ, firmũ, beneuolẽtẽ, ac maximè in hoc uitio alienũ, quo cõsilio frenare doceat hũc impetũ infaustũ animi: nã ex quorũcũq; leui consuetudine iuuabitur æger, sicut Galenus referebat de patre, cũ uirtutes illius et patiẽtiã laudabat: de matre cũ illius morositatẽ, pertinaciã, iracũdiãq; adeò turpẽ ac fœdã aspernabatur et horrebat. Ita nõ minus imò magis ebriorũ spectaculũ ad odio habẽdũ cõsuetudinẽ uini nos monet, quã sobriorũ laudabilis cõuersatio alliciat ad uini fugiẽdã immoderãtiã. Verũ Galenus hoc 3 genus impatiẽtiæ parũ animaduertisse uisus est. Ergo cũ multorũ hominũ cõsuetudo uulgaris iuuat ad dignoscẽdos curãdosq; animi morbos, seu quod tua peccata uel aliorũ irrideant aut detestẽtur, seu quod uirtutes eorũdẽ aut tuas laudent atq; admirẽtur: nihilominus uni fidẽdũ est socio atq; familiari admodũ prudẽti atq; amico, qui te de omnib. admoneat, nõ solũ generaliter sed etiã in singulos dies ut profeceris, aut in deteriora prolapsus fueris. manifestũ uerè est ut adolescẽti ratio et uoluntas sufficere debẽt: ita pueris

iurgia,uerbera,atq; inedia usq; ad necē etiā adhibēda, ut tā triste uitiū quod nos ad naturā beluarū traducit,humanitateq; ipsa prorsus exuit,eradicetur, extirpetur sic, ut nullū penitus illius uestigiū relinquatur. Habet aūt hoc malū illud cū stultitia cōmune,quod curæ suæ aduersatur. Propterea maximū ē in hoc morbo & nō oio desperatæ calamitatis indicium,uelle curari. In quo proposito et cognitio propriæ ægritudinis declaratur,et ad curandū pates uia aperitur,ipso ēt ægro suffragāte. At si curari recusauerit atq; adolescēs iā sit,prorsus desperāda est salus,nisi uel diuino auxilio uel casu aliquo graui,aut diuturno carcere aut triremibus per uim soluatur affectus. atq; id præcipuè,ut dixi,eo difficilius ē quòd nūquā possis statuere quādo sanus sit.dilucidis.n.interuallis ; hæc species cōquiescit:inde repēte exoritur et insultat , cogitq; hominē hoc uel illū magnū aut paruū,prout occasio se præbuerit sibi dānū afferre.Vt horū prorsus miserabilis cōditio sit. Sed si æger adhuc curari postulet ac resipiscat nō segniter agēdū est,nec deest spes.nō tamē possū referre aliquē qui sit curatus,quod ut dixi parū à ueterib.hoc morbi genus cognitum sit. adhibēdus est igitur præter reliqua primū sodalis fidus ac prudēs sub hac lege, ut uicissim alter alteri peccata obijciat sine obiurgatiōe. Quāobrē illū alterū patiētissimū esse oportet,et prorsus ab iracūdia alienū.Sed dicta hæc quā factu faciliora sunt. quærimus res. si uiro iam prouecta ætate adhærere uelit,optimū est, uitiū hoc ē puerile.soli.n.pueri cū rationē habeāt ratione uti nolūt,infantes nō habēt,iuuenes habent et utūtur,senes magis utūtur quā habeāt.Cum ergo puerile sit uitiū,

pucrorum

puerorũ aũt corpora calida sint et humida, et sanguine abũdẽt et tenui, et flagris ac timore cõtineãtur: hinc cuius modi sit hoc uitiũ intelligere licet ac qualiter curãdũ. Statim ergo ad senilẽ habitũ traducẽdi sunt sanguinis missione, laborib. inedia, tristitia, uerberib. metu et quibuscũq; naturæ aduersantib. quocirca illi miserrimi sunt qui cum hoc uitio aũ tẽperaturã corporis imbecillẽ habẽt. Similiter abducẽdi sunt ab oĩ puerorũ cõsuetudine, imo etiã aspectu. nã horũ propriũ peccatũ ẽ impatiẽtia. adeo ut multi ex eis maximè Galli et uerberib. assueti, quamuis sciãt se uerberãdos, nolint tamen abstinere ab his à quib. iussu dominorũ abstinere deberẽt. Iuuenib. ergo uel senib. sunt sociãdi. Ex ludis aũt latrũculorũ maximè idoneus ẽ, quoniã ob uictoriæ desideriũ et cũ sciãt in sola industria oẽm spẽ esse repositã, cogũtur animũ intẽdere, cogitationẽ adhibere, mẽtẽ firmare. Ergo huius ludi nõ paruũ premiũ cura scilicet præcipitis animi atq; cõsilij. Reliqui ludi cũ in fortuna etiã auxilio sint repositi. spẽ faciũt sine magna cogitatiõe, hominẽ uictorẽ euadere posse: ideo ad impatiẽtiã adiuuãt, et ut stultũ ad impatientiã adhortãtur, ita sapiẽtẽ et prudẽtẽ, ad studiũ et cõsiliũ ac morã. Sic et mercatura ad utrãq; patiẽtiã nos iuuat: & ut rectè cõsideremus, an emptio illa aut permutatio lucrosa futura sit? aut lucrosior alia cõditiõe oblata? an oĩo dãnosa? et ut temporis expectatiõe rẽ augeamus docet, ac quasi patiẽtẽ fieri cogit. Nauigatio etiã patientiã auget, ut necesse sit ferre quod ferre nolumus. Cumq;, ut dixi, triplex sit impatientia, duo prima genera quidem inter se distincta sunt. at tertium genus reliqua duo semper secum iungit.

Quorũ enim ratiõis nullus est usus, hi ut belluæ qualib. le ui blãditia aut terrore mutãtur. hi ergo si uel intẽperãtiæ et uoluptatis, aut iræ causa aliqua aduenerit, quis dubitat quin statim ab illa cõmoueãtur? Ob id etiã huiusmodi adolescẽtes aut uiri si paululũ imaginãdo aberrẽt, aut iudicio statim in insaniã deueniũt. Nullus ergo morbus tam est insaniæ proximus ut impatiẽtia, adeò ut pleriq; stulti aßidua uexẽtur impatiẽtia. Et sunt qui stultos ex impatiẽtia dijudicãt, quãuis ego nõ probẽ, facillimũ enim lapsum sentio: eadẽ eße inter se nõ uideo. Suscipit tamẽ ex ætatis processu aliquod auxiliũ, sed nõ eiusmodi ut circa artis curationẽ fidere poßis, præsertim cum morbus sit rediuiuus: adeò ut nõ confidã nisi post longũ tẽpus ad naturalẽ humanæ grauitatis metã posse reuerti. Cũ ergo Græcos leues appellarẽt Ro. quid aliud illis obiecerũt quã impatiẽtiã et neglectũ rationis usum? Expectare igitur oportet duos aut 3 ann. postquã curatũ illũ existimaueris. aliter nõ leui in discrimine uersaris, ne repẽte aliquid maius admittat peccatũ quã antea fecerit. Idq; eo periculosius est, quòd circa oĩa genera calamitatũ et infortuniorũ uersatur impatiẽs, quia ut dixi, circa idẽ uersatur error et scientia. Patiẽter ergo agere est cũ ratiõe agere. Porrò cũ ratione agere ad oẽm pertinet operationẽ. Ideo impatiẽtia oĩs erroris et infortunij mater est. Iracũdus.n. circa cõtẽtionẽ uersatur, intẽperãs circa uoluptates, cõtumax circa id quòd iã decreuit & statuit, ambitiosus circa honores, lusor circa ludũ, ignauus circa negligẽtiã agẽdorũ: at stultus & impatiẽs circa omne genus actionũ peccãt. Modo ergo uxorẽ sine dote ducet, modo ueneno aliquẽ tẽtabit,

aliquādo minitabitur potētiori ac frustra, emere uolet si ne pecunia, pecuniam sub ingēti fœnore accipiet, literas falsas scribet, iter absq; utilitate imò cū iactura aggredietur: emet uēdetq; suppellectilē præter propositū, ludet cū aleatorib. mutuo dabit malis debitorib. Alchymistæ se deuorādū tradet, aut in hæresim prolabetur, aut proditorib. se adnumerabit, aut amicos ueteres sine causa relinquet: uel indecora faciet, aut periculis præter propositū se exponet: aut sycophātæ se credet, aut adulteriū præposterè tētabit, aut donabit cū nō habeat, aut conuiuia inops celebrabit in quib. magis ridebitur quā gratiā iniet. Quid dicā de occultis quæ pādet, de uestitu indecēti, professiōe eorū quæ nō nouit? precib. ridiculis ac petitiōib. absurdis et apud penè ignotos, aut quorū sua nō interest? de incessu, uerbis, educādi more filios absurdo, sexcētisq; huiusmodi, quæ oīa et magna sunt, et pleraq; cū ultimo exitio cōiūcta? dico euersiōe patrimonij, cū infamia ac dedecore tū suo, tū cōiūctorū ac etiā morte, aut mortis periculo ingēti. Quis ergo tot periculis tot foueis, ne in earū aliquā impatiēs incidat occurrere possit? pueros continemus metu, uerberib. ætas excusat apud populū, et tuetur apud iudices. adultis ista nō prosunt, duæ supersunt spes: aut ut pro stultis publicētur, ut insigni infamia ab omni periculo liberētur. Sed tūc libertatē et usum proprij patrimonij atq; administrationē amittūt: altera quæ melior est si obtineri possit ut sanētur. Quocirca cū tam difficile sit suffragātib. etiā legib. hoc assequi, quam improbè egerūt qui huic tā sancto proposito nō solū auxiliū nō tu-

lere, sed grauia impedimẽta suis cõstitutiõib. adiecere. Palã. n. est multos iuuenes qui huiusmodi morbo impliciti malis suasorib. perditũ eunt, posse ad meliorẽ frugẽ sanis monitis reuocari. at ridẽt, dolũ nõ leuẽ hac irrisiõe tegẽtes. Quid enim saluis infamia nũmis? Qui. n. sic dicũt existimãt nihil superesse his qui eos arguũt, primũ ridere illos sat putãt? Si perseuerẽt minãtur atq; ostẽtãt carceres, aculeos atq; secures? quòd si obnitãtur molliũtur etiã deteriora illis. Ergo omittamus hæc, modo hi sciant & Rẽp. sic euerti, et animos nostros supplicijs atq; premijs sempiternis esse addictos: hãcq; uiuẽdi formã quæ simplicib. aduersatur, ac improbis patrocinatur deceptorib. furib. depeculatorib. sycophãtiæ dolosis, quæ adulteris ianuas aperit, parẽtib. manus uincit, Mahumeti addictis, legi uires addere, potẽtiã augere, animos accendere, atq; illos sensim nõ tãtũ huc adducere sed trahere. Qui uerò nihil putãt scitu aut lectu dignũ, nisi quod rẽ et nomen augere doceat: ut Iurisc. opiniões ac allegatiões medicaq; præcepta et auxilia, hi nõ intelligũt huiusmodi animi uitijs imbutos neq; rẽ parare cũ quãtauis artiũ etiã peritia (si modo quod rarò cõtingit assequi eã queãt) posse, nec partã aut hæreditate habitã retinere. nec si retineãt frui. Quãquã nec in huiusmodi argumẽto aliqua ex parte in superiorib. defuerim, ut rẽ augere doceremus. Verũ cũ de huiusmodi uitio abundè satis superq; dictũ sit: & quomodo cognoscatur, et in quot genera distinguatur, et quãta mala afferat, ac quomodo curetur quãq; periculosum sit nisi sanetur: reliquũ est ut fastu deposito, etiã de singulis alijs solũ principale auxiliũ recẽseamus, atq; id facillimũ.

reliqua eadē methodo inueniēda relinquantur. Iræ ergo hac ratione occurremus, si iniustū est, quòd tueor cur uis et per iniuriā obtinere uolo? quin potius blādicijs ac dolo? si iustū cur iniustè id quæro. ideoq; nihil proficimus, sed solū alienamus charißimos. ea admitttmus quorū postea pœnitet, quòd plus nos quā alios torquemus ac lædimus. Inspiciamus iratos quā deformes uideātur? quid agūt, salinā loquēdo inspuūt, inflati, rubicūdi, amētes, oculis turbatis, incerta uoce et gressu. memineris quot hominib. ira exitio fuerit, quot subierint ultimū suppliciū? edelētes, defer carneolū, in quo dū ♄ in ♉ est aut ♒ iūgatur ei ☾ in ascēdēte, sculpta sit imago ursi ac apū. ambo .n. hæc aīalia ira sua perire solēt. ambitus Tēpe sit amænißimus locus. Inuidiæ obijciamus illud, cur me ipsum frustra torquebo? Aut parat aut habuit? Si habuit cur nō inuides quòd Regis filius natus nō sis? si parat? inuide ergo ei labores, uigilias, solicitudines? demum cogita quòd oīa humana parū durāt, et mors oīa æquat. smaragdū aut hyacinthū collo suspēde, cū mortis imagine sculpta dū ☾ ♃ cōgreditur in ascēdēte, hoc .n. semper intelligitur. Et ♄ eiusq; stellæ, tū signa maximeq; ♎ absit. Odiū pari ratione obliterādū ē, cogita illū moriturū cū omnib. suis ac forsan deteriore morte, quā tu de illis si in manib. tuis essent statueres. breuis est uita humana, imò trāsitus quidē fulguris: magna pars uindictæ ē si intelligat te nō angi ob iniuriā. Memineris eius quòd Sen. inquit: Cū pari cōtēdere anceps est, cū superiore furiosum, cum inferiore sordidum: Scias superesse à morte qui ulciscantur. Cum filius

Ioan. Barchi dãnatus esset capitali supplicio, quã quã neminẽ occidisset nec uulnerasset, orabãt Deũ illius uxor et filia, eadẽ .n. in causa quidã fuerãt absoluti. interim filia quæ tũ an. agebat 13 inquit: O mater uidetis dominũ patrẽ sine capite: unde uxor animo destituta est. paulo post uenit nuntius qui retulit eũ securi percussum. Dira patimur, sed cicadæ inter locustas sunt. Sueton. in Caligula: semiambustũ leui cespite cadauer eius obrutũ ẽ: postea per sorores ab exilio reuersus erutũ crematũ sepultũq;, satis cõstat priusquã id fieret, hortorũ custodes umbris inquietatos. In ea quoq; domo in qua occubuerit nullã noctẽ sine terrore trãsactã, donec ipsa domus incẽdio cõsumpta sit. Ambitiõi oppones rationẽ tãtæ cõtinẽtiæ ob tã exiguũ uoluptatis fructũ. Vellẽ ab omnib. laudari: perinde ẽ ac si uelles omniũ bona poßidere: finitur hæc ambitio cũ uita: et quo plures te suspicient plures te oderint. Iaspidẽ cũ pardali sculpta, quæ nõnũquã sibi ob ambitionẽ irata perit saturno et ☾ in ♈ ♉ uel ♑ iũctis. Iactãtiæ id oppone, quòd quãto magis laudas temetipsum, tanto minus ab alijs laudaris. Garrulitatẽ lapidib. in ore cõtẽtis, et cogitatiõe firma et morsu brachiorũ cohibebis. Scripsit de hoc Plutarch. librũ elegãtẽ: Qui tacere nõ potest, saltẽ assuescat aliena dicere, ac prorsus falsa. ☾ cũ ♄ et ☿ in ♏ uel ♓ sculpe in Achate uel topazio, uel Chrysolitho uel onyche perspicuo Oriẽtali imagine. capellæ auis pauoni paruo similis est, quæ uoce se, suosq; puellos prodit et perit. Querulus ne sis, quòd ex amico inimicũ reddis cogita: et cõtẽptus euades nil lucrifaciẽs, præstat id agere cũ his quos cruciare uelles. at si hoc potes alio telo opus est.

Crudelitatē ita repelles, ut existimes quid tibi fieri uelles. Quòd illū offendēdo deū offendis, quòd ille tibi omninò similis est, eodēq; sanguine prognatus, quòd humanitatē exuis. ☽ cum ♈ iūcta in ♉ aut uirgine uel ♎, sculpes Christū dū crucifigeretur, et matrē in smaragdo uel sarda. Tristitiā quæ depellāt suo loco dixi. in carbūculi uilioris quadā specie quā granatū uocāt sculpæ lætæ diei imaginē, aut saphyrū uel smaragdū pulchrū in annulo defer. Ede crocū et ambrosiā, aquāq; bibe ex florib. nymphææ et papaueris albi. Et musica quæ ē illi propria nō alia utere: auget enim etiā uinū albū dulce, et iter lōgū, et amici prudētes, et metus magni. et illud tecū reputa, quod moriēdū est? et quòd tū pleni gaudij particeps eris. Et meditatio miseriarū illorū qui fuerūt causa tristitiæ tuæ. Et si uiuit, cuius causa metuis? liberari potest, si mortuus est, ille bene habet, et ei occurres quā celeriter, cogita etiam quod nihil proficis. ludus etiā iuuat et cōcubitus cū puellis et mulierib. prudentibus. Tristitia aūt affici alia causa quā ob luctū nō est generosi animi. Cōtumaciā depelle cōsilio, quia si utile est propositū ratiōe uince: si inutile tibi soli malefacis. et amethistus, smaragdus, hyacinthus, granatus, oēs augēt sapiētiā, ideo cōtumaciā tollūt. Peruersitatē quoq; ratiōe lenies: ijsdē lapidib. minues, ☾ ♈ aut ♃ in uirgine aut ♉ uel ♌ iūctā collocabis in ascēdētē. Agnū insculpe aut aluearia cū apib. ut memineris quātā industriā in illis Deus collocarit, tu uerò ape deterior eris? Stultitiæ leui occurres edēdo cerebra gallinarū, carnes palūborū et testudinū, et bibāt acetū albū modicum,

quotidie et purgētur cū elleboro nigro, epithymo et cæruleo lapide loto tricies. Et bibāt ius castrati, et odorent nymphee flores et corū aquā: et puluis gemmæ granatæ species ē carbunculi: Et borago aßiduè comesta. Et dius semper negotijs implicitus, et ☽ cū ♃ in ♈ iūcta cū felici ☿ aspectu, sculpe in topazio Aristot. in Tēpe spatiātē. Ludo ut abstineas te alij implica uoluptati aut negotio si potes, iter lōgū suscipe, cogita periculū iacturæ rei, et certā tēporis irreparabileq́; iacturā, et cōtēptū. Furto ut abstineas sæpe uide supplicia, negotijs te implica, uoue deo: iter lōgū age. cogita quāto periculo te exponas, infamiæ suspitionē, mortis horā et restitutionē. Importunitatē tolles si reputes quid tibi fieri uelles, et impatiētiā ablegaueris. Petulātiā dele ac morositatē hoc cōsilio, quòd tibi id fieri uoles. Verū uoluptatē cape cū alijs, id ut efficias cum his quos amas uersare, et cū quib. uersaris eos ama. Timorē excute edēdo corda luporū, eorūq́; sed iuuenū carnes. ☾ cū corde ♌ iūcta in iaspide, uel garatronio uel magnete ♃ locū respiciēte aut ♂ benignis radijs equi saltātis imaginē aut ♌ sculpe, utere uiticis semine cū mōbasio. Ebriosus uinum fœdum bibat. uorax pinguia similiter edat, cogitet uitam ualetudinemq́; perire. Libidinosus edat rutam, uiticis semen ac nymphee & ijsdem superincumbat, exerceatur fodiēdo, aquam bibat, studeat. Chrysolytum ferat ☾ ♄ iuncta in ♌ illi amethystum, ☽ cum ☿ & ♃ iuncta communis sculptura. Sus in cœno iacēs & lanio cum cultro. Auarus meminerit omnia inimicis relicturum. Se interim Deum offendere, amet, ludat.

Prodigitatem

Prodigitatem quæ hominem perdit, Luna cum Saturno in Saturni domicilijs iuncta, sculpe formicas colligentes grana aut ♌ senē uel aquilā, nā hæc duo animalia senio superueniēte fame pereūt. Segnitiē sculpto polypo ☽ aucto cursu cū ♂ in ♈ cū radijs ♃ in iaspide. Vanitatē papilionē incēdiariū à lumine extinctū sculpe in carbunculo uel hyacintho cū ☉ fuerit in ♌ et ☽ in ♈ uel cōtrario modo cū ♃ uel ♄ propitijs radijs. ἀχαριστίαν agrū segete plenū, uineā uuis, ciconias deferentes parētes in smaragdo sculpe. Misericordiā inutilem sculpto pauone caudā ostendēte: alia animalia quæ interim edunt in onyche perspicuo, cum ☽ & ☿ in ♒ coierint. Stupidos admonebis sculpto ceruo, sagitta in præcordijs icto dum cithara hominē pulsantem spectat. Irrisorem simiæ captæ cū ocreis imagine cohibebis. Genus est fatuæ ambitionis & malignæ. Indignabundū in Balaßio Herculeū lapidem & acum marinam sculpe. alius est honos à uirtute, quòd si hoc natura fert, cur & tu ferre nō uis? Vecordiam & impudētiam in amethysto sculpe, dum luna est iúncta ioui cum radijs ☉ fœlicibus. uirginem cum florentibus lilijs in prato et oricem in eius sinu dormientem, riuulumque aquæ tacitæ labentis.

Tædiosum esse non debere intelliges, si muscam, culicem & cimicem gemmæ insculpseris.

Rusticitatem depelle suspendens Chelidonium collo. Et Luna Veneri iuncta in aspectu benigno Mercurij, uel coniunctione uel in eius finibus in smaragdo, sculpe iuuenē blandientem puellæ in prato florente, circum

positis

positis rosis lilijs amænoq; fonte. Perfidiã et improbitatẽ hoc depelle cõsilio, quod hos malus exitus nõ fugit, si mo do fugiat est cõsciẽtia scelerũ tortor, ẽ diuina ultio, ☾ ♃ iũcta in igneo trigono ☉ trigona radiatiõe aspiciẽte in nobili carbũculo, licet nõ ualde precioso, utpote propter maculas uel hyacintho sculpe uitã cũ gladio, carnificẽ cũ securi, uinctũ cũ uipera cor exedẽte, uel Cleomenẽ seipsũ ab imo cultro usq; ad præcordia discidẽtẽ, quòd uiolata fide Argiuos trucidasset. Hypocrisim faciẽ triplicẽ, pueri, iuuenis, senis simul iũctas sculpe ☾ ♃ Oriẽtali in sagittario copulata in hyacintho cũ Erebi omnib. scelerũ ac suppliciorũ repræsentatiõib. uel si operosum sit Caco dæmonẽ in flãmis & lupũ ululãtẽ. Cogita perpetuò te esse cõmunẽ Dei et hominũ hostẽ. Incõstãs in onyche lucida, ♄ prope ♃ ualde ☽ iũcto, hominẽ sculpe super funẽ ambulãtẽ, infra aũt præcipitiũ ingẽs. Eodẽ temerarios cohercebis. Vel ♌ ♉ insidẽtẽ insculpe. Curiositatẽ imagine canis sagacis in spelũca à ♌ deprehẽsi: aut hominis à uipera dũ latibula scrutatur demorsi, cũ his quæ 4 literis L.M.N.P id est lõgè multa nescire præstat, auertes. Adulatores ab instituto retrahes cõsilio nõ imagine. quoniã uolẽtes et tuto peccãt. Si tamẽ libet, sculpãt ceruũ inter nemora et coruũ: canẽ aũt in domo. inde cogitẽt quanto melior sit uita cerui et corui tutior, ac liberiorquã canis? Atq; hæc de his breuiter dicta sufficiãt. memorãtes quòd species perturbationũ ad genera sua referre scire oportet, ut indignationẽ ad ambitiosam iram, sed mitem. Ex his generum auxilia ad species transferes.

Hæc quidẽ iuxta ea quæ in lib. de Rerũ uarietate sunt.

Verùm rectè æstimāti tametsi cōmunis uideatur opinio, quòd ad gēmas et figuras, aliaq; morū præcepta ipsa partim experiētia omnia cōprobauit. at circa siderū cōstitutiōes ea uis esse nō uidetur, quæ mores hominū immutare queat. aliter suspēdere lapidē collo, gēmā in annulo deferre magnā mutationē morib. pericula etiā uitæ afferret. lapis enim ille incerta sub siderū cōstitutiōe perforatus aut excisus, annuli aūt aurū fustū incerto astrorū situ, gēma inclusa auro ferroq; percussa? quæ nugæ, quæ fabulæ ac præstigiæ, ut quoties lapidē gestemus periculæ uitæ, mutatiōis morū, amissiōis fortunarū incurramus? Quid .n. maius quā cū gēma è matrice tot laborib. eruitur? Deinde fac ut insculpta ☽ cū ♄ iūcta cōstātiā addat, quid si uel parū ferro illā tāgā ☽ ex opposito ♂ cū in abside fuerit aut ☿, nōne eadē leuitatē pariet? quid refert quod sculpatur uel fodiatur, aut atteratur ære ac poliatur? nónne perpetuò siderum rationē habere cōueniet? Quid de tot gēmis sculptis atq; perforatis? imo omnib. quoniā in omnib. dū eruūtur, labor, tēpus et ferri opus adhibetur? cū suspēdūtur nō iā lapidis naturā ac uim, sed tēpus illud quo elaborata est, quoq; eruta scire oporteret? aliter eo in periculo sumus, ne nō incōstantē pro cōstāte, incōsultū pro firmo, infelicē pro felice, uitæ breuioris pro lōgiore faciamus. Quinetiā res hæc eo longius traducetur, nā eadem quæstio de uestib. nouis induēdis erit. illæ .n. dū fiūt ferro ac per lōgū tēpus elaborātur. eoq; res tādē perueniet, ut etiā usq; ad superstitionē excindēdorū capillorū perueniamus. Vides uno admisso errore quāta cōtingāt? Nihilo secius res ipsa antequā adeò subtiliter expēdatur, uerisimilis

milis nõ parum esse uidetur. Respõdeo igitur ut ueritati magis quã opinionib. faueã, aut gloriæ inuẽtiõis nouarũ rerũ: quòd sculptura hæc minus potest quã lapidis natura, aut cõmemoratio quæ ex figura habetur, aut ratio ipsa peruincẽs affectus nostros immoderatos: aut tẽporis ratio qua lapis ipse excisus ẽ è matrice, ut iam 6 ordines rerũ statuamus. In primo collocabimus rationẽ naturalẽ, timorẽ Dei, reliquaq; quæ nos ab huiusmodi peccatis auertere solẽt. Vt oratio illa Xenocratis qua impudicũ Polemonis animũ mutauit ad cõtinẽtiã. In II aũt ordine reponemus lapidis ipsius facultatẽ quid cũ genio cõmune habent, quòd inuictæ sit naturæ & admodum diuturnæ uitæ, ut ad eas uires quæ peculiares in hominib. habẽtur, adeò cõducat ut pro genio habeatur. Dico addere patiẽtiã, animo lætitiã, memoriã, somniorũ ueritatẽ, quæ si adeò perspecta eßẽt ut etiã uera sunt, id cõtingeret quòd de Astrologia dicere sum solitus, homines quasi deos futuros. nũc cũ omnia tã parum sint cognita, nescio an illud quod scitur nobis sit inutile an utile. sæpius forsan quòd in omnib. alijs quæ parũ perspecta sunt. dico medicina, iurisprudẽtia, cõtigit inutilẽ esse existimo. nam nulli sunt magis perniciosi ægris quam uel imperiti medici, uel qui medicinæ præceptis aspersi sunt. nulli deteriores in extruẽdib. ædib. quã qui architecturæ rudimẽta quædã tenẽt, artẽ ipsam aũt nõ tenẽt. Ita ergo de singulis. lapidum ergo natura, uis, facultas, atq; proprietas nobis adhuc fermè ex toto ignota est: experiri nõ tutũ est nisi pauciorũ: perspicere naturã etiã post lõgũ tẽpus, propter tot quæ admiscẽtur, tot casus, decreta astrorũ in genituris, uarietatem in-

tē ingeniorū, cōditiōis, artiū difficillimū. si quis tamē hoc possET intelligere ut in adamāte fermè perspecta est smaragdo, granato, atq; carneolo tum amethysto ac hyacintho, genios nobis cōciliare uideretur. nā nō pretiosiorū gēmarū sed uiliorū plerūq; uis maior, firmior ac magis admirāda, quòd natura huic uni scilicet proprietati nō decori intēta fuit. Sic in lapidib. uides. quid Herculeo foedius aut mirabilius? in plātis non rosæ aut uiolis, uel lilijs aut specioso lithospermo uel uisco, sed elleboro, rhabarbaro, siculæ herbæ multisq; alijs deformiorib. uires ægregiæ insunt. Sic et in aīalib. cerā, mel, sericū, nō equi aut elephātes sed bōbices et apes, nō solū parua et uilia, sed etiā foeda animalia fabricāt. Cur hoc? quis nō uidet? Equū .n. elephātes et canes, cū suijpsius causa facti eßent, in eis natura decorē excogitauit et firmitatē, nō aliud quicquā in his animalculis, cū parū aut nihil reposuerit propriæ utilitatis studij causa, ōem uim atq; solertiā in admirabilē ebrū opere cōuertit. adeò ut si quis uel Polyticā apū, uel Bombycū metamorphosim reputet, tā admirāda utraq; uidebitur, ut propior fabulæ quā historiæ censeri poßit. Viles ergo gēmas haud cōtēnemus, et quāto magis despectæ modò duræ sint, eo magis suspicandū est uirtutes illis egregias inesse. tū præsertim cū specialē quandā formam habuerint: nec oēs prosunt. Ex his .n. quas habeo plus lædi quā iuuari me sentio, præter hyacinthū & smaragdū, quas semper mecū tuli, nec non etiam sapphyrū. Reliquarū nondū ullam inueni mihi faustā. ratiò est quòd illarū uis nō est ut harum triū tēperata, sed ut iuxta rationē dictā immoderata atq; incognita. III loco ē imago inclusa

quæ nos

quæ nos admonet ut ab eo uitio abstinere debeamus. IIII tẽpus quo gẽma excisa est cõsiderãdũ ueniret, sed cũ id incertũ sit, omittimus quod habere nõ licet. Quinto tẽpus quo figura sculpitur aut annulus fabricatur. hæc enim cũ sub rara cõstitutiõe fiãt, et magna lapidis aut metalli mutatiõe, ac lõgiori tẽporis spatio uim magnã recipiũt ab astris. Cætera uerò ut uestes quòd res mortuæ sint uim nullã recipiũt. uiuũ enim à uiuẽte solũ uires recipere potest. Polire aũt gẽmã cũ fortuito fiat raro in uehemẽtẽ incidit siderũ cõstitutionẽ aut rarã, ideo parũ afficit. sic etiã cum gẽma terebatur. Sed cũ politur etiã alia est ratio, ne multũ poßit scilicet parua lapidis mutatio. Cũ ergo quatuor sint causæ efficacis proprietatis recipiẽdæ, uis egregia naturalis recipiẽtis cũ duritiæ eximia et uita perẽni, selecta atq; peculiaris illi negocio, ualidaq; astrorũ cõstitutio, diuturna et cõtinuata impreßio ex immutatiõe diuturna, et cõtinuata in lapide sub eorũ cõcursu facta, et magna immutatio in ipso lapide ut sculptura profunda, patet alijs in exẽplis plura aut potiora ex his deficere: ideo reliqua præter etiã initiũ gestatiõis, quod 6 loco reponi potest, esse inefficacia. Hoc aũt ultimũ aliquid facit ut in iactis seminib. in generatiõe animaliũ: cũ uiuẽs uiuẽti copulatur in primo cõtactu, ex quo postmodũ nõ separatur. Multo magis refert cui homini iũgaris. nã habitu geniturarũ ad bonos malosúe mores felicitatẽ aut infelicitatem insignis mutatio fit. adeò ut tota uita nouũ cursum subeat. Ideoq; diligẽtißimè cauẽdũ ẽ cũ quo amicitiã cõtrahas. tum maximè quod cũ quibusdã optimis uiris infelices ob geniũ aliquãdo euadimus: quod etiã in equis licet nõ tantũ referat est obseruãdũ.

Finis Libri tertij.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE VTILITATE CAPIENDA EX ADVERSIS, Liber IIII. qui est de Externis.

DE AMICORVM ET CONsanguineorum calamitatibus.



XTEERNORVM incommodorũ historiam tractaturus, è re esse duxi ut singula genera prius distinguerẽ, ex quo cõfestim intelligeremus qualia essent, & quae & quam magna aut parua. plurimis enim uideri posset hoc nomine quae hic tractantur esse non magni momenti cum maxima sint. Quid enim charius fratribus? quid dulcius filijs? quid uxore iucundius et amabilius? quid parentibus maiori curae esse debet? Sunt praeter haec amici non parua nostri pars, consanguinei familiaresq; non negligendi. Horum omnium labores, miseriae, calamitates, aduersa incommoda, mortes diuersis modis nos turbant: sed aliqua adeò ut ipsa morte nostra sint grauiora. Quod si de singulis tractare uoluero, hunc librum in infinitum extendam. Oportet igitur tria deligere pro exemplo, extrema scilicet duo ac

medium. Extrèma quidem & charißima filij, minus chari familiares, mediocriter autē fratres parentesq́; atq; amici. Sed uxoris conditio ob filiorum, uoluptatis, consuetudinis, ac gubernationis domus, societatem filiorum charitati similem desiderat tractationem, quæ tamen ex parte ea iactura facile reparari potest, seruorum curā paulo superat. Atq; id etiā iuxta uaria hominū iudicia: quidā enim uxorē omnib. filijs præferunt, alij uix familiari æquāt. quorū neutrū probo. ob tantā tamē inæqualitatē cū in reipsa, tum in uxoris probitate aut improbitate, tū etiā in hominū iudicijs, seorsum quasi quoddā genus cōstituēs eam tractationē attigi. Generaliter ergo iā in 4 capita hāc tractationē diuisimus. Illud quoq; generaliter attingere oportet, in quo externa à proprijs differāt. nā nō magnitudine, cúm filiorū præsertim infortunia, nō solū pauperie, litibus, exilio sint grauiora, sed persæpe etiā ipsa propria nostra morte. Dicuntur igitur externa, quoniā nos nō afficiunt primū calamitates quæ his accidūt, sed tamē illos afficiēdo nos ipsos quoq; torquēt, tanquā illis plus minusúe cōiunctos. Est aūt hoc discriminis inter nos et illos, quòd non nostro sensu neq; nostro iudicio metiri licet calamitates, sed eius qui afficitur. Siquidem filiū impuberem mori cernamus, aut etiam iam puberem sed pauidum, molestius eam mortem quam propriam ferimus: quoniam non nostro sensu neq; iudicio, sed illius eum dolorem metiri cogimur. Neq; eadem auxilia

xilia adhibere præsertim ex philosophia sumpta illi possumus, quæ nobismetipsis. Hoc uerò melius habet quòd nos qui auxiliamur, licet doloris simus partici-pes, non tamen causæ. uelut exilij, carceris, aut morbi, ob id suppetias aliquanto melius illi afferre possumus. Tertium est ut in singulis generibus ordinem doceamus, & quæ nam magis aut minus afficiant. Etenim cum duplex hic sit, aut ex genere ipsius calamitatis à causa sumpto, de quo satis diximus. uix enim aliud in toto opere sæpius repetiuimus, quàm quid deterius esset senectus an mors? paupertas an exilium? atq; huiusmodi? alius ratione personarum qui huic tractationi propriè necessarius est, de eo primum dicendum puto.

Videntur igitur filiij omnium esse charissimi ob perpetuitatis spem, quòd pars sint nostri nobiscũ educati, in nostra potestate. Fratrum quoq; qui patrimi matrimiq; sunt, eadẽ uidebitur esse coniunctio, nã si ex eodẽ patre matreq; sint quibus tu natus es, nihil plus tu habes quã illi, illi nihil plus quã tu, nisi quod casu aut educatione cõtingit. hoc aũt totũ ad nos uix quicquã pertinet. Itaq; Gell. bene uidetur quãuis lõginquius aliquãto exposuisse, frater quasi ferè alter. Et certè frater idẽ nobis est si ex utroq; parẽte genitus sit. Et eo magis cũ gemelli fuerint, adeò enim aliqui ex his se mutuo diligebãt, ut unus sine altero esse nõ posset, ut illos sapiẽtes esse iudicẽ qui cũ nepotes haberẽt ex fratrib. uxorem ducere neglexerũt, quòd illos nõ aliter quã charos haberent.

berent. at filij ex nobis sunt? uerum & fratres ex eadẽ materia atq; toti. filius enim patris minima est particula, filij ergo fratris pro tuis erunt, cum frater tibi idem fermè sit.

Inde ratio orta similitudinis quam breuiter explicabo. plurimũ enim facit ad sciẽtiam cõiunctionis huius, nam qui similes ijdem maximè coniuncti sunt. Et qui maximè coniuncti sunt, eorum consuetudine ac uita maximè lætamur & gaudemus: eorum quoq; interitu tanto maiore desiderio tenemur, & ob id etiam tristamur. Principio igitur cum filius ex utroq; parente gignatur, principalia membra necessario similia contrahit alteri eorum uel utrisq;, quòd si post nullum sequatur impedimentum, similitudinem esse retinet illius parentis, cuius partes plus potuerunt in formando membra principalia, utpote si patris semen uicerit illi aßimilabitur: si matris sanguis & semen matri: si utriusq; par fuerit administratio, erit forma ex utroq; parente mixta: uel in singulis membris, uel in uno uni in altero alteri aßimilabitur, ut in oculis patri, matri in naso. Sed si euertatur forma à generatione, aut laboribus, aut inopia cibi, aut crapula, aut uigilijs, aut animi dolore, uel morbo, euadet forma alia quam parentum. Et similiter si parentum forma & ipsa iam euicta fuerit, nec sequatur membrorum principalium naturam, qui nascetur non parentibus aßimilabitur. Iam uerò idem dicendum erit de puella quæ ex alijs parentibus orta sit: quo-

ſit: quoniam quatuor etiam diſtinctionibus formæ ratio comprehendetur. aut enim aßimilabitur patri uel matri, uel utriq;, uel neutri: ſcilicet cum propria forma aut ipſorum parentum euicta fuerit. Si igitur huius pueri ac puellæ, ut parentum forma non euicta ſit, ſed forma eorum fuerit iuxta temperamentum principalium membrorum, ſintq́; ex iiſdem parentibus alij orti fratres ac ſorores ſuis parentibus ſimiles, atq; eodem modo in principalibus conſtituti, quemadmodum & puer qui natus eſt & puellæ, ſimiliter fratres, eodem modo ſimiles in temperamento atq; etiam forma parentibus ſuis: tunc uerò coniuncto puero illo cũ puella cum ad ætatem peruenerint adultam procreetur, gratia exempli: puer hic ergo poterit eſſe ſimilis auo, item auiæ, item patri, item matri, item patruo paterno, item auunculo, item nulli. Eademq́; ratione, ſed in longius producto auunculo maiori, aut patruo maiori. Sed hæc ex alijs dignoſcentur quanquam rariora. Quomodo igitur patri: cum patris ſemen peruicerit, & pater formam habuerit contractam à parentibus, aut in eo forma à principalibus membris conficta, ex toto euicta fuerit, ſic ut membra principalia natiuum iam mutauerint temperamentum, hocq́; rarò accidit. Ergo primo in caſu patri ſimilis erit auo auiæue, in ſecundo caſu patri tantum, cæteris maioribus dißimilis. Eadem ratione iiſdemq́; cauſis atq; differentijs aßimilabitur matri: aut patri ac matri ſimul, aut auis eorum

aut non. hæc enim perspicua sut ex primo exemplo. á-uo autem & non alijs siue paternus sit, seu maternus, seu auiæ hac ratione. cum euicta forma in patre aut matre ex externa causa principia non fuerint euicta, sed similia auo uel auiæ, cuius pars uicerit in generatione fœtus illius fœtus formam sequetur, si non euicta fuerit forma, illa sequetur formam à principijs deriuatam. quare ab auo uel auia, non autem à parentibus cum iam euicta sit: igitur aßimilabitur auis & non parentibus. Quòd si pater matérue principijs ab auo & auia contractis formam aliam ob impedimẽtũ cõsecuti sint, frater aũt patris aut matris similẽ auo & auiæ ac tẽperamento principalium mẽbrorũ, filius qui nascetur, si forma illius non casu aliquo superetur patruo uel auunculo aßimilabitur, iuxta uictoriã patris aut matris. nã nõ aßimilabitur parentib. cum euicta sit illorum forma. nec auo aut auiæ, quoniam pater aut mater mixtum ex utroq; tẽperamentũ sortiti sunt: hoc autẽ patruus aut auunculus adepti sunt, ideò tẽperamẽtum filij et patrui seu auunculi idẽ est. quare cum neutrius forma casu uel natura è principijs immutata sit, erit forma filij similis formæ patrui uel auunculi, cum uero filij forma aut principia etiam aliquo externo casu euicta fuerint, natus nulli maiorum similis erit, ut nec monstra. Erunt ergo causæ similitudinis nepotis ad auum, gratia exẽpli, paternum nõ alij ex maiorib. quatuor uictoria seminis aui in patre, euicta for-

ma in patre non principium casu aliquo uictoria semi nis patris in generatione filij: Et quòd forma filij ac temperamentum principalium membrorum nullo casu euicta sint. Hæc igitur similitudinis ratio atque hæ causæ.

Ex quibus haud difficile est intelligere, cur fratres inter se plerunq; similiores sint quam patribus filij: ex utroq; enim, ut dixi parente eadē principia easdemq; partes contraxere. Sed filios ob id magis diligimus, quòd in spem posteritatis magis etiā educētur, quodq; in nostra sint potestate, namq; educatio diuturna per se sola magnum conciliat amorem. Verùm & si frater adeò fratri coniunctus sit, ut filij fratris patruo pro filijs haberi mereantur, non tamen uicißim res conuertitur: ut patrui nepotibus sint tanquam patres. actu enim sunt, potestate autem minimè. nam qui filij ex patruo uel auunculo generantur, non sunt uelut fratres, fratres enim germani sunt, at patrueles cum diuersis sint nati matribus non sunt ut fratres, sed uinculum necessitudinis in his maximè abrumpitur: nisi uel patruus ex eadem matre quæ illi glos est, filios susceperit Iudæorum more: nam hi iam fratres sunt rursus, aut si duo fratres duabus sororibus, aut alternatim cō iuncti sint, qui nascētur patrueles fratres erunt. Nō ergo exacta est cōiunctio patrui ad nepotē sed media: actu similis fraternæ, potestate ut patruelium qui disiuncti sunt. Vtrum uerò hæc cōiunctio in infinitū ascēdēti

ac descendentium extendatur: materia quidem ostendimus dum de iniuria loqueremur minimè: an etiam similitudine tot interpositis medijs? difficillimum est. Sed si modo manet, ad exiguam reducitur quantitatem. at patruelium etiam exigua est: cum ergo ex concessis similitudo in infinitum diuidi poßit atq; attenuari, parum differet similitudo millesimi ex descendentibus meis ac patruelis ad me. nam minimarũ quantitatum minimas necesse est esse differentias, quamobrẽ parũ intererit seu millesimus ex recta linea descendentium, seu à latere maneat. Impreßio quoq; mutatione sexus aut abrũpitur aut minuitur, quo fit ut tribus ex causis parum qui multum absunt ex posteris descendentibus ad nos pertineant. Quocirca uidetur optimè huic quantum licuit perspexisse Moses, licet postmodũ infœliciter cesserit: iubendo ut ex eadem quam dicunt tribu, coniuges iungerentur, sic enim coniunctio descendentium cum maioribus augetur non minuitur. semper enim aliquid incrementi recipit. Sed & si patrueles & amitinos simul relinquas, perinde est ac si quis ex fratre uel sorore nepotes. Verùm periculum est ne altera stirps deficiat. His ergo rationibus confirmatus, ad parentum, filiorum, fratrumq; incommoda ferenda: tum etiam si quid deterius euenerit accedes, nec ob id tamen negligentius illorum curam ages. tantumq; supererit studiũ præsentium. Pro quo alleuando, ut dixi, retroagere nos debemus: aut qui nostri curam gerunt id agere, ueluti si

filium

filium, aut fratrem amiseris, nunciabit alterum filium aut fratrem obijsse. periculosum est sed necessariū quasi & optimum auxilium. nam ubi superstitem unum intellexeris prioris cura multum minuitur. Cum enim natura soli nati simus, maximè quod ad filios attinet, nisi præcedentium memoria obstaret, quicquid reliqui esset pro lucro poneremus, quod in his qui sine filijs sunt cum filius nascitur obseruamus. neque enim quòd alijs sint quatuor aut duodecim, sed quod sibi natus sit unus, cum nullum haberent considerant. Retrocedere *igitur uersus initia in luctu expedit si filij sint.* Si paren*tes id considerant quòd ea lege nati sumus, ut si non essemus infelices obitum illorum expectare oporteret. quæ ratio etiam in maioribus fratribus ante oculos ponenda est: in minoribus ut de filijs statuendum: scilicet quòd cum nati sumus illi non erant.* Deniq; *illud* Iobi *semper in huiusmodi calamitatibus in ore habendum:* Nudus *egressus sum de utero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Dominus *dedit,* Dominus *abstulit: Sicut domino placuit ita factum est.* Quamobrem *quicquid superit pro lucro habendum est.* Iam *ergo quæ in parentibus dicemus pro fratribus maioribus. quæ pro filijs, pro fratribus minoribus satisfacient, paucula inde de amicis subiungam.*

Ergo *parentum cōmoda, mors improbis filijs si sint sapientes. stultis autem seu probi sint, seu improbi infausta. sed læta his, illis autem tristis.* Nihilominus *si pa-*

rentem amisisti alterum, arctius complectere, amplectere filios tuos, nam in illis etiam spes continuationis stirpis eorum reposita est, amplectere illius filios tibi enim fratres tui sunt. quam gratum exhibebis spectaculum, si fratres tuos coram communi parente amplecteris? imitare exemplum illud famosum Apollonidis Cicenæ matris Eumenis regis, quæ filijs gratulabatur cum uideret filium Regem inter fratres gladijs accinctos pila ludere, erant autē tres. Idē Eumenes raro exemplo moriens regnum & filiolum Attalo fratri custodiendum reliquit. Attalus autem ubi primum adoleuit filius fratris regnum statim restituit, ut non solum culpa sed etiā suspitione culpæ careret. Cuius pietatis exemplum Cardinalis Mantuæ in cōseruandis nepotibus ex fratre ac regno restituendo seruauit, cum ad ipsum regnum ex nepotum interitu perueniret. O nunquā satis laudata Gonzaghæ inclyta domus? quæ gratiæ in tuos, in amicos, in alienos, culmen ac fidei attigisti? Sed Apollonidis tam felicem successum nō passa est diutius fortuna procedere. O mortalium inanes spes? gaudia breuia? siquidem mortuus est adolescens iam Rex factus: successit Attalus Romanis, nescio an per iniuriam an socordiam præterito fratre relictum regnum, extincta demum paulo pòst stirps.

Quid amplius sperare licet in mortalibus? postquam tam florentibus rebus, tam breui, tam exitialis finis etiam sine bello superuenit? Quæ sine spe fiunt

fausta

fausta magis sunt, quòd ex sola uirtute & gloria fructum consequuntur. Velut Carolomanus Gallorum, et Rachisius Longobardorum Reges qui fatrib. è manu regna tradiderunt, monasticam, ut uocant, uitam professi. Ergo ex parentum morte, administratio, opes, autoritasq; accedunt. magnum auxilium parentes, magnum munimentum, sed etiã magnum impedimẽtum, ad uirtutẽ, ad gloriã properanti. Præsertim si non admodum prudentia & autoritate ualeant. Si malè res cedãt, imperitiæ ac temeritati filiorũ ascribitur: quicquid bene, parentum nomini. Non est quærenda, non optanda mors parentum: si tamen euenerit, postq; ordinem naturæ sequitur, æquo animo ferenda est. multis filijs diuturna patris uita impedimenta & damna attulit. Pompeius & Suba Rex exitio unus, alter miseriæ filiorum uitam diutius protraxit. Sic & Alphonsus secundus Apuliæ & Neapolis Rex nimium filio & sibi superuixit, regnum enim quòd in iuuẽta summis laborib. & maxima cum laude recuperauerat, senex turpius amisit, quã antea recuperasset. Ingens adeo se turba offert uirorum præsentium, qui quòd diutius uixerint filios pauperes reliquerunt, ut nõ iam antiqua exẽpla in hoc requirẽda censeã. Itaq; cum multis prosit mors parẽtũ, quæ etiã lege naturæ his debetur, si eueniat sic excipiẽda est, ut inter indifferẽtia collocetur. Si nõ præpropera mors Philippũ sustulisset, nõ adeò magna gloria nunc etiã floreret Alexander. Nec tamen demiror

Tibullum

bullum qui fratrem deflet quam lugubri poßit describi carmine:

Multas per gentes, & multa per æquora uectus
 Aduenio has miseras frater ad inferias.
Vt te postremo donarem munere mortis
 Et mutum nec quicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
 Heu miser indignè frater adempte mihi.
Nunc tamen interea prisco quo more parentum
 Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu
 Atq; in perpetuum frater aue, atq; uale.

Verum ferre oportet quæ uitare non possumus, atque nobis tanto diligentius prospicere. Solent enim eadem fata parentibus ac filijs, tum etiam fratribus esse communia. discemus igitur quanquam charius, alieno exemplo cautiores esse aduersus imminentes calamitates. Sed cuius mors molestior esse debet, an patris an matris? Virgilius insinuare uidetur chariorem esse matrem:

Incipe parue puer risu cognoscere matrem:
Matris longa decem abstulerunt fastidia menses.

Leges patri magis fauent: quòd filium in patris potestate non matris constituunt. Ob id ergo patri maior ueneratio ut domino debetur, matri autem amor: nam matres magis amãt, quoniam certius sciunt filios esse suos, & quoniam in generatione magis laborarunt:

runt: par est ergo ut uicißim magis redamentur. Pater namq; in generatione nihil patitur, imò uoluptatē doloris loco percipit. ut quo ad generationem attinet nihil debeat illi filius. Sed neq; in prima educatione. posteriore tamen tempore propter sumptus filius ei multum debet, et propter eruditionē et curā. tum uero magis si periculo propter filium se exposuerit, ut sæpe cōtingit. Licet ergo in mala tractatione, educatione, institutione odisse patrem & matrem, nocere, maledicere, deserere, paruipendere, minimè licet. Verùm dices cuinam magis debet filius ex parentibus? Poëtæ cum Orestem occidisse matrem propter patrem scribunt, paternæ causæ magis fauent. Sed & Valerij Maximi exempla non matribus tantum quantum patribus fauent, Pluto Pinensis, Cymon, Claudia Vestalis, C. Flaminius, Manlius Torquatus Africanus. Sed quid dicam de Opio qui senem ac debilem patrem proscriptum sub mēdici habitu in humeros sustulit, atq; usq; in Siciliā saluum deuexit? ita ut à triumuiris ueniam & ædilitatem etiam, ac ex operarijs populoq; dona cum iam ei nihil esset promeruerit. Mouent mihi lachrymas cum hæc commemoro exempla, quæ uincere potuerunt sæuißimum populum Romanum, & aßidua cæde ac inhumanis spectaculis gaudentem. quæ triumuiros tyrannos inauditæ crudelitatis ac pro suo commodo agentes, læsæq; maiestatis nomine proscribentes, flectere ad misericordiam potuerunt.

Sic

Sic apud Octauium è triumuiris unum filiæ lachrymæ patrē seruarunt. Eodē et aliquāto maiore periculo Arrianus, et ipse patrē è carcerib. eduxit, maluitq; cū proscripto perire, quā solus uiuere: uerùm fortuna tā pio uoto fauit. Alexij quoq; Imperatoris insigne exemplum & Rosimundæ etiā charitatē, patriā quā immensa esse debeat attestātur. Ptolemæorum unus patrē occidit per iocum Philopater appellatus, alius Alexāder uocatus sustulit matrē. De eo qui dictus est Philometer nō habeo quid dicā. Verū insignis amoris erga matrē exēplum habetur in Lycophrone filio Periādri, Corinthiorum tyrāni, qui cum apud Proclē auum maternū in Epidauro educaret, reuocatus à patre Procles dixit illi: scito Lycophrō Periādrum patrem tuum occidisse Melitā matrē tuā absq; causa: quò dicto ille adeò perstitit in odio cōtra patrem, ut nullis minis, nō fame alijsq; remedijs in gratiā cum patre redire uoluerit. Quinetiā reuocatus ex Corcyra ut regno succederet cōditionem reiecit: dicens nō mansurum eā in patria, ubi mater sua perempta esset. Cum hoc etiā nihil cōtra patrem molitus est, nec uerbum protulit impium: nec pater filij cōtumaciā ulcisci uoluit. Ergo ut uideo omnium cōsensu plus patri propter uenerationem, quam matri ob amorem filius debet: uiuentemq; præferemus patrem, & mortuā matrem diutius deplorabimus. Plato uerò utriusq; iniuriā parem pensuit, quādoquidem & parem pœnā iniungit. Illud nō probo quòd permittat fi-

tet filium accusare patrem dementiæ, tam maximè publicè apud iudices, cum plus turpitudine nocitura sit filio res, quã profutura ob lucrũ. Exemplo quoq; pessimo totius Reip. oberit. Sed et ab imprecationib. parentes erga filios multo magis abstinebunt, quã uerberib. aut uinculis, aut uulnerib. leuib. quoniã filios infames reddunt et aliorũ iniuriæ expositos. Et si sequatur pœna, filius iusto plus plectitur, ac teipsum oderit si nõ sequatur, tu cõtẽptum dijs affers et illũ reddis nequiorẽ. Quod ad rẽ attinet stultũ existimare si Selymus regnat feliciter, patris imprecationẽ solã filio obesse. Ergo ut ad rem redeã, eadẽ sed minor erit cura de amicis. de utrisq; aũt scilicet amicis et cõsanguineis si quis ex eorũ calamitatib. utilitatẽ sumere uelit, quæ de filijs in unoquoq; genere scripsimus diligẽter perlegat: paucis. n. mutatis hæc illa huc trãsferri poterunt. Tu uerò interim omnib. opitulare iuxta rationẽ opũ tuarũ, seu sint amici boni inopes, seu studiosi pauperes, seu serui aut familiares miseri, aut consanguinei egestate oppressi. Sic. n. et illis proderis et laudẽ cõsequeris, et nõnũquã ab illis cũ moriũtur hæreditate res tua augebitur. Ergo rarò amici mors si amicus uerus sit, et non omninò pauper nõ utilis ẽ. antiquo tẽpore nulla erat chymica lucrosior, nullũ fœnus tutius atq; utilius. Mors amici multa nobis præbet cõmoda et exiguũ dãnũ: similiter et sanguine cõiuncti. Seu. n. hæredẽ te ex parte, ut dixi, reliquerit, seu tutorem instituerit, seu etiã tui nõ meminerit,

uerit, multa condiſces aliena iactura atq; dolore, quibus proſpicere poteris rebus tuis. quæ quia tam multa ſunt ut longam enarrationem expoſcerent, curſim ea pertranſibo.

DE FAMILIARIVM ET ſeruorum improbitate.



Rimum admoneris caſus hominũ, breuitatis uitæ, repentini exitij, inſidorũ ſociorum & amicorum ac familiarium, inanium laborum tuorum ac ſtudiorum. uides quòd maius eſt fratres ac filios magis ſolicitos de opibus quam de parente aut fratre. Soli parentes ſi ſuperſint ueras lachrymas fundunt. Vides à morte quale ſilentium imponitur tanto faſtui? quam omnia illius neglecta? qualis mutatio ſtatus totius domus? Itaq; ſapienti ualde utile eſt aſtitiſſe morienti. adeo ut mirer Lucianum de hoc non ſcripſiſſe dialogum. Videbis concertantes inuicem de furto, de perſuaſione teſtamenti, de fraudandis impẽſis, quis curator hæreditati, quis tutor filijs eligi debeat, quis ſcripta, Chirographa, libros ſit accepturus, ut aliquid communi nomine ſupprimatur. Si qui moritur filios aut fratres habet, plures pro uno amicos recipies: ſi his caret uix fieri poteſt ut nihil tibi defunctus relinquat. Sed fac ut duriſsima ſit mors parentis, nihil commodi

conſequaris,

consequaris, sed aut amicus talis sit cui superuiuere nolis: ut C. Blosius T. Graccho, & Pomponius & Lectorius Caio illius fratri, Lucius Rhegynus Cepioni, L. Petronius P. Cælio, Ser. Terentius D. Bruto, Lucilius M. Bruto, neq; enim ambigua exempla & incerta ex uetustate repetere cogimur, cum tanta sit copia illustriũ in Romanis, nónne ad omnia si superuiuere cogaris ardua & aduersa ferenda intrepidus uiues? Et quæ tractabis tam forti animo suscipies, ut uel potiaris illis, aut nihil doleas. Quot enim occasiones amittimus sub timoris specie? Quis fuisset Achilles si Hectorem non occidisset? Quomodo occidisset Hectorem? ni Briseida deflentem Patrocli mors excitasset? Qua in inuentione longe Virgilius ab Homero superatur. Quid illustrauit Tomyrim Scytharum reginam nisi uindicta de Cyro, qui illius filiũ occiderat sumpta? Quid Martialem equitem Romanum, nisi Caracallæ mors qui illius fratrẽ occiderat? Quæ nam fuisset Camma Galatha, si nõ ulta esset Sinatumuirum Sinorigem interfectorem occidendo? pulchro sanè & memorabili inuento. Quid clarius nomine Eudoxæ Augustæ, dum maritum Valentinianum Augustum ulciscitur? ut nõ solũ Petroniũ Maximũ qui illũ interfici curauerat, sed populum Romanũ qui ne occideretur obstare potuisset perdiderit. Quando Clotildis memoria excidet, dum Sigismundum cum uxore & filijs in puteum præcipitari iussit? quòd Gondobaldus Sigismundi pater Chilpericũ Clo-

tildis patrem duasq; illius filias. Clotildis autem sorores in amne submerserat. Quantos animos ultio patris ac fratris Gino Taccij Senensis adiecit, qui Bonincasam, qui iudicio Senis eos oppresserat, non solum ius dicentem Romæ in ipso tribunali confodit, sed etiam abscindere caput ausus est atq; inde auferre, quod uix in nemore alteri licuisset.

Quinam Carrantis molitoris affines? ausi fuêre suspendio præfectum necare quinq; uiri, atq; ex Alexandria urbe Italiæ exeuntes se seruare, quod ille Carrantem suspendio occidisset illis sanguine coniunctißimũ. Crede mihi experto nunquam securè uiuitur nisi cum charißimum aliquem amiseris, cuius interitum si posses cum illo commutare uelles. Itaque ab huiusmodi calamitatibus, si ætas non obstet ad maximos status peruenire licet. Vltio præbet animos, iniuria auxiliatores, odium industriam acuitq; ingenium: dat uitæ contemptus fortitudinem, exemplum insigne, fortunam, iustam causam fouet Deus, desperatio territat inimicorum defensores, conscientia scelerum anceps consilium hostium reddit, infamia facti populorum fauorem conciliat. Denique nil superest nisi pulchrè cadere. Si non ultor coniuncti saltem à dolore, quem ob illius mortem patiebaris liber. Ergo si luctum perferre potes horum, aliena damna facilius tolerabis. quamobrem iam ad familiarium & seruorũ molestias, imò si priorib. cõparemus titillatiões potius trãseamus. Eo

rum

rum qui nobis familiares sunt genera tria sunt: famuli, serui, & cliẽtes. Horũ maximus numerus est, atq; ideo res trita atq; uulgaris, indies amittere ex his aliquos, quosdã affligi calamitatib. nõnullos tibi infensos fieri. Ergo nobis horum cura fermè nulla fuit, tot intestinis saucio uulneribus, & tamẽ nõ parũ indoluimus si beneficijs ab illis fuissemus affecti, ut Regis Anglorũ Edoardi Sexti, quẽ fata immaturũ eripuere: Claudijq; La nalli equitis imò principis insignis Galli, Gugielmiq; Casanati, Andreæ Osiandri, Ioa. Petreij, tametsi in religione cum illis non idem sentirem, uel si præstanti forent eruditione, ut Io. Checus Brytãnus, nosterq; nunquam satis laudatus: Ioannes Magnienus Lutecianus medicus cuius memoria nunquam è pectore meo excidere, demum & ille rursus Lutetianus Emarus Ranconetus Præses, tam infœlix fato quam eruditione insignis, nulli officijs, nulli uirtute secundus, & tamen carnificis manu (proh scelus) spiritum deponere coactus, ita parcæ deffinierunt, ut cui in alios uitæ necisque arbitrium fuerat, à collegis necis iudicium ipse subiret. Ergo ut ad rem redeam clientes molesti sunt, uel quoniam aßiduè frequentant domum, dum nimis officiosi uideri uolunt. Ea tamen molestia plurimi gaudent, plerisq; etiam non parum utilis est, qui cõmodũ lucro, potẽtia et inani aura definiũt, uel quia plura petũt mutuo, aut dono, aut officia requirũt. Ergo si tibi charius sit tẽpus quã ambitiosa illorũ frequentatio,

horas tibi selige sub somni prætextu, aut consuetudinũ cum uxore, uel cum aliquo ex his qui Principi cuipiã sint à secretis, atque illos tædio & contemptu abiges quam breui. Sed si nec hoc sufficit, grauia ab illis postula. causam enim quærit qui uult discedere ab amico, ita illi à te recedent iudicio proprio semetipsos dãnantes. Sed si petant aliquid ipsi, hoc ipso uinces si prudẽtior sis, multo enim maiora requirere ab eis licebit, et ipsi difficilius se poterunt excusare. Verùm, ut dixi, hæc familiarium copia atq; frequentia, innumeris modis auxilia nobis præstat, ut rarò præter aliquos planè stultos aut molestos, quenquam repellere necesse sit. Qui uerò ex longinquis regionibus negocium mihi immensum facessebant, non rescribendo sine labore ullo reiecti sunt. Sed & in his, ut dixi, quippiam gloriolæ residet. cum uerò clientes incommodis afficiuntur, adiuuandi sunt, si fidi uel probi sint, aut utiles esse poßint: consolandi etiam uerbis lenibus ut generi calamitatis, gestus & uerba accommodentur: atq; sic ut ita dicam efficere, ut illos & deligere & uereri uideamur. Maximum enim in aduersis solatium est, præterquam in luctu maximo, si nos nec despici nec deseri ab amicis uideamus. Faciunt ergo hæ amicorum infelicitates illos nobis addictos, & nos omnibus chariores atq; honoratiores.

Famulorum & seruorum delicta, nam nostra ætata ob religionem pio sanè consilio. quandoquidem om-

nes ho-

nes homines, homines sint, famuli loco seruorum in usu sunt, ita moderatè castiganda, ut in nobis sentiant non deesse prudentiam, constantiam, autoritatem, diligentiam, atq; benignitatem. quòd si benignitate abutantur è domo propellendi sunt, at si nimium irritabiles, non statim: ut enim canes quia fideles ob id etiam iracundi, ita & de hominibus censendum est, oportet tamen cauere ne autoritatem tuam atq; existimationem contumacia sua, aut uerbositate uel iracundia lædant. Eos autem quia furantur læuia quædam, qui emendo necessaria decipiunt, propter exemplum statim è domo submouere licet. Quædam enim sunt uitia quæ nisi statim eradices, ob dulcedinem euadunt inuicta, uelut furtum, ludus & ebrietas. stultos quoque & proditores, & ingratos, & ambitiosos, quanto diutius momento tuleris, tanto te ob omni humanitate alienum esse intelligent homines. Ferimus iram, desidiam, imperitiam, impatientiam, tristes, querulos, nugaces, maledicos, parum consultos, inuidos, gulæ ac libidini deditos, segnes, incautos, sordidos, fœdos, auaros, prodigos, nimis delicatos & molles, crudeles, pertinaces, incomptos, rudes, rusticos, parum pios ac religiosos, turpes, morbosos, debiles senes, an non satis hæc tibi uidētur, si non etiam deceptores, perfidos, fures, mendaces, ebriosq; tolerauerís, magno malo plerunque, semper maximo periculo: Summa est ut in tui ueneratione cō tineantur, timeantq; te & ament. ut utrunq; efficias

 bene-

beneuolus in eos non familiares. Sed quodnam ex uitijs eorum emolumentũ. semper enim eò properat oratio. Generaliter quidem primũ illud, ut cum uel alleuare sumptũ uelis, uel alium tibi cõmodiorem conducere id cõmodè poßis & honestè facere, nec cum animi dolore, ut qui iam diu illum ob uitia oderis. Deinde quòd obsequentiores illos sis habiturus, ut qui sciant se delinquere, nec admodum tibi satisfacere. Ex unoquoque etiam animi peccato suam utilitatem decerpere licebit, ut si libidini deditus fuerit, etiam pro te lenoniam pulchrè exercere norit, nec adeò pudebit. Si gulosus, curabit ut opipare & elegantius cœnes. Si iracundus aut crudelis, erit tibi pro utili satellite. Si fœdus ac sordidus aut senex, huic uni uxorem filias nubiles tutius committes. Si auarus tua quoque seruabit. si prodigus, in parandis conuiuijs accommodatus. Si pertinax, ad exigendum pecuniam aptior & perficienda opera. rudibus nulli quandoq; utiliores, non enim renunciabunt quæ feceris. rusticos & incomptos uilioribus officijs adijcies, nugacibus, maledicis, inuidis, quoties bene uteris? dum per illos tanquam spontaneos exploratores, domestica omnia facta condisces, non furta per hos, non ganeæ latebunt. Impatiẽtes si emendaueris, si alia uitia, nonne ad amicos, ad cõiunctos, ad filios, exemplo medicorũ qui in uilibus rebus experimenta faciunt, corrigendis plurimum proderit? O quam utile est ac pulchrum dulcéque discere,
aut

aut docere suos paruo periculo, minore impensa? Impatiente pro nuncio uteris. Imperitus & incautus pro mimo, pro morione tibi erit: ô quoties iocos & risus ille etiam nolenti excitabit? amatoremq; uitæ adducabit. iam & parum pios parumq; religiosos admonebis: efficientq; hi ut quantum & tu delinquas, poßis animaduertere. interim uerò castigando asperioribus in rebus ac negotijs uti poteris. quòd si etiam in illos acrius animaduertas, alios suo exemplo deterrebis ac meliores reddes. Illa tecum cogita, nullum etiam ex patricijs esse sine labe. ferre igitur oportet quæ nec nimis excellunt uitia, nec damnosa, nec periculosa sunt, nec existimationem lædunt, nec uelim tot habere quibus necessario seruire cogaris. namq; erudire ac castigare seruilis potius est labor quam uoluptas herilis. Quartum etiam lucrum exegeris ex his, si uelut in palestra ad ferendum illorum flagitia, quemadmodum Socrates in sua Xantippe te exercueris. Porrò huic negocio da operam ut tam paucos habeas, ne ullus unquam sit in ocio, nam & commodioribus uteris & tu illos meliores efficies, ac etiam obsequentiores & impensam minues. Cauebis autem ne sine fideiußione quenquam recipias. Puerum ex primo intuitu dignosces. cum enim uocatus à te segniter uenit, malitiosus est & iners. De natura quoq; moribusq; eorũ superius dictũ est. Galli coqui optimi: germani equos curãt pulchrè: Itali mũdiores: Hispani pro tutela corporis.

Inter Italos patientiores Florentini pro famulis, ancillæ Carauagienses: ut non solum prouinciarũ sed priuatorum locorum mores scire præstet. Et ubi homines singulis muneribus seruiendo aptiores sint. Sed iam de uxore dicamus.

DE VXORE DVcenda.



Ntequam uerò ad eam tractationem deueniam, tria mihi circa ipsam prouerbia docere institui, quæ tametsi inter illa Erasmi non connumerentur, nec ex Græco translata, sed uulgari potius Italico sermone explicata: nec Hesiodũ aut Demosthenem uel comicum quempiam ægregium authorem habeant, nihilominus nec minus grauia nec utilia illorum sententijs illa fore existimo. quandoquidẽ maior pars ac melior uitæ humanæ, non dicam ex intellectu eorum. ambitiosum enim nimis esset, sed ex illorũ successu pendeat. Primum igitur est, Duo esse præcipua ex quibus uita hominis dignoscatur, nuptiæ & mors. Secundum, Quales uelis filios talem accipe uxorem. Tertium, nuptam ex odore nocte prima coniugem uelut capram herbas agnoscere. His tribus præceptis fermè, quicquid boni & honesti & generosi in tota uita humana reperitur constat. Ergo ut de primo di-

mo dicam, difficillimæ duæ res proponuntur, mors & nuptiæ: mors quidem tres ob causas, tempus incertum quo fit ut homo semper imparatus ad eam accedat metum qui rationem excutit: Et prospectum in futurum qui solis dijs concessus est. At uxoria res tot habet capita ut longè difficilior uideatur. Cur uerò filij magis matribus aßimilentur quam patribus, ob quatuor contingit causas: prima quòd sanguis ipse quo puer conficitur aut puella abundantior est multo quam semen, affertq; mater & ultra sanguinem semen, & ipsa deinde lacte infantem diu alit, & in annis infantiæ educat.

Quod uero diximus, nuptam nocte prima odore agnoscere cum quo cubet, translatum est à beluis quæ odore sexum agnoscunt. Idem est ergo ac si dicas uxorem agnoscere nocte prima, an cubet cum Catto homine, hunc uirum appellant, id est, qui nihil afferat blandiciarum, sed imperiũ, tunc se agnoscit oportere parere, mulieremq́;, id est, moribus bonis præditam se exhibet: sin autem agnoscit se cum homine stulto aut effœminato cubare, transit in bestiam, id est, mœcham impotentem, coniugi haud obsequentem, sed potius imperantem, domumq́; euertit. E re etiam est uiri ut uelut non impertiatur quæ ad illum attinent, ita nec illius munera præripiat, sed generali mandato illi committat. singulorum autem imperium apud se retineat. Sic ut res mandet, modum conficiendi illi permittat. quandoq; etiam modum præscribat, non tamen ipse efficiat

nec ancillis imperet, ut nulla sit uxor, gaudet enim & ipsa imperio suo. Quòd si maritus ea quæ ad uxorem pertinent præripiat, semet existimatione, illam iure suo fraudabit. Sunt & alia prouerbia quorum non pigebit meminisse: Velut illud, quod in equis emendis & uxore ducenda claudere oporteat oculos, Deoq; nos commendare. Quòd melius est notam uxorem cum una nota ducere, quam ignotam cum nulla. Quòd uxorem qui non habet facile uerberat. Quòd uxorem seu duxeris seu non, pœnitebit. Quod qui impudicam duxerit uxorem, nunquam immunis est à molestia ac pœna. Quòd tam stulta quam sapiens uxor filios generat. Difficultatem maximam ostendit, quòd dicitur de equis emendis & uxore ducenda, qua si dicat minimam partem esse diuini auxilij, humanam prouidentiam in his ob tot quæ spectare oportet, atque considerare. Quòd melius sit notam ducere cum nota seu macula una, quam ignotam sine ulla etiam, ad hoc pertinet, quòd uix fieri poßit ut mulier pluribus notis non sit maculata. Quòd uxorem qui non habet facilè uerberat, id est, pleriq; blanditijs coniugum flectuntur, & conniuent in earum uitijs. Si duxeris uxorem multa incommoda patieris, pertinaciam, suspitionem, tædium, impensas, abortus, filiorum mortes, inanes timores: Si non duxeris, furta domestica, inhiantem tibi hæredem, nullas blanditias, nulla solatia, uideris tibi indies decrescere. qui filios habet omnibus

gaudet

gaudet temporibus, præterito quòd susceperit, præsenti quòd potiatur, futuro quòd illud poßit dicere:
Crescite & in titulos surgite rite meos.

Qui non habet dolet, de præteritis quòd neglexerit, de præsentibus quòd solatijs careat, de futuris quod nimis cito prætereãt, ipse interim senescat. Huic etiã simile quiddam de Thalete fertur, quem cum mater hortaretur ut uxorem duceret, respondit nimis cito, cum iuuentam excesßisset, nimis tardè. Quasi diceret si cum nondum maturus es annis duxeris uxorem, nec illam regere poteris, nec teipsum: si cum senescis filij dum obieris parui remanebunt, tu suspitione laborabis ipsius uxoris. Zelotypiam uocat uulgus, & illa tibi erit grauis, dum cogeris supra uires uenere uti. Si ergo impudica sit aut euadat, nunquam quiesces, mœchus in domo, uitæ suspitio, rixa in mensa, res absumitur, contemptus extra, filij dubij, famuli dißides, mœror perpetuus, contentio, pugna. Sapiens mulier filios gignit aut ex marito, aut occulto mœcho, stulta palam adulterium profitetur. Hæc atque alia difficultatẽ rei ostendunt, maximè apud nos quòd diuortia concessa non sint.

Propterea in electione uxoris octo sunt consideranda. Corpus incolume, ætas quòd sit prona ad generationẽ, forma, animi qualitates, eruditio, consanguinei et dos. Videamus aũt ex his quæ sit præcipuũ, id est, quo homo est homo, scilicet animi qualitates. nã si omnia

alia

alia adsint, sit autem stulta, perfida, mœcha, contentiosa, loquax, prodiga, ebria, furax, quid omnia alia proderunt? Secunda conditio est fœcunditas, quoniam is est finis connubij, igitur maximè spectandus. sed tamẽ si morata non sit, filios perdet, aut stultos generabit, atq; inutiles, qui potius sint oneri quam uoluptati. Tertia est consanguineorum: nam illis paratur autoritas, opes, filijs suscipiendis patrocinium, in secunda fortuna iucundi, in aduersa leuamen atq; solamen, semper autem ornamento atq; decori. Dos autem pauperibus maximè necessaria, atq; in tertio loco collocanda, opulentis ultima esse debet. Hanc sequitur corporis incolumitas, inde eruditio, post forma & ætas.

De animi igitur qualitatibus primo dicendum est, nam trifariam utiles sunt, ad concordiam cum coniuge, ad gubernandam domum, ad filiorum procreationem atq; educationem bonam. Primum igitur cum mulier fortitudine destituatur, prudentia maxima opus habet. post animi tranquillitate, quoniam subeße marito debet, et etiam memor esse atq; ingeniosa, hæc enim ad curandas res familiares. Rursus repetamus causas, domus distribuitur in tria, res, familiam, ac filios et coniugem. familiæ imperat prudentia igitur opus est, res tractat, indiget ergo memoria & ingenio, paret coniugi, tranquilla igitur sit oportet, ut concordia maneat, non sit Xantippe rixosa, morosa, peruicax, contentiosa, difficilis. Non parum igitur est tranquillam

esse, postquam omnia illa absunt si sit tranquilla. Similiter hæ uirtutes etiam in uiro modesto esse debent.

Quòd si hæc in utroq; coniuge adsint clarißimi uiri generantur. nam quales parentes dum generant, tales geniti filij: at parentes supposuimus esse prudentes, ingeniosos, memores & tranquillos, erunt igitur ab ipso adolescentiæ initio filij prudentes, tranquilli, memores, studiosi. ergo quia prudentes, facile discent ob memoriam & ingenium, perseuerabunt etiam ob tranquillitatem, quare necessario in claros uiros, modo superuiuant, euadent. Quo ergo tempore florebunt, ardebunt ad studia disciplinæ seu militaris, seu philosophiæ aut iurisprudentiæ, tum demum crescentib. uiribus ad maiora accẽdẽtur. Appetũt aũt omnes potius præmia uirtutis, honores, opes, quã ipsam uirtutẽ. Ne quis credat hos celebres uiros, qui tãta uirtute, doctrina atq; gloria loquũtur, studio horũ duci, sed præmiorũ. Non Aristot. ad tantũ culmẽ ascẽdit ut sciret, sed ut locupletaretur, honestaretur à Rege, honoraretur à cæteris. Sic Plato, Demosthenes, Virgilius, Cicero, inde sensim ebibita dulcedine uirtutis ad illius per se amorem transit, quisquis clariore est ingenio operamq; nobilioribus disciplinis dedit, ut Aristoteles. rari Oratores, poetæ nulli, pauci medici, aut iurisconsulti, quòd illorũ disciplina non sit scientia sed quæstus causa, uel alterius rei. Fulti igitur priore autoritate atq; labore, quasi per gradus ad maiora tendũt. inde

comitante

comitante fortuna, duce uirtutis simulachro, tendunt ad gloriæ ac diuitiarum atq; potentiæ fastigium nomenq; adipiscuntur sapientis. Horum igitur mediocrium filij sunt qui excellunt plurimũ, atqui excellunt iam, utpote an. nati 32 dũ generant, quia iam ardent, adolescentes geniti ardore immodico laborant, gloriam, diuitias atq; potentiam adipiscendi, quibus cum autoritas, potentia, usus et experientia desint, cogũtur urgente ætatis & naturæ feruore eadem quærere præcipitanter, quæ modestè & cum industria quærẽda essent, atq; ita opes nõ quã meliore uia, sed qua cõpendiosiore poßũt, hæc aũt sunt, furtum, uis, dolus, et quia ludus spem huius affert etiã ludo. Inde etiam gloriam, ui, rixa, sumptuosiore uestitu. Amicos ut deceret officijs, ita illi imperio, importunitate asciscere properãt. Itaq; si quis recte aduertat, in fine concordant atq; etiam in festinatione similitudineq; quærendi: filij cũ patre, sed hi cum media & autoritas desint flagitijs manifestis illa queritant nec assequuntur, unde nomen subeunt improbitatis atq; stultitiæ. cum parentes uiderentur esse probi sapientesq;. Explicabitur & infra dilucidius hæc ratio, nunc satis admonuisse lectores filios ægregiorum uirorum esse fine & studijs ac uotis similes patribus, existimatione autem apud imperitos & exitu rei adeò dißimiles, ut omnes nothi uideantur. Et nisi adeò multis hoc contingeret, tales esse existimarentur. Qui uerò ægregij euadunt, sunt ex parentibus, ut dixi,

ut dixi, prudentibus, tranquillis, ingeniosisq; orti, qui cerebrum minimè studijs triuerunt. Quocirca non uidetur Socrates posse defendi, qui Xantippen duxerit adeò à tranquillitate abhorrentem, imò etiam à prudẽtia, ut quæ lotium etiam coram discipulis in caput illius sparserit. quantum uerò fuerit aut ingeniosa aut memor non nobis scire licet. Sed illud certum est plus obfuisse filijs & ob generationem & ob educationẽ, quã ipsi profuerit ad discendam patientiam. absurdum præterea est existimare Socratem non aliter potuisse proficere patientia quam stulta adiuncta sibi uxore, neque tam utilis futura erat ea immodica patientia, quam filijs damnosa, iracundia atq; stulticia. Quo fit ut & apud Xenophontem de huiusmodi uitio, maior natu Socratis filius tacitè perstringatur.

Necesse est igitur uel amore ductum, uel ambitione quadam, uel potius quòd magis reor honestate perseuerasse in illo coniugio. Sic clarorum uirorum parentes huiusmodi fuere. Sed Galenus matrem iracundiæ accusat, tanto magis laudans patrem tranquillitatis atque mansuetudinis. Vicit forte uis paterna. Sed mihi pater & mater cum essent iracundi tanto seniores fuẽre. In uniuersum nil tam obest filiorum stultorum procreationi, quam imago uana sperandarum rerum. Filij enim cum eadem spe nati sine fructu has seruant inanes species, quibus perperam multa atq; irrita patrãt admittuntq;.

Cæterum,

Cæterùm, ut dixi, Socrati, Platoni, Aristoteli, Cæsari Augusto, Troiano, tales fuisse parentes est existimãdum. Vni Alexandro Philippus atq; Olympias inclyti parentes fuêre. at Philippus prudentia & tranquillitate insignis fuit, ingeniosusq; minimè, ardenti animo. Alexandrum Aristotelis præcepta plurimum adiuuerunt. Multum prodest scire quam exiguo limite humana felicitas contineatur. maximè profuit paratum habuisse militem ueteranum, nouo & utili more armatum sarißis, prudentem ducem Parmenionem. At tamen cum his omnibus quantũ abfuit ab opinione stulticiæ Alexander? Qui dum hostem uincere studet, omnibus relictis ad Ammonis Iouis oracula in desertis cõstituta pergit? at præstabat diuinitatis consequi opinionem? nescio: sed si præstitisset peracto non flagrante bello. Occidit Parmenionem? at coactus? nescio an tam coactus, quã illius gloriæ inuidens hoc peregerit. Certè inhumaniter, ut minus dirum existimauerit patrem occidisse, cum adhuc ille putaret filium rectè ualere, quam superuiuere tam crudeli filij neci. Clitum etiam occidit nulla excusatione nisi uini? at turpior excusatio quam scelus, mundi prope dominum Regem inebriari & in conuiuio amicos trucidare barbarico more, nec satis tamen usitato. Proiecit se in amnem calidus ut triplici periculo res omnes suas ac suorum salutem perderet: aut mersis undis, aut morbo extinctus, aut saltem tardatus eodum ut ab hoste uinceretur. Sic medicus

dicus ille periculo capitis sui Regis stulticiæ obuiam ire coactus est. At iuuenis erat, æstu impulsus? fluminis amœnitate allectus? Sed & quali in periculo esset cogitare debuit, minus turpe erat si longius abfuisset hostis. Si excusat hoc stulticiam, prudentiæ argumentum non est. Quid uerò causæ est, ut solus se in urbem hostilem, mœnibus munitam præcipitem dedat? Ego sanè hoc solum dubium habeo, stultior ne fuerit an fortunatior? stultos ergo progenuisse arbitrij nostri fuerit, fortunatos non ita. hi liceret tam pares fortuna Alexandro quam stulticia ex impotentibus fœminis atq; importunis generare. non recusarem huiusmodi mulieribus me coniungere. Sed stultos infinitos postmodum ex huiusmodi parentibus genitos uidimus, fortunatos cum stulticia neminem. Est uerò post tres illas fœminarum ægregias dotes quarta, quæ tota ad uirum spectat ad securitatem, tranquillitatem, decorē, laudemq; mariti, pudicitia scilicet, qua etiam filiorum amor ac educatio bona, tum illorum mores constant. Sed quibus argumentis deprehendimus huiusmodi fœminarū uirtutes? Dicta sunt plurima suo loco ubi de morib. actum est. nunc quod ad propositum est præter dicta recensebo. Primum igitur specta quales fuerint illius parētes. Quòd si longa serie similes se præstiterint auus, proauusq; tutior spes erit. natura enim & educatione parentibus similes posteris euadunt. Videas qua diligentia educata, quales domestici sint, maximā diligentiam

adhibe in seligenda uxore, quæ ut dixi omnia nostra bona complectitur. Si uoluptatē quæris? nulla cum alia nec diuturnior, nec maior, nec securior esse potest. Si conuictum? perpetuus sit. ultra non licet procedere. Si rei domesticæ incrementū? quæ diligētior custos aut fidelior potest inueniri? quæ accuratius distribueret quæ melius familiam custodiret? tibi dum uales iucunda socia, dum ægrotas certum solatium atq; auxilium. Si honor, si decus, si tranquillitas? omnia in illius sinu reposita esse puta. Si filios illa sibi similes generat, illa tuis uotis pares educat, illa ardēter amat eos atq; custodit.

Si opes? dos non paruam illis potest auctionē afferre. Si potentiā? si amicos? unde celerius, unde melius, unde securius hæc cōparare queas? ac ut ita dicam æterna quasi cum pace atq; concordia. Itaq; optimè ille fecerit qui fortunatas nuptias celebrarit. At dices, cur ergo tu non tam fœlix qui alios doces, aut saltem filius tuus? an non Horatij illud conueniet?

Fungar uice Cotis, acutum
Reddere quæ ferrum ualeat, exors ipsa secandi. Ego ut dixi eligere nō potui, filius noluit. Mihi Deus obstitit, & uoti religio, illum sua fata urgebant, me prohibuerunt. Qualiscunq; sit illa ciuitas multis malis abundat quæ non exquisitam curam matrimoniorum agit, at ubi etiam licentia permittitur adulteris? prorsus infœlix est. at fugienda omnino & diris uiperis solum habitanda

bitanda ubi etiam illis fauent. Quid tibi cum tuis opibus, cum fastu, & salutatione clientũ, quisquis es, si cor urat, suspitio impudicitiæ uxoris? si filiũ non tuum esse existimes? si te per aulas, tuosq; hymæneos linguis proscindant? si salutant ac rident? miserior es quã si misereantur. Et ut in delicato ac molli corpore plus spinæ sentiuntur quàm in calloso pede sentes: atque ut non minor est chiragræ dolor, aculeo atq; ignibus calculus renum, ita ex hac tanta labe ne beatos quidem cum opibus suis Hercules aut Mercurius fecerit in huiusmodi urbibus, non mirum est non seruari leges has? siquidem inhumani tot dispendia, tot uigilias miserorũ parentum, tot metus, curas, tristitias, labores, solicitudines inanes, tot annis continuatas, sæua una uoce ut imperiosi uideantur, sine ullo respectu præscindere momento nihili ducunt. At dicunt quam pulchrum est uitæ mortisq; dominos esse? certè uerùm si id ita esset? sed necis quidem dominos uideo, uitæ nec suæ nec alienæ non uideo. nisi uitæ dominos ita intelligant, qui dum possunt non eripiunt uitam? at uideant si hoc est dare uitam? & quale sit hoc beneficium Ciceronis testimonio uerba eius affero: Quale autem beneficiũ est quod te abstinueris à nefario scelere? ad rem redeo, non solum sufficit ut talis natura sit & rectè educata, sed etiã requirimus in te non leuem industriam. Succedunt modo reliqua fœcunditatis signa, quæ suo loco præscribentur & commoda. sed & hæc dum de filijs agemus

mus tractabuntur. nunc hoc dixisse sufficiat, fœcundas mulieres semper maiore in honore habitas apud Iudæos, ut possent sacris interesse. apud Romanos magno in ueneratione habebantur, unde matronarum nomē deriuatum est. Deuinciūt filij communes solidiore uinculo coniuges inter se, ipsæ matres, ipsi patres, alij efficiuntur sobolis charo amore. à multis temperant quæ aliâs admitterent, fiunt magis parci, temperati, laboriosi, prudentes, misericordes.

Neq; enim sine prodigio est sterilem esse, & ob id etiam patres apud Iudæos infœcundi spernebantur à Deo. apud Romanos fermè semper improbitatis argumentum fuit: namq; aut obscœnæ libidinis causa contigit ut in Virgilio, Flacco: aut ob breuem uitam, ut in Tibullo atq; Catullo: aut exitij infœlicis ut in Galba, Ottone, Vitellio, aut libidinis inexhaustæ & perditorum amorum ut in Nasone, Propertio: aut morbi cuiuspiam familiaris, aut operæ circa alia nimis aßiduæ ut in Demosthene, ita ut semper flagitij aut calamitatis sterilitas indicium sit. Quin etiam fœcunda mulier pudica etiam magis est & coniuges fideliores. multi enim multæq; mœchātur, non tam improbitatis causa quam filiorum suscipiendorum ingenti desiderio. Dixit enim humanæ sapientiæ fons, naturale maximè est unicuiq; rei sibi simile generare. Ob hoc etiam leges omnes præter nostram diuortium non tam priuatæ utilitatis causa, quam etiam publicæ permiserunt.

Christi

Christiana hac in parte durior uidetur. Sed si quis rectè consideret, etiam hoc præceptum non multum incommodi affert. quanquam enim diuortium ob sterilitatem sine iniuria affinium fieri poßit, nihilo minus et multa sub hac specie flagitia admitti possunt.

Quòd uerò ad iacturam attinet, iam illud quod dicturi sumus, nunc diligentius pro hac causa docere oportet: Omnem scilicet hominem qui feliciter uiuere uelit, aut institutum & uitam eodem modo ducere, aut oportere si uelit alio modo uitam ducere, ab instituto toto tempore uitæ suæ diligentißimè operationibus omnibus inuigilare. Christianus sum, si Christianam ducere uelis uitam, etiam fidem omnē de his quæ religio promittit confirma, aliter in perpetuo metu uiues & plerunq; etiam miserabiliter. Nam si his commodis carere uelis, quibus tibi interdicitur à lege, multa incommoda te pati necesse est. Si igitur uel minimū de promißis dubitaueris infœlix uiues. Rursus si tuo more uiues, dubites autem de euentu? admißis plurib. uiro probo indignis in perpetuo metu eris. necesse est igitur uitam instituto non dißimilem ducere, quòd si duxeris ad omnes occasiones intentum esse oportet ne lædaris. Velut si ut Christianus uiuere omnino decreueris, nihil autem detrimenti capere, ut in exemplo: omni studio conquirenda est tibi uxor fœcunda, quòd & si decipiaris, expectesq; fide constanti, beatam illā uitam nihil'i duces quomodocunque decedas, seu cum

multis filijs seu cum paucis, aut nullo. At si non omnino tam diligẽs fueris obseruator: nothis filijs susceptis & uxore melius tractata, exemplo Stratonicæ Deiotari Galatarum Regis uxore, quæ filios ancillæ pro suis quòd sterilis esset habuit atq; tractauit, ipsamq; ancillam etiam ab obitu coniugis uoto satisfaciẽs. Hoc igitur nónne minus malum est quam repudijs locum permittere, cum tãta rerum omniũ perturbatione? Sed et ob id quæ dimitti inuita suspicabitur facile, ut etiã ex alio cõcipiet procurabit. Ergo fœcũditas ipsa præter etiam filiorum propriam utilitatem multa bona alia affert. Iuuat etiam non parum si non immoderata sit ad salubritatem corporis. pleræq; enim ut experimento didici mulieres steriles morbis familiaribus detinentur. comprimitur nimia fœcunditas plerunq; filiorum propriorum lactatione, cum etiam illud in eorũ utilitatem cedat, fiunt enim robustiores & incolumiores: quandoquidem naturale sit uesci ex ijsdem aut ualde similibus, ex quibus sumus generati. Verùm quod ad affinitatem deligendam pertinet hoc facilius est. cogitare aũt oportet eas amicitias perpetuas esse debere ac plurimas, quamobrẽ ut in amicis delectus facilis est: siquidem dici solet, amici amicus amicus non est, at omnes agnati cognatiq; uxoris affines tibi sunt. Sed et primum illud spectare oportet quod alij nec recordãtur. quòd uerò primùm illis uidetur, secũdo loco habendũ: scilicet non ut quos habeas amicos atq; affines, sed ut quos

quos potius nõ habere præstet ac deuitare. Sæpius .n. dixi homines ad malefaciendũ multo prõptiores esse quã ad benefaciẽdũ, malũq; celerius inferri posse quã utilitatẽ, magisq; mala nocere quã prodesse bona. quibus ex causis maximè cauere decet, ne in incõmodã affinitatẽ incidas, ac primũ ne in decoctores, hi.n. te tuaq; absumẽt. cõsiderãdũ tamẽ est quã propinqui sint, ut parẽtes aut fratres, nã ab alijs facilius te explicabis. Secũdũ genus est seditiosorũ hominũ, nã si fauere illis uelis seu nolis ex æquo fermè malum, nam uno in pericula multa te deuenire necesse est, altero autem existimationem læseris. Tertium est ne ualde pauperibus iungaris nam uel te absument, uel misereri tuorum non uidebearis. nemo enim nisi tu ad eam te impulit necessitudinem. Indecora est huiusmodi coniunctio & societati inepta, nec potentiæ utilis. unius causa principaliter affinitas contrahitur. Quartum ne non illis te iungas qui nihil pẽsi præter lucrũ habẽt, his enim primũ si nõ fidas hostis fies, si fidas te decipiẽt, ubi spes lucri desit te deserẽt. V hominũ genus est iniustorũ, nã quãto potẽtiores aut ambitiosiores fuerint, tãto erũt deteriores. nã si cũ uxore nõ cõueneris, seruire illi ob affines cogeris. Ex his tamẽ ambitiosi lõgè deteriores sunt, quoniã nequiores, & quia obesse possũt, non aũt ubi opus fuerit prodesse. Vltimũ genus quòd sæpius diximus stultorũ nulli usui aptũ esse. Cauere aũt inter cætera quã diligẽtissimè oportet, ne non sit ex affinibus ulla impudica,

nil enim deterius. Quocirca si externam duxeris, & commodiorem & magis obedientem habebis, & affinium molestia carere licebit, nec in auxiliando multo minus proderunt quam si in ciuitate essent, modo non ualde procul dißita sit patria uxoris. commodior ergo est uxor alienigena. plurimum autem refert ad filiorũ generationem uxoris nobilitas, tum ob uenerationem & potentiam, tum ob honores. Et rursus ut laboriosa sit. Vili ergo & inerte peior esse non potest.

De dote dicebat Aristoteles qui locupletem ducit uxorem, ipsa imperare uolet. ob id raro locuplex uxor commoda, nisi sola sit, eamq; parentes exhibeant, priusq; mater esse incipiat quam desinat esse filia. Sic bene cedere res poterit, aliter cum illam dominari necesse sit, ordo omnium peruertitur, ac imperfectũ perfecto dominatur. quod tamen familiare est apud multos barbaros præcipuè Belgas. Verum non est illa dominatio sed amplificata operum seruitus. uendunt enim, emunt, mercaturam exercent & artes, uiri bellicæ rei student, itaq; non est hoc iuuenustum, neque libertatis maioris signum aut imperij in uirum. Vxor ergo opulenta insolens, ut dici solet, domina est, nihil apud Comicos uulgarius, nihil à satyricis magis exagitatum. opes tamen sint cuiusmodi dici solet: Si uis nubere nube pari. Pauper hoc habet impedimenti nec ullum maius, quòd neq; pauperem nec diuitem, etiamsi cõtingat uxorem ducere commodè poßit. nam

à paupe: e

à paupere grauatur, diuiti seruire cogitur. Quamobrem non solum eum qui uelit uxorem ducere, ut sciat quam debeat eligere necesse est & qualem, sed & ut ipse ad ducendam paratus sit atq; gubernandam. aliter idem eueniet illi, quòd his qui equũ generosum emũt, atq; illum dum curare ac custodire nesciunt in admissarium uertunt. Vt uerò omnia hæc efficere queas tribus opus est: Vt opes honestas habeas, atq; etiã si fieri possit explicatas, artemq; aliquam aut industriam, ut si cõtingat casu aliquo euerti opes, nihil necessariorum desit, ut nullis detinearis impedimentis, quo totus uxoriæ rei uacare possis. Non frater aut mater tibi discors, sed diuisa hæreditas, parentes cum quibus conuenias si supersint, aliter in inexplicabiles difficultates ut multi solent incides, & miserrimam duces uitam. Quocirca amentis est quantumuis bonam uxorem ducere inuitis parentibus, quantumuis legibus non solum diuinis, sed etiam humanis permissum sit. Sed nos non permissis te operam dare consulimus, uerum honestis ac laudabilibus actionibus. Neq; parentibus puellæ inuitis, multo minus clam ducere uxorem uiri est prudentis. Tu demum ea ætate sis atq; habitu, tum prudentia, ut omnibus satisfacere possis. Aetate quidem quæ neq; ob adolescentiam, neq; ob senectutem contemptui sit. habitu ut nuptialibus negocijs satisfacere ægregiè possis. Prudentia ut non solum regere domum tuapte industria & usu scias, sed etiam uxorẽ docere quomodo debeat

regere,& ut illi poßis imperare. Præter reliqua in domo habeas fidos famulos, fidißimasq; ancillas, atq; matrem, aut materterã, aut matronã aliquã tibi sanguine cõiunctã, probã atq; prudentẽ, custodẽ teneræ ætatis uxoris atq; pudoris, & morũ institutricẽ. Quæ si omnino desit, eam tibi cõpara ex uxoria domo, aut aliunde mercede ampla honestaq; conditione allectã. Porrò de præceptis connubialib. librũ magna cura scripsit Plutarchus. ne non igitur ob pauca meliora labrũ extẽdamus, atq; alienæ gloriæ inuidere uideamur, ad illum te remittimus. hoc unũ quod cum in omnib. cõueniat, tũ in hoc precipuè negotio, ut illorũ præceptorũ sententias nõ solũ ætatis nostræ morib. ac legib municipalibus, sed propriæ cõditioni tuæ, tum statui præsenti naturæq; uxoris accõmodes, uelut in aliena ueste quã tibi aptare uelis. Vbi ergo uxorẽ qualẽ cupis nactus fueris aut formaueris, nunquã adeò fidendũ tametsi plurimũ fidas ac fidere te ostendas, ut occasionẽ aliquam illi clam peccãdi relinquas. Est enim & in uiris suspecta post multa experimenta fides, quanto magis in fœminis. Agathocles Archagathũ filiũ ita liberauit, ut pro eo se morti exponeret: idem cum hostib. crudeliter necandũ reliquit, paulo post nec solũ ipsum quasi ex animo, sed et alterũ quẽ maximè diligebat Heraclidẽ. Proditionis plena sunt, ut dixi omnia, quãto magis in leui illo sexu, incõstãti, stulto, infido, & libidine pruriẽte. Vidi matronas quæ 10 pepererant filios, eousq; castas,

leui momento, tum cum minus timebatur factas adulteras. Irritantur primum coniugũ libidine in alias fœminas, ambitione ornatus, exemplo sociarum, solicitatione adulterorũ, lenarum persuasionibus, memoria Venereæ consuetudinis, tum maximè cum uir Veneris impotens factus fuerit. Plato fœminã uersutam appellat: Virgilius, Varium & mutabile semper Fœmina. Et Tragœdus Dux malorũ fœmina, et scelerũ artifex. Quid ergo? an semper metuendũ? an nunquã deliberãdũ? scito castarũ & in amorẽ mariti pronarũ exempla pro miraculis recenseri. In quo Homerus rursus Virgilio præferendus, qui Vlyssem plus in castitate Penelopæ prudentiæ exemplo laudauit, quam in omni 20 annorum historia tot bellicis factis ægregijs, tot in itinere superatis difficultatibus.. aut ergo summam illius sapientiam ostendit, aut Dei curam magnã cum Penelope totidẽ annis etiam aduersus procos incorrupta mãserit. Vnum uolo te scire, eum qui uelit in hoc mari tẽpestuoso absq; naufragio euadere, cogi ut quædã contemnat. nam si omnia curabit bona ut habeat, hic ipse æstu animi perpetuò flagrabit atq; discruciabitur, elige igitur quid paruipendere uelis. nunc à philosophorum præceptis discedo, uitam diligo popularẽ atq; idiotarum. Sed tamen nolim te esse idiotam illũ omnino à musis abhorrentẽ, imò stultum. Percurre tabellam totam, uideas quid perferre poßis quibusq; carere. Omnia si uelis nihil habebis.

Qui

Qui mortem contemnere possunt, hi quidem & foeliciter uiuere possunt sæpius, & semper non infoeliciter. Sed hoc durum est, & ad infoelicitatem uitandam quam ad assequendam foelicitatem pronius auxilium. Ergo hoc tibi tanquam in deploratis rebus auxilium non propono, quo si potiri liceret potius ulciscendo foelicitatem quam sibi moriendo libertatem ut pararet consulerem. stultum enim est cum possis, sibi tantū suisque mori uelle. Sed uideo uerba multa temeraria, hominem fortem non uideo. Ergo sumamus ex his aliqua quæ sperni possūt. Inter prima, ut dixi, est filiorum solicitudo, qua qui carere possunt, non nisi magnis casibus infoelices possunt fieri. Sed sit, ut decet, cura tibi uitæ, cura filiorum, paupertatem, infamiam, deformitatem, contemptum, exilium, familiarem leuem morbū, membriúe imbecillitatem, inuidiam, amicorum paucitatem, infortuniaq; illorum atq; famulorum, lites, ingratos, inimicos, spes abruptas, humilitatem fortunæ, affinium incommoda, principum odia perferre posse uideor, reseruabo mihi sanitatem, libertatem, uxorem pudicam, sospites filios, fratresq;. hæc tueri poteris. Ergo, ut dixi, in his cum necesse sit aliquid tanquam neglectum prætermittere, sunt qui omnem curam in opibus reponant duplici argumento, & quòd alijs calamitatibus non commoueantur, & quòd opum auxilio omnia habeantur. Nullum est tam dirū scelus quod pecunia non diluat, nulla est tam magna calamitas

quam

quam opes non sarciant, nullum tam ingens periculũ quod diuitijs effugere non liceat. Et ideo exclamabat ille. ô fortunatos diuites atq; beatos?

Aurum per medias ire satellites
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu Fulmineo

Si te caro, quam mordicus tenes, falsa imagine grãdiore magis mouet, suadeo ut cures potius mundiciem lecti, nitorem domus, quam quantascunq; diuitias. Ergo liberalitas hæc est, studium, solertiaq; ut multitudine senum, puerorum, ancillarum, potius obruatur peccandi licentia, quam aut timore perpetuo tenearis, aut suspitione discrucieris: aut uelut in desperatis rebus, quod improbæ conantur quædam mulieres persuadere, scilicet nullam prodesse curam, omittas diligentiã, arbitrioq́; fortunæ & fidei uxoris cuncta permittas. nónne dici solet, mulieri ne mortuæ quidem credendum? nihilq; esse fœmina pestilentius. Ita uerò agendũ ne unquam tamen illius fidei non credere uidearis. nã alterutrum utroq; modo eundem sortietur finem: bonum quidam si fidere uidearis, malum si diffidere. Si enim casta est & fidas, amorem augebis ac fidem in illa, si non fidas euertes utrunq;: rursus si diffidere te sentiat impudicaq́; sit, effugiet laqueos, si non sentiat illã deprehendes. Sed & intentum oportet esse hominem in hac cura, aut deserere. nam stultum est magni æstimare aliquid & paruifacere. O quot errores ex hoc mandato

mandato tolluntur si obseruetur, admittuntur si omittatur. tanti facias quanti æstimas. Filium habes, magno æstimas? magnam curam adhibeas: negligis? paruo æstimato. Sic de uxore ac quibuscunq; alijs. imò fac ut aliquanto plus cures quam æstimes si beatus esse uelis.

Duabus à mulieribus simul perditum Herculem fabulantur poetæ. Iole per luxum, Deianira ob illatam iniuriam. Herculis uirtus ac sapientia designantur. Sapientes fortesq; uiri blandicijs muliebribus periclitantur, iniuria pereunt. Fac ergo ut ab iniuria omnino abstineas, & habeas illam non habearis. Procrin ferunt castam fuisse, eandem tamen Cephali coniugis diuitibus promissis dum illum non agnosceret cessisse, atque ita ab eo repudiatam. Vnum Argiæ Adrasti filiæ Argiuorum regis in Polynicem exemplũ admirandæ, non solum pietatis sed constantis in uirum pro miraculo memoratur. quæ nocte sub ipsa illius cadauer aduersus Creontis etiam tyranni legem inter tot putrescentia corpora & nullo commodo, quærere, cremare, sepulchroq; cineres mandare ausa est. Rem sanè memoratu dignam. Sed nullum penè iam triginta seculis intercedẽtibus simile exemplum uisum est. Ego iam de contumacib. uxorib. (hoc enim peculiare uxorũ uitium est apud Christianos, ortum plerunq; ex securitate, quòd coniugium dirimi non possit) dicendum est.

Est autem familiare, primum cum priuignus est in domo. oderunt enim illũ nouercali odio tam uehemẽti

ut in a-

ut in adagium transierit. Vnde illud etiam:

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Belle lusisse apud Græcos Callimachus fertur, seu quisquis ille fuit carmine, quòd Erasmus quia diligentius uertit, ut iacet apposui, est autem tale:

Exiguo lapidi puer addit serta nouercæ,
Mutasse ut uitam, sic ratus ingenium.
At puerum extinguit tumulo hæc illa ipsa. Nouercæ
Priuigni exanimen uel tumulum fugite.

Quid si ament? semper quasi libidinis causa, sic Phedra Hyppolitum, Arcia Agathoclis Archagathũ, Stratonicæ Antigonum, nouercæ priuignos dilexerunt. Est enim fœmina ut Quintilianus refert, indomitum animal, impotentisq; naturæ. Cœlius Rhodiginus Δεκαπλασίως nescio unde sumpserit, affectari decuplo magis à fœmina quam à mari concubitum, præsertim grauidis, scripsit. Itaq; ubi in hanc effrenẽ ἐπιθυμίαν ruerint nullo reluctãte, aut quã minimo ratiõis imperio omnia euerti necesse est, nec ulli parcunt periculo, omnia æqua ducunt, honesta, turpia, iusta, iniusta, pia impia, decora, indecora, sic apud Euripidẽ fœmina magnum malũ. Citabo ex Hippolyto tria illius carmina:

τούτῳ δὲ δῆλον, ὡς γυνὴ κάκον μέγα
προσθεὶς γὰρ ὁ σπείρας τε καὶ θρέψας πατὴρ,
φέρνας, ἀπώκισ, ὡς ἀπαλλαχθῇ κακοῦ.

Addit rationẽ, quòd adeò mala res sit mulier, cũ pater qui genuerit, educauerit, eã etiã ut è domo eijciat, dotẽ addit.

addit. Sed hoc poeticum atq; ridiculum, sanè tamen in improba muliere uix quicquam inueniri deterius potest. Ergo in tam ancipiti malo, cum non sint andiendi qui uxores uerberibus cogendas existimant. est enim hoc auxilium seruorum atq; puerorum, quorum contumacia, ui, carcere, uerberibus, inediaq́; frangenda est. at si in muliere id tentaueris, prorsus omnia euertes. Quòd si contumacia processerit, nullum tibi superest auxilium, & maximè hic ubi de salute filiorum periclitaris. Tentabis ne uicinorum ut quidam faciunt admonitiones? ne id quidem turpissimum est & tibi indecorum, & ad magna mala uiam aperies. Si tamen cum illius parentibus ac fratribus conquestus fueris, postquam illam quam diligentissimè admonueris è re forsan erit. Quòd si nec hæc profuerint: scito melius esse improbam uxorem iustas dare pœnas, quam iniustas insontem filium. Omnia ergo tentabis in hoc, humana auxilia atq; diuina, antequam amandes illos è domo: quòd si aliter nequeas amandare oportet, & tradere affinibus ex priore uxore, aut magistris ludi literarij nutriendos. Scito tamen te parum iudicio in eligenda uxore ualuisse. Tria igitur præter reliqua auxilia, quæ aliàs recitaui, hoc in casu conuenire existimo.

Primum ut ad religionem te conuertas, multum enim in fœmineo sexu hæc opinio ualet, suadere pietatem, Diuinum incutere timorem, præmia & pœnas à morte memorare, Sed si ad hæc surda fuerit etiam senũ

sacerdotum

ſacerdotum monitis, iam ut à concubitu illius abſtineas ſuadeo, aliquæ enim hoc metu domantur, quoniam libidine pruriunt. Quòd ſi ad hæc uires non ſufficiant, non iam iudicio aberraſti in ducenda uxore, ſed planè ſtultus fuiſti.

DE VXORIS CONtumacia.



Erùm ſi nec hoc præſidio uincitur, ſed potius irritatur, ſpecta quo tendat hæc contumacia. forſan enim amouere teſtes ſui ſceleris cogitati properat. Tum uerò in alio genere calamitatis, de quo paulo poſt agendum erit, conſtitutus iam es. Sed ſi Xantippe eſt nõ Helena, nihil tandem melius eſt terrore ingenti ac diuturno, aliqui per laruas & fabulas exornant: alij autem per caſum in flumen, quòd ſanè tutiſſimum eſt: alij per prædones ac latrones, nonnulli quod periculo non uacat per contumacem equum. Per magiſtratũ in mulierib. honeſtis minimè licet. Sanè rem te docui, tu modum inueneris. Noctu ut facilius eſt ita minus cõſtans. Diximus in libris de Subtilitate quibuſdam repentè capillos in canitiem immutatos. atq; hi cum capillis mentem mutauere, refrigerato enim cerebro ſtabiles atq; moderati euaſere. Præter omnia ita agẽdum eſt, ne unquam reſciſcat ioco aut dolo rem peractam. nam præ-

terquam quòd odio semper te prosequeretur, etiam, officiet hoc morum & impotentiæ mutationi. nam non solum ex repentino illo casu immutantur ardor & effrenis illa petulantia, sed diuturna meditatione præteriti periculi indies magis proficiunt. Quamobrem perfidos ac tacitos ac si fieri potest, quorsum res tẽdat nescientibus, sed serio agi existimantibus, res peragenda est summo studio. Est enim maxima res hominem redimere, & à mortuis ipsum suscitare. Memineris etiam ne non plus quam uelles serio agatur res, statim à metu excusso, frictionibus uti, sanguinem mittere copiosum, habere in custodia diligenti, curare ut quam tenuißimo uictu utatur. nam præter id quòd hæc ad delendam suspitionem fuci tollendumq; periculum faciunt, etiam ad rem ipsam conducunt. multum enim medicamentis, præsertim ex helleboro, inediaq; extenuato corpore, cogitationeq;, per tot auxilia confirmata temperatura, mores, impetus animi, ac peruicacia cõmutãtur. Licebit per eadem tempora suturã coronalẽ ita ab osse detegere, ut solidata cute insensile uestigium (quod tamen nondum sum expertus) suturæ nudatæ relinquatur, ita ut uapores extra poßint, intro aqua ferri non poßit. Ex amuletis autem si quid talia potest. In topazium uerum (cogor enim id addere) aut gagatem, aut hyacinthum, uel smaragdum, Ioue stellam suæ naturæ, aut solis, aut Saturni, aut Veneris, uel Mercurij in Tauro, uel Leone aut aquario, lunam in ascendente cum

cum eis colloca, aut in 10 loco, aut 11 figuram uiri mortuum, filium coram se positũ lugentis insculpe & collo suspende. Sed si omnia non prosint, ad alia amuleta transeundum, sanguinem asini destilla & in potu da.

Aliud, cape plus turtures, & decolla, sanguinẽ, iecur, caput & corda destilla da in potu, & ossa capitũ trita dabis. Aliud, radices palmarum mascularum & fœminarum distilla simul & da in potu. Rursus sanguinem tuum destilla & da in potu. Referunt Chelidoniũ in sinistro brachio gestatũ, aut Arietẽ Chalybeũ facere obsequẽtes fœminas. Elisæ medullæ & destillatæ in hominib. conciliãt amorem. Contumaciã frangit os fractũ, ut expertus sum. Iam uerò cõtumacia frãgitur exẽplo, ut olim Florẽtiæ corã Leone percusso cane diu, ita domesticorũ atrocib. supplicijs, uultu ad irã semper cõposito, omnib. blãdicijs semotis, omnib. sublatis obsequijs, inducta muliere duplo magis cõtumace frãgitur. leporis carne fac ut aßiduè utatur, & cuniculorũ. Inuictã sæpius terreas, milleq; incõmodis afficias. in itinere deductã equo strigoso et imbecilli, fameq; enecto cogas per lutũ, aquas, nulla uenia, nulla misericordia pertinaciæ pœnas dare, bladis uerbis utẽs. Sed quid interea cõmodi? an ut Socrat. ut solũ pati discas? minimè: sed sunt omnib. uasis sua opercula primũ: si finxeris nolle quod uelis, habebis obsequẽtißimã, dũ repugnare se tuis mãdatis existimat. Secũdũ licebit tibi omnes sumptus circa illam tollere aut imminuere, quod non tam licebit,

quam necessario erit faciendum. Tertiū quòd si ægrotet, uel aliquo infortunio graui afficiatur, aut omnino pereat, quòd dolere debuisses, pro lucro ponere poteris. Lætusq; uiues utram in partem alea ceciderit, seu bene seu malè se habeat. Multum autem, ut dixi, refert posse in utranq; aurem securè dormire. Quartum quòd si quæ euenerint infortunia in domo omnia ad illam referre studebis: ut uicta malis succumbat, & te ab infamia leues. ita etiam filios foris educare præstat, ut illi obsequentiores euadant, & eam quoquomodo ulciscaris. neq; enim paruum est solicitam semper habere matrem de filiorum salute, & illam consuetudine atq; uisu eorum priuare. Sextum commodum est quòd licebit à domo diutius abesse domestico tædio grauatus, quod & fecisse Socratem existimo. totos enim dies foris disputando sæpe consumebat: quod si deesset concertator, in porticibus deambulabat solus obsonans, ut dicere solebat, cœnam. Septimum non leue est uiro auxilium ab earum congressu legittima ex causa abstinere posse, quòd & ad salutem corporis nō parum utile est, & modestiorem hominem reddit, & ad negocia magis aptum, & mulierem temperatiorē efficit, & minus coniugi familiarem: ac quasi illi pœna non leuis est, dum se uidet sperni atq; contemni. Octauum ut iure nulla in re obsequi illi tenearis, ita nec illam domo exire, non ad conuiuia ire, non pompas uidere, non in uillam pergere, aut ad templa magnifica

procul

procul uisenda permittes. non cameratum illi carpentum emes, imò ne conduces quidem: non eam pedem domo efferre sines, nec ad illam uentitare socias. ita tibi ipsi uni inseruire ac domum curare cogetur. Tu uerò extra domum conuiuia celebrabis, iocos, gaudia, illam suo malo mulctandam relinquens.

Sic uel ea tot modis oppressa, uexata, fracta, ad obsequium redibit, uel tu illius cõtumacia commodè uteris. Tu quoq; querulus, mœstusq; quotidie illam exagitabis modestè tamen, citra iram clamoresq; ac probra. licebit & tutius tua seruare, ancillæq; cuncta committere à qua liberè poßis credita reposcere. nam si rectè se gerat uxor, omnia illius fidei nõ alterius, tum etiam claues committere conuenit, ita rebus tuis melius consules. Hæc etiam prætextu custodias ad pudicitiam seueriores adijcere licebit. Ob id mœchæ callidiores plerunq; obsequentißimas uiris se præstant, ut facilius eos fallere poßint. In uniuersum nihil non commodi uiro prudentißimo uxor contumax præstare solet. Tui tamen muneris est ob charitatẽ ac decus nullum prætermittere officium monendi, deprecandi, consulendi, obtestandi, persuadendi, disputandiq; cum illa, ac rationibus conuincendi, ut melior efficiatur. nam tutißima est hæc uia, si capax mulier ad uiri obsequium rationibus potius quam ui aut incõmodis uicta redeat. Quòd si alijs ex causis quam priuignorum contumax euaserit: quanquam eadem sit curandi ratio, ac fructum col-

ligendi, diligentißimè tamen cauere debes ne ullam occasionem iustæ querellæ illi relinquas, quod multi faciunt, seu meretricibus operam dando, aut concubinam habendo, aut etiam aliquid turpius: aut desidia tua aut auaritia, aut contumacia aut iniuria, aut obijciēdo affiniū illi ἀχαριστίαν, aut casus erroresq; familiarium, à quibus omnino abstinebis. eamq; hac una ratione tractabis, ut uelles si tu uxor illa etiā maritus. aut ut filiā tuā uelles quam alteri collocasses in matrimonio. atq; hæc est una quasi generalis ratio tractandi domesticos omnes & amicos & clientes non solum uxorem: ut scilicet commutatione personarum facta dijudices quid expediret, quidq; iure optares. Aliter si feceris, uel iniuriam illi inferes qua nil deterius, aut nō emendabis quidem tu contumaciam, sed præter id etiam reddes impudicam & adulteram.

DE ADVLTERA Vxore.



I igitur adultera euaserit uxor, aut ut fiat operam dat, magno malo certè uexaberis: mœcha odit coniugem, illum infamat, contemptuiq; omnium exponit, insidiatur eius uitæ, filios supponit alienos, domū dilapidat et euertit. seu resciscas seu non resciscas miserrimus es. fuit ob id merito hoc crimē maximè Ro. Iudæisq; pariter inuisum: sed & nunc

Mahumetanis,

Mahumetanis. Sed proh hominũ mores! quòd inter maxima erat nũc negligitur. nihil profectò aut Reip. aut priuati tranquillitati ac securitati perniciosius. Hyettus Argiuus legem primus ante Draconem in adulteros sanxit. extat lex Iulia de Adulterijs. Antomedontis Epigramma non ignobile è Rhodigino proditum est. nos sic extemporaneè uertimus.

Fœlix primum ille est qui urgetur fœnore nullo.
 Inde cui nulla est uxor, & inde puer.
Si furor impulerit: numatam ducere oportet.
 Vt uadas celebres sponsus ad exequias.
Quas tu si cures subito: iam uictus abibit,
 Ipse Epicurus. habes quid facere expediat.

Nimis periculi est in nuptijs, in quibus aliquid esse potest morte grauius. omne bonum cum miseria coniunctum est. Sed necessitate ducimur, uitanda est ergo omnis occasio tanti mali, nec ullis sumptibus parcẽdum. Sed quis custodiet ipsos custodes? Olim & nunc apud Turcas eunuchis utuntur. Sunt enim mulieribus prudentiores & uigilantiores. Christianis cum essent omnia præter unum auxilia conseruandæ pudicitiæ erepta, & illud unum quod reliquum est adeò labefactatum est, ut nihil sit iam apud nos durius ad ferendũ aut grauius. Verùm annitendũ est in difficilib. maximè cũ nondũ flagitium admissum est. tametsi adulter opinione animoq; ac meditatione, non concubitu, ut Aristot. uult, definiatur. Habet ergo miser maritus malum

in domo extráq;,undiq; uis & insidiæ.Interficere non licet insidiantem,quanquam etiam cum diuortia eſſēt permiſſum eſſet. Dimittere non potes.Et ſi dimittas aliam ducere non conceditur.Tu interim cum infamia maxima & ingenti periculo uiuis.nam te ſublato maritum alium ei ducere licebit,lex uictis à uictore impoſita.nec Romani tamen eouſq; proceſſerant, ut cum in ſeruilia corpora puerorum atq; puellarum quodcunque libuiſſet licuiſſet, non tamen in nuptis hoc conceſſum fuit:adeò exhorruerunt etiam in ancillis nomē adulterij.Sed nec conuiuere nec deſerere tutum,aut ſine maxima infamiæ nota. Etſi filij incerti naſcantur, quos alere graue ſit ac turpe, his rem norunt abdicare,exponere,crudele,deforme,inuiſum.

Suaſerunt uiribus tueri regna,quòd uideatur.Turcarum res diu uiribus innixa manere. Sed ſi diuturnū putant,quòd octuaginta annis aut centum pauloplusúe manet uera ſunt hæc:Sed Orthagoræ centum annorum & Cypſeli minus quam octuaginta & hæc ſumma:Siciliæ uerò & Turcarum regnum eſt atq; æquum ius quòd cum poteſtate coniunctum eſt: alterum uerò quòd ferri poteſt:nullum autem reliquorum diuturnius.Itaq; difficile eſt ut dicebat Phauorinus repugnare cohortibus atq; ſecuribus.Veruntamen ut dixi prudentis uiri eſt patriam delegiſſe, ubi uel leges ſemper uincant,ut in Hiſpania:aut æquum aut Venetijs.Vbi modo iuri modo æquo operam dare uidētur iudices, ſum

ma iniuria est.non ultus est quicunq; ille præest.Lacedæmone tot iniuria occisos uiros, Tegeatis uiri non extremam excidio imperij illorum uindicauit.nõ dedi & accepi? non attuli & recepi?non miscui me uobis, & uos tanquam unus essem è uobis in me animaduertistis?Sed redeo ad Pasquillum si acephalus es,argus esse non potes.malim Antistium ueterem aut Suspitiũ Gallum,uel Sempronium Sophum quam Egnatium Metellum imitari.Sed quoniã nec hoc nec illud placet,Christi sequi mandatum in nobis oportet.Custodes nuncijque uicißim abigendi.Sunt qui putent uim inesse Chrysolito uero,ego utar non fidam.Ante tamen quam cadat alleuanda est,si rationes prosint.Ostendere oportet quantum mali filijs, quantum dedecoris affinibus, quantum turpitudinis,quantum damni domui,quantũ periculi marito ex leuißima re afferat. Sed ubi dictis non audientem uideris, ne perseueres.Sed statim simulata omnium inscitia quam diligẽtius potes, occulta illius ac tui turpitudinem.Si capax est rationis,breuitatis uitæ,expectationis fortunæ,diuinæ potestatis,quantum decoris in pudicitia,quantum ornamenti in honestate,quantum uoluptatis in tranquillitate uitæ sit meminisse ne pigeat.in extremis malis etiam leuißima auxilia et si ὁ ἐλπις ἀνελπίστως tentanda sunt.

Alterci semen,nigraq; papauera iunge.
Conion ac strychnon tum sæuæ membra rubetæ.
Suffitus facito:cohibent incendia amoris.

Suffitus facito humano permixta cruori.
Fœmineam rabiem sic tolle scoposq; quaternos.
Securusq; tuæ spectabis uincula mœchæ.

Sunt qui existiment uiticis folia pro pluma supposita, caphuramq; odore suo ad castitatem tam masculos quã fœminas deducere. Sed postquam ex uario cõcubitu filios nasci cõtingit, qui nostri nõ sint angimur frustra: totidẽ enim filij tot curæ sunt, beati qui plures habent quam credant: miseri qui plures habere se existimant quam habeant. Verum illud dubitatione dignum est, an amor in filios diuidatur, an singulos ita amemus ut omnes simul? aut quantum si singuli unici essent.

Mihi sanè uidetur neutro modo: nam qui unicũ amittit minus amittit, quia minus sperat, & minus tutũ existimat. quantum uerò à securitate abest tanto minus tutum est. Præterea stultum esset credere cum quis habeat quatuor filios, in eos amorem uelut hæreditatem diuisisse. nam hæreditatẽ eo animo diuidit, ut si posset singulis totam daturus esset: sed quia non potest, obstat enim amor cæterorũ, ideò portionem tantũ singulis distribuit. at amor unius aliorũ amori non efficit. singulos igitur quantum omnes simul amabit. At dices si tamen ei qui quatuor habet unus pereat, ei qui unicum etiam ille pereat, dolebit hic longè plus quam alter?

Vera refers, quia ille spe posteritatis destituitur. hæc autem per capita diuisa, cum sit in eo qui tantum unum habet tota in uno residet, amor autem indiui-

duus est. Seiungere enim spem illam ab amore decet. Ipsæq; res adeò inuicem destinctæ sunt, ut quidam quanquam ament plurimum filios de posteritate non curant. Indicio est, quod nil curant seu nubant seu nõ, seu etiam Phratriæ se inserant, ubi uiget uotum castitatis. Rursus obijcies si sint alicui 10 filij, plus tamen lõgè dolet si duo pereant quam unus, tametsi tamẽ duob. pereuntibus inter tot spes posteritatis uel minimum minuatur. Nõ uidetur etiã amor filiorũ esse in singulis totus, postquam adultos magis pueris amamus, & probos & eruditos & ornatos magis quam desides & contemptos, & quos habuimus si perierint magis illis, qui postmodum suscepti ad eandem tamen ætatem peruenere. Respõdemus amorem summum esse in filios cum ad ætatem constantem peruenerint, & non sint tales ut pudeat nos habere. Nam tametsi amor summus non poßit augeri, non tamen omnes filios quantum nos ipsos diligimus. hæc enim est perfecti amoris meta. Sed alios quidem ob teneram ætatem, alios ob ualetudinem minus prosperam, alios ob uitia minus amamus. Cætera quidem manifesta sunt: sed de ætate id accidit diuina prouidẽtia, ne nimio amore uincti, cum plures tum mori contingat parentes absumerentur: his etiam accedunt sumptus atq; labores, pari fermè excessu laborũ in matre et sumptuũ in patre. de his uerò qui perierint ratio per se clara est, quoniã reliquos nõ cõfidimus eò posse deducere quo illi si fuißẽt superstites peruenißẽt.

Quòd

Quòd autem duorum mors magis torqueat quam unius, tametsi de spe posteritatis paulo plus imminuatur, id accidit quòd maius subiectum nostri amoris deficit ex duorum morte quam unius: non quod maior amor sit duorum quam unius. Veluti si unus ex decẽ hodie moriatur, parentes extremo dolore afficiuntur, quòd illum quantum seipsos diligerent: si autem post quindecim dies pereat alius, desinit & subiectum alterum immensi illius amoris. Ideo cum totus amor in utroq; & suijpsius par desinat, in utroq; repetitur hæc iactura, non quicquam superadditur? Finge aliquẽ mori, nónne extrema patitur? fac ut reuiuiscat, nónne cũ morietur parem subibit dolorem priori? non tamen duo hi dolores uno maiores sunt sed repetiti. Ergo qui plures habet filios tanto infelicior est, quanto spe securior, atq; dum fruitur absq; incommodo beatior. Cæterùm in singulis immoritur, dum aliquis perit. at quia dum fruitur fœlix est, uoluptas quam ex uiuentium cõsuetudine capit minuit illum dolorem. Ex quo luce ipsa perspicuum magis est, quantum dolor in casibus filiorum maior sit uoluptate qua fruitur dum sospites degunt, postquam in unius obitu plus mereat, quam in decem qui adhuc supersunt incolumitate delectetur. Hac igitur de causa filios suscipere plures neglexerũt. sed de his hactenus. ad commoda ex uxoris improbitate suscipienda sermonem transferamus.

Principio ex hoc sumpto quòd plures mulieres quæ

steriles manserant apud coniugem, postquam ex adultero conceperunt, cum marito etiam fœcundæ factæ sunt. Quòd quanquam iuxta criticos hos sapientes ac morum censores absurdum uideri poßit, his tamen qui res ex iudicio recto expendunt intelliguntq́;, quantum inter fumum & corpus, inter præsentem gloriam & rem immortalem intersit forsan probabitur. Ego unicuiq; liberam relinquo de controuersis æstimationem. De re autem quòd sæpe eueniat non ambigo. nam ex primo conceptu uenæ uteri dilatantur, uterus ipse incalescit, intemperies si qua dominabatur corrigitur, purgantur loci: ideoq́; infœcundæ usu fœcundæ fiunt, sicut nimio usu fœcundæ sterilescunt in posterum. Accedit quòd si natis filijs infortunia accesserint, ut quasi de dubijs minus doleas. adeo ut dixi (nam attentum te esse oportet, non minus quam in physicis disputationibus, postquam non in opinione sed in re hæc felicitatis ratio à filijs sumpta constat, aliter non secus ac stulti qui se aut reges aut deos esse putant, falso beati essemus: præter filios habere quam plures & existimare de paucißimis. nam amor ille tam immensus paulo minus etiam anxiè sperando nos torquent, quam timendo solicitè perpetuo malè habet.

Quid igitur obesse potest si ea suspitione tanquam leui aura immensa illa filiorum cura temperetur? Deinde multitudo illa fratrum ac sororum non dubiè tanquam fasciculus uirgultorum ad omnem fortunæ impulsum

sum melius resistit. Si enim pauperes sint, operà mutuâ se iuuãt, et etiã plures emptores operũ suorũ inueniũt. Si diuites tãto honestius uitã degũt. solitudo nil boni affert, sed pericula cõtemptũ, ipsi aũt metũ ac suspitionẽ quib. semper affligitur miser. Si etiã diues sit ac potens plerunq; alijs filijs utilis erit. Vidi duos adulteros quibus non sat fuit filios proprios ditasse, sed etiam legitimis multum profuere, auctisq; eorum patrimonijs egregiè illos iuuerunt. Quinetiam cum eorũ alter princeps esset, & potentia & nobilitate res priuigni (ita enim appellabo) stabiliuit, turpe auxiliũ sanè: sed & turpem quæstum ex lotij uectigali Vespasianus Imperator non spreuit. Adulteria certè mala sunt, & fœda atq; execrabilia: Sed tamen si in ætate iam constanti incidant & sapientes uiros, non parum etiam utilia sunt maritis. infausta cum adulter adolescens pauper improbusúe fuerit: ita in quibuscunq; etiam pessimis rebus si non honestum, si non bonum inuenire liceat, licebit saltem persæpe decora atq; utilia aliqua assequi. Sed & mulieres adulteræ filios procreant nobilioris ac præstantioris ingenij, elegantioris formæ: unde spurij pleriq; ad maximos fortunæ gradus peruenere. Romulus quem postmodum Deo genitum ferunt ad tegẽdam turpitudinem, ex incestu non dubiè natus est.

Quid de tot Herculis filijs, qui gestis illustres fuere? urbes nouas condidere? regna sibi acquisiuere: nónne ex adulterio aut incestu omnes fermè concepti

suntẽ

sunt? Et ipse Hercules primum, cum ex Amphytrione genuisset Alcmena Hiphicleum, spurius natus est. et Apollo & Mercurius & quotquot nobiliores uiri pro dijs habiti sunt. M. Brutū C. Cæsaris filium fuisse & Tyberium, ut dixi, Augusti constans fama est. Nostris fermè temporib. magna & splendida Italiæ fax adulterino concubitu natus esse creditur. Quis Agathoclem figuli filium fuisse crediderit? Quosdam noui ego claros uirtute uiros qui aliundè originem & uitæ & potentiæ duxerunt. Autores libri Sententiarum & Decretalium fratres fuere, amboq; ex nefario cōcubitu geniti. Sed & tertium fratrem non minus ægregium eadem fortuna natum. Constat Iasonem Maynum Iurisc. decus sordidis natalibus fuisse omnes norunt. Sed ne forsan extra propositum loqui uidear, alium noui eo ipso maiorem è coniuge natum, quamuis mœcha matre. Obsonant ut puto melius adulteræ etiam coniugib. adeò ut nisi rescitcant, amentur etiam ab illis magis. Beatos noui quosdam in illarum illecebris. Calidiores sunt impudicarum filij, et uafri & astuti ac prōpti: adeò ut etiam in Italicum adagium uenerit, filius mœchæ. Ego sanè alteri has delicias relinquā: cū uxoris casto pectore etiā si rudes sint blādiciæ et incōditæ querelæ, amplexusq; incōpositi, cū Poppææ Sabinæ et Agrippinæ Thaidisq; suauia ac pruriētes cōcubitus nō commutauerim. Verùm cum uideam uale dictum sinceritati, ueritati atq; pudori: apertos aūt undiq; dolis, fucis, illecebris,

bris,ingressus,dulceq; existimari etiam scire se captari. nihil hac in parte dulcius aut suauius, mœchæ moribus esse uelim ut intelligas. Illa primũ uenięti tibi occurrit,ornata uestibus,blando uultu,corpore gestienti simili,redolens amomum fragrans,Cypriasq; delitias,cõpto crine,aureo reticulo,gemmis intermicantibus inter oscula atq; amplexus,quasi absueris cum Vlysse errãte uiginti annis, interrogat ac quæritur,cur tamdiu absentia tua illam torseris? inde narrat quæ gesserit, quæ composuerit,quæq; etiam audierit. nec pigebit cãdidulos dentes halitumq; oris suauem sentire:

Ornataq; multo lepore meliflua uerba.
Ideo quales fundit de uertice flores
Terra parens:cum se confesso uinxit amori
Iuppiter & toto concepit pectore flammas.

Excipit inde parata mensa, postulatq; narrari tua interim ingentia facta,non sine suspitione noui amoris qui te torqueat: petiturq; puella illa quæ te destinet tã anxia cura:interim:

Vrit grata proteruitas
Et uultus nimium lubricus,aspici.
In me tota mens Venus.

Accumbitur per hæc opiparis epulis,suppellex nitida,omnia munda,decora,splendida,& quod narrari honestè non potest,uoluptate incomparabili peragitur. Dispeream si qualis est interius mœcha interius talis esset,ni omnes cuperent uxores suas similes moribus ac

bus ac forma mœchis habere. Sed cum sint uelut principum sepulchra, exterius deorum sacrarijs pulchriora, nihilo secius intus nihil melius continent cæteris: sic impudica uxor est fœdißima meretrice, paßimq; prostituta. Sed tamen hoc tempore optimo sunt stomacho, ut non solum ferre poßint, sed libenter uideant psitaccos, cercopythecas tabulasq; inusiui & teßelati operis: dramascenaq; uasa postquam cessere Corinthia, coronas, monilia, gemmas, scyphos argenteos, dona ut ferunt sociarum amicorumq; maritalium lenocinante coniuge. Vtq; liceat commodo uti, ne in uestibus sumptum faciat, ne equis alendis, ne in familia aut apparatu mensæ. omnia subministrat locuplex amicus & Citoniano illo tam laudato melior. Tapeta picta, & postquam sericea abundant ostro ualediximus.

Fructus præcoces & quicquid rarum est, in mensa elegantißimæ fœminæ uisitur, etiam ex Indis petita. dicas principis non adulteræ esse apparatum. Hæc tanta commoda his temporibus præsertim tu spernere potes. Inde fauores ac defensores certos habiturus? non etiam optas? neq; timeas quòd olim legibus acriter urgebatur, nunc etiam defenditur.

Quamobrem si securitati, si utilitati, si laudi & potentiæ consulere uelis, non est quòd uideam cur non uxoris crimen hoc inter commoda & felicitates atq; miserias reponas? Eia igitur macte uirtute uir, postquã tantis bonis, & præclara libertate quæ summũ est mor

talibus donum tibi frui licet, non iam amplius quæraris mœcham esse uxorem.

DE FILIORVM CVRA.



Roxima huic, sed principalis filiorum cura habēda est. ut quorū uirtus ac fortuna omnis parentib. solatio sit, & in eorū propagatione spes ipsa æternitatis, nec quicquā est tā infelix in nobis quod in prole emēdari nō poßit. Sumus senes, illi iuuenes: ægri nos, illi sani, nos debiles, pauperes, cōtempti, illi robusti, diuites ac potētes. nos cū inuidia & inimicis exulésque, illi grati cum amicis & in patria. deniq; nihil tam graue est in parente, quod sperari non poßit mutandum in filio.

Non est ut in uulgari re & tam frequenti quæram exēpla: illud hoc satis est, in hoc uno cōtineri casu felicitatem infelicitatemq; humanam. Scipio senectutis filius bonus & fœlix, uades propagationis, imago parentis, spes æternitatis, & uirtutis resurgentis certum premium. Vt uerò felicitatis reliquæ partes scilicet uirtus & sapientia sinceriorem beatitudinem afferunt, ita filij fructuosiorem atque pleniorem. Sed tāto difficilior cura & incertior euētus. adeò ut ob hoc nō pauci hāc curā è felicitatis corpore ex toto segregauerint

uerint atq; seiūxerint. Verum nulla est huius contemplationis nobilior pars, non solum ob optimum fructum quem ex ea capere licet, sed etiam ob difficultatem atque industriam. Sunt enim rara preciosiora, & quæ magnis laboribus comparantur chariora. Memineris autem ut alias te monui, qui hæc curat eum debere ibi habitare ubi leges sint optimè constitutæ, omnisque æqui ac clementiæ & seueritatis ratio habeatur. ne cum omnia rectè peregeris uiolentus aliquis casus, aut ambitiosum iudicium laborem pluriūm annorum & spem resurgentem abripiat. dicereq; cogaris oleum & operam, ut in adagio est, perdidi. neque ob aliud magis quam ob filios, ni miser esse uelis patriam eligere conuenit. Itaque ut supra dixi exilium non inter mala connumerandum nisi admodum paucis est. namque pluribus in locis non esse quam eßè præstat. Sed hæc relinquamus, propositum persequamur. Filiorum res in tribus constat, in generatione, in salute, in educatione ut præstantes sint atque fœlices. Vt igitur omnia hæc contingant rectè, maxima pars, ut dixi, in coniugijs reposita est. Vt uerò coniugia ritè se habeant in legibus maxima ex parte consistit. at leges ibi rectè habent, ubi μοιχάγρια exercetur non κορινθιάζειν celebratur. Romanorum hoc decus fuit; qui quòd optimum esset agnoscentes, uirtutem uoluptati omnibus ītiam alijs in causis præposuere.

Quamobrem et Augustinus multis modis illis infensus, dignos tamen uniuersi imperio existimauit. O quam malè consultum est regum & gentis saluti, cum ut potiamur non sufficit omnia agere, sed ut deterreamus populos uindices tanti sceleris, qualitercunq; id ulti fuerint acriter puniunt, aut ut puniātur urgent uel permittunt. Itaq; quòd generationem liberorum, ut dixi, attinet, primum eligenda est mulier ad hoc apta, ætate quidem non nimis acerba, sed nec prouecta, ut à decimooctauo ad trigesimumquintum annum. Verùm si iuniori quatuor addas, à seniore quinq; auferas annos, ætas optima relinquetur. Habeat menses statis circuitibus, multitudine & tempore ac qualitate cōuenientes, ita neq; abundantes nec pauciores, nec albi nec fœtidi, aut qui diutius profluant. Et circa uterum maximè sit incolumis: non dolor, non tumor, non luxatio, non obliquitas, non collum constrictum, non pituita defluens. Ex eisdem puellæ parentibus plures nati sint filij, qui uel omnes superstites fuerint, uel casu aliquo non morbo absumpti sint. Super omnia cauere expedit, ne comitiali morbo in pueritia fuerint obnoxij, aut temporis successu tabi. Fœcundæ etiam mulieres non admodum exiles sunt, quoniam non ferunt, nec obesæ, uix enim concipiunt, renibusq; sunt firmioribus, nam hæ non facile abortiunt. id autem ex laborum tolerantia, ex ponderum firmitate dignoscitur. Porrò fœcundæ mulieres plerunque boni coloris sunt, musculis prædi-

prædita ualidioribus, lato pectore, uentre rotundiore & maxime inferius. Hippocrates explorabat fœcūdas puellas mulieresq; linteo mundo capiti circumdato, et supposito ad os uteri chalbano aut allio, uel artemisia uel melanthio, si mane caput olet Chalbanum aut allium fœcunda est, aliter non. Nostra autem ætate Moschum suffiunt atq; subijciunt uesperi: mane basia puellæ redolent Moschum. Quæ uerò fœcundas faciūt mulieres sunt cibi solidiores, animalium facilè concipientium carnes, ut leporis, cuniculi, damæ, pullorū, perdicum, polypi parui, succus item saluiæ ex uncijs septem potus. item artemisia, mercurialis, scilicet quæ uterum siccant: uel ubi atq; nascuntur, suntq; in genere suo luxuriantes ut parietaria etiam. Exercitatio etiam ualida & diuturna tam maribus quam femellis utilis est: nam mām seminis quæ per totum corpus sparsa est humida aqueo absumpto, solidiorem ac puriorem efficit, ut post modum melius in testiculis concoquat. Semen enim aut ex toto deciditur, aut præcipuis partibus, ut corde, cerebro, iecore. Labor etiam profundiores gignit somnos, ex quibus coctio ubiq; melior celebratur: ex coctione autem semen densius atq; fœcundius. Quo fit ut nec frequens coitus ad generationem utilis sit. nam semen non absoluitur, nec rarior plus iusto, corrumpitur enim. Indicio est laßitudo, fastidium, nausea. Et in mulieribus ex retento semine hystericus affectus. Dumq; generationi uacas, semoue om

nes curas, & profundas contemplationes ac seria studia, ocioq; & iocis te trade. Sic enim facilius generabis & uegetiores. Ex his uerò quæ proprietate conferũt, creduntur esse hyrci testes, ericij caro: mandragoræ quoq; & fœniculi radices cum uino coctæ, addito melle: Nepita etiam & calamentum odoratũ & Iris Illyrica & galanga & spica nardi: Testiculi etiam cerui, & leporis uterus, & staphisagria & piper & Myrrha. uisci quoque fructus contritos: scobs etiã ligni cupressi: Artemisiæ quoq; & rutæ folia ac cicutæ & periclymeni, acanthidis quoq; radices tusæ & pinsitæ in uino albo coquantur, & addatur cor cerui in cinerem redactum, & cum tragacantho detur in potu. Iuuat & radix aquaticæ plantaginis cocta cum melle addito cumino. Facit & nasturtium, & spuma ruminantis capræ in potu data. Cum maxima ratione facit Mithridatis Eupatoris Diascinsci antidotũ. Inungantur etiam uirilia & in uuluam introducatur pessarium cum lana ex uulpis stercore sanguineq; leporis: item centaurium cum terebenthina resina & lana. Plurimum aũt facit ut à purgationibus & succedente somnio ac quiete diuturna cõcumbant uir mulierq;. Et pingui uiro macilentior fœmina iungatur, & econtra. item rubro pallida, & econtra. Et ita seni iuuencula, iuueni autẽ quæ adolescentiam excesßit. Et libidine feruenti frigidior mulier. Recentiores malua & arthemisia suffitus faciunt: item Theodorico supposito Paulinóque antidota

eisdem

eisdem etiam purgantes. Sed & trifera magna utilis est: & Moschum pro allio uel chalbano suppositum, si fœcunda est mulier oscula suaue olentia reddit. Vteriũ autem leporis uiro exhibent, fœminæ autem testes: Apri quoq; testes siccatos in furno exhibiti ualde utiles sunt: sed longè utiliores testiculi & epar porculi, quẽ scropha solum ediderit in furno siccati. Ex pessarijs purgantibus, dicit Theodoretus nil nitro melius? ex conceptionem iuuantibus, quam quæ ex uehementer odoratis parum calefacientibus: ut folio, nardo, agallocho & Thure. Si scire uis unde sterilitatis uitium oriatur? uir & fœmina in ollas mundas mingant in quibus furfur sit: & cuius furfur computruerit & uermes geniti sint post nouem aut decem dies, existimant illum illamúe sterilem esse. Alij triticum alij hordeum furfuris loco immittunt. Si igitur mulierem eam sterilem esse deprehenderis ex Platonis præcepto imo quomodocunq; non generet, nec tu sterilis sis, alij te iunge. Ab antiquis receptum est Dictamum Cretensem esse medicamen sterilitatis.

Vbi ergo conceperit, tunc primum lætitiæ tempus est, eam leuiter exerce, nisi nono mense: tunc enim exercenda est gnauiter de ambulationibus, ut facilior partus efficiatur. nunquam tamen ut extendat corpus aut brachia, ut pondera eleuet aut transferat, ut quicquam super uentrẽ imponat, aut graue aut durũ, utúe se inclinet permittẽdũ: hæc enim omnia abortũ faciũt.

Sed carnibus leporum, cuniculorum, cerui, damæ apriq;, tum ericij & testudinum earumq; ouis utatur. prohibent enim abortum. ætitem brachio sinistro alligabis: super renes serici stuppam candido oui ac luteo simul cum guttis tribus aceti imbutam super impones: coagulum etiam catulorum leporis nondum natorum in potu datum mirum in modum conferre putant. Sũt qui cancrum fluuiatilem ustum etiam uino propinent. quòd quia abominantur pleræq; ne uomitum excitet periculum affert. Vitandus enim est uomitus, longa de ambulatio & laboriosa, clamor scalarum & accliuiũ locorum ascensus, lapsus, contentio, spiritus, omnia quæ purgant & quæ menses irritant: ut ciceres et phaselli iusq; eorum, apium erithrodanum: iuuat coccum cibis inspergere & uti astringentibus fructibus cotoneis, pyris, mespilis, sicca uua. Si non appetat? sinapi ex sapa parum admodum iuuat: aqua calida seu tepida ubi uomere iam cœperit iuuanda est. Si aluus non demittat feces, mollibus clysteribus ex oleo auxiliabimur. Sardonius quoq; lapis alligatus uentri confert ad fœtum retinendum, uelut & bracchijs lapis in pyrastro inuentus & Syderitis etiam herba, & radix maluæ agrestis. Vitent amara omnia & acria & uehementer acida, aspectum quoq; serpentum & rerum horribilium: & lepus marinus abortum facit si eum uideat mulier, & sonos magnos aut repentinos. multæ enim mulieres tubarum & tonitru strepitu audito statim abor tierunt,

fterunt, ouium more. Et timor abortũ facit si magnus sit fermè semper. Sed si robustior sit uterus, ubi natus fuerit infans moritur. Et ideò non ambulet de nocte grauida maximè sola. & odores magni præsertim fœdi fœtus excutiunt quandoq;. Et quidam fœtus seruantur à magnis offensis, ut casu, casus enim semper prægnanti periculum magnum affert, & à leuibus aborti unt. Et si prægnanti pedes tumeant lauentur ex decocto mali citrij. & usus eorum ac malorum punicorum in cibis salutaris est fœtui. Herinacei pellis usta in potu data & pudendo illita retinet fœtum. Et lapis incertus quouis loco inuentus. Cauere etiam oportet inediã & quamcunq; sanguinis detractionem.

Vbi pepererit mulier, secundum gaudiũ adest. Suadeo autem ut Saccharum aut mel purum cum hyacinthi aut smaragdi paucis granis in pollinem redactis detur. lauantur quidam tepida aqua, quidam frigida si ferunt, quidam uino. hæc omnia tanto utiliora quanto periculosiora, propterea tepidam pleriq; elegerunt. Ligatur umbilicus & post præciditur. lac matris generaliter ad salutẽ & robur corporis utilius est. sed si mater lactare nõ poßit, aut ægra sit, uel insalubri corpore aut animi uitio laboret, eligẽda ẽ nutrix quæ masculum paulo ante pepererit, ab an. XXV. ad XXXV ætatem habeat: bonum habitum, lac dulce, candidum, æquale, mammas magnas, tumidas & duras citra morbum tamen, mores bonos & præcipuè contrarios ui-

tijs parentum. Gestari à tertio mense incipiat infans: & caueat ne terroribus ullis subijciatur. nihil enim est quod celerius infantes occidat, quam repentinus aut diuturnus terror. Lactetur donec dentes anteriores emiserit. tum uerò pane cocto non præmansis cibis alendus est. eminent dentes anteriores septimo mense, sed non sunt usui utiles. Ego suadeo ut lactatio ad secundum autumnũ differatur. Hyeme enim imminente ablactari infantem decet: ut sit primus cibus tũc panis coctus in iure carnis, & lutea paucula ouorum. post quadraginta dies cibo solo dicto ali potest infans, nam & quadraginta primis diebus puer periculo uitæ maximè obnoxius est. Et Græci τεσσαρακόστον festum celebrare solent. quasi tum primum, ut Censorinus autor est, exempto à periculo maximo infante. Ferunt Plotinum ad annum usq; septimum suxisse lac. Sunt qui breuem lactationem laudent, ego longam probo. Sed de his in primo de Sanitate tuenda libro dictum est. Cæterùm nutrix exerceri aßiduè fermè debet ante cibum, & diuturno somno frui: puellulus autem somno longißimo uti, non tamen gestari nisi raro. plenioribus infantulis inedia, fletus, mel, salutaria: non ita exilibus ac macilentis.

Nutricem bonis cibis alere oportet & simplicibus, uino albo diluto. lætãq; uiuere & à coitu abstinere oportet. Periculũ enim est ne concipiat, & per se etiam coitus lac uitiare solet. Quæ lac multiplicant, lactucæ,

eruca,

eruca, fœniculus, polium, & ptiſana etiam lacti generādo cōducit. Et fœniculi anethiq; decoctū ſi ſuper mā millas imponatur. Faſcijs etiā membra ad debitam formā ſunt reducenda, atq; in ea cōtinenda. ubi uerò recta fuerint et ad formā decentem reducta, laxiorib. uinciri debet ſi ægrè ferat. Vmbilicū tribus digitis à uentre ligari oportere cenſeant, quòd experimēto deprehēſum ſit, eo longius euadere uirile membrū quo umbilici uinculū à uentre lōgius diſteterit. auriū ſordes, ſtatim ubi infans natus eſt exprimēdæ, caput ad rotunditatē leuiter cōpreßis laterib. decēti ſpecie ſtatim confirmandū. loco obſcuriore ac incerta ſub luce quā diutius poteſt retinēdus. primis aūt diebus etiā oculis: poſt picturis ac margaritis, monilib. pannis diuerſi coloris, illū ad inſpiciendum illicere oportet. Cantilenis ſomnum prouocare, & quandoq; etiam ſerapio ex papauere, cōditisque florib. ex nymphæa, et aqua eorū utile eſt: ac cūnis leuiter agitare. In uniuerſum blāditer ac molliter illū tractare decet. Vbi dētes naſci cœperint, aut cū loqui, gingiuæ uel linguæ radix melle et butiro illinēdæ ſunt. Vnum non niſi exacto primo ſeptēnio, ego tertio tantum, atq; id album ac dilutum dari ſuaſerim. Hoc enim plus longè ad morum temperantiam conducit, quā corporis robori aut ſalubritati obſit.

Vbi ablactatus eſt infans & iam ambulare geſtit, nutrice cuſtode non minus quam antea ob lactationem indiget. Primum igitur ablegand ſunt animalia

omnia

omnia quæ periculum afferre possunt, canes magni, fues, capreæ, arietes, simiæ, aues omnes magnæ, ciconiæ, pauones, galli (sed hi minus) corui ac huiusmodi. plures enim infantes ab huiusmodi animalibus discerpti aut percußi, aut obcæcati uno oculo sunt. Cauere etiā oportet equos calcitrosos, Foueas & solum lapidibus stratum, & scalas & loca altiora è quibus facile casuros infantes timere possumus. Vt etiam ignem, unde plures focis circundant ferreas catastas. Et ne circa riuos ambulent prohibere. Maximus error est huiusmodi puerulos solos relinquere. Et si pereant perijsse nostra culpa existimare possumus. Nec pueros aut puellas pro custodia adhibere debemus. Sæpe enim uidimus nummulos, acus, castaneas illis dedisse, quæ infantes pro consuetudine deuorarunt. Vnde alij mortui sunt, alij ad ultimum discrimen deuenere. Vbi ambulare cœperit fascia ligandus, obstetrixq; illum ducat, nō pro arbitrio & illius uoluntate, sed quantum satis est. Solent etiam uimineis corbis quasi intrudi. brachijs enim exertis deducunt circumpositam catastam, atque ita nec offendi possunt, nec quin ambulent prohibentur, est enim leuis ipsa catasta. tunc uerò primum delectare solent infantes, atq; id tertium gaudium est parētum. Et quanto gaudium crescit eo magis & timor: sunt enim inuicem iuncta. & quo magis timor crescit eo magis & solicitudo & cura. Si terreantur statim ab aßistente nutrice confirmari debent. De tempore

instituendi

instituendi puellulos dubitatio est, multi enim existimant à quarto anno & ante: neq; ego repugno quin à quarto perfecto incipiamus, sed ita ut sine querela, sine fastidio, multo minus sine minis atq; uerberibus. atque sic ad annum usq; septimum. quod enim amiserint toto triennio, in sex mensibus recuperare licet. Cæterùm sorbitionibus & ouis alere infantem oportet, à carnibus ac alijs parum nutrientibus, tum etiam duris abstineat. ludat cum æqualibus, & sensim exerceatur crescentibus uiribus, somnoq; indulgeat. Et ab omniū turpium exemplorum uisu & auditu coerceatur.

Cum septimum expleuerit annum literis & Geometriæ, musicæq; admoueatur. Sed ita ut omnia quasi ioco tractet præter humaniores literas. Tum custos prudens ac optimorum morum adhibeatur, mitis, sed grauis. atq; is hoc maximè curet, & puer à uitijs quorum semina pullulare animaduertat, quæq; parentum sunt, arceatur. Si iracundus ad patientiam reuocet, si segnis ad labores, si luxui deditus ad continentiam ac temperantiam, si nugax ad taciturnitatem, atq; ita de de reliquis. Nec sufficiat ad mediocritatem reuocasse, sed conetur ad contrarium quasi uitium traducere.

Quemadmodum cum ligna dirigimus, nō enim sufficit ad rectum traduxisse, sed necesse est ne relabantur, in contrariam partem flexisse. Quædam igitur leuißima, quæ nec consueta sint dißimulare etiam licet, parua admonendo, mediocria minis terrendo tolle re ex-

re expedit. Verùm grauia uerberibus, fame grauißima castigare oportet. Grauißima sunt mendacium, ludus aleæ, furtum, desidia pertinax. grauia rixa, & quæ circa libidines, tum antecedentia, ut oscula: turpia uerba, de dijs maledicere. Fuga uerò & inobedientia uehementer grauia sunt. Et si confirmentur omni uitio deteriora euadunt. Assuescat equitare blandos equos atque eos regere, nec tamen ad cursum illos citet, periclitatur enim alieno errore. discat & natationem inter æquales. A lectione turpium uerborum aut exemplorum omnino abstineat. corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Pater non uerberet errantem, sed blanditer corrigat ut habeat non solum quem timeat magistrum, sed etiam quem reuereatur patrem. Vbi in propria domo sint famuli, aut minus modesti uiri, mulierésue aut nouerca, melius ut apud magistrum uxorē habentē educetur. Successu temporis musicæ, & maximè parti illi quæ manib. instrumenta tāgit diligētius operā nauabit. Discat et numerādi artē & pingēdi, sic ut degustet, nō ut se illis immergat. At Dialecticæ, philosophiæ naturali atq; morali, astrologiæ quoq; ac humanioribus literis cum ad quartumdecimum peruenerit annum si totum tradideris, minimè aberrabis? Si autem commodum fuerit, sub pædagogo qui uni ipsi, uel etiam cum illius fratribus addictus sit erudiatur. longè enim melius erit. Nihil est melius pueris & adolescentib, quam ut in maximo metu per-

tu perpetuò contineânt, si non sint omnino uerecũdi. Super omnia & pueros & iuuenes & socios omnes improbos ac prauorum morum abdicare conuenit: Et ut discat nunquam in ocio esse, sed semper aliquid moliri. demum ut temperare uelit omnes actiones, nec cuiquam rei se totum tradere, uerùm ita efficere ut in omnibus rebus atq; actionibus poßit sibiipsi imperare. Habeat & coæquales cum quibus ludat, & quas ægregiè amet eruditione & moribus præstãtes, quos pater maxima diligentia cõquirere studeat. uelut præsidium in quo summa filij salus sit constituta. Neq; enim ut ille ait parua pars felicitatis est socius bene moratus. Vt autem proficiant in disciplinis, nihil melius est concertatione inter discipulos.

Vbi uerò ad 20 aut prope peruenerit annũ, ut iam pædagogo carere honestius sit quam illũ habere: pater ipse instituendum suscipiat moribus: dolos omnes, omniaq; pericula illũ doceat, moneat ut caueat, & ut uitare debeat diligenter instruat. Hoc autem quintum est parentum gaudium, cum iam filius obediens patri semetipsum regere norit: tunc tamen etiam clam fido socio cõmendãdus est, ut enim in adagio uulgari, unus nullus, duo unus. Tunc arti uel mercaturæ si libet addi ei potest. Nec pigeat tot tantáque educandi unius filij causa facere, cum ut primùm dixi in eorũ educatione atq; felicitate patris beatitas tota sit constituta.

Deinde unus filius bene institutus mille æquipollet, mille

mille malè instituti præter id quòd parentibus calami-tosi sint, spem propagandæ posteritatis non faciunt. Præterea quorsum tota pecunia & omnes opes, cum id cuius causa maximæ hæ utiles sunt defuerit? Demũ quid aliud dulcius esse potest, quam in optima re atq; officio collocasse omnem curam, studium ac diligentiam? propterea qui sapiet dulcißimum hunc fructum eße existimabit, in quo idem est opus cum fructu, cum in alijs opus à fructu non parum distet. & post laborẽ & curam euentum rei expectare te oporteat. Manifestum est igitur, quòd hac potißimũ in ætate institutione indigent filij, cum alij illos relinquunt. Et ut in præparato agro semina uberem pariunt prouentum, ita in hac ætate fructum educationis & institutionis copiosum colligere maximè licet. Sint autem iuuenis duo præcipua munera, agilitas quidem corporis, & animi prudentia: hac semper indigemus, illa nos quandoq; à mortis periculis liberat. Tertium est proprium quoddam linguæ imperare, loqui sæpius nocuit, tacuisse nunquam. Tum uerò considerandum diligenter, in quæ uitia sint procliues filij, atq; illis patrem se opponere oportet. nec solum curare ut instituat filios, sed ut doceat eos quomodo nepotes instituere ipsi debeant. atq; id præcipere ut & illi non solum instituant nepotes, sed ut iubeant illis ut eum ordinem in descendentibus perpetuò seruent, & conentur curam illorũ agere, atq; ut multiplicentur efficere.

Quod

Quod præceptum nullus melius Mose animaduertit, et ut obseruaretur imperauit. Sed militarem artem quæ tum parum uiguit neglexit, nescio quo consilio, nisi forsan diuinum haud esse crediderit, homines ad hominum necem armare. Tum primum uinum illi concedere fas est.

Sextum gaudium est, ut filios bene & ex sententia uxori iungas. diximus autem quæ huic negocio sint necessaria. Circiter autem uigesimum quintum annũ hoc fieri debet, ne si serius fiat tardius filios suscipiant, & reliqua contingant quæ superius sunt enarrata. Sed & si celerius, minus robusti et sapientes filij generantur. Eadem ratione omnia peragenda sunt in nepotib. quæ pro filijs præcepta sunt. Inde longæuis per eadem recurrendo ad quintum ac supremum denuo gaudiũ peruenire licet. Et scias quòd mater prudens multum facit ad filiorum ac filiarum educationem per omnem ætatem. Et si obierit post nonum annum extra domum educandus est.

De filiorum autem numero, quanquam generaliter supra locuti simus, nunc specialiter tum etiam nepotũ dicere expedit. Duo autem obseruare oportet necessitatem atq; utilitatem. Vtilitas enim est fœlicitatis incrementum, & eousq; extenditur donec per te uel tuos commodè educari possint. initiumq; ducit statim post numerum necessarium. Quicquid enim supra necessitatem est, & educari potest ex nepotibus atq; filijs, id

totum augendæ felicitati ascribi debet. Porrò necessarius numerus sic habetur: ducas numerum filiorum in suas ætates, et quod fit detrahe ex paterno annorum numero, si minus relinquitur uigintiquinq;, est fœlix: atq; is numerus est neceßarius scilicet uigintiquinq;: minor autem ad incrementum felicitatis pertinet. Si autem maior fuerit, tanto magis à felicitate abest, quanto numerus ille uigintiquinque maior est. Exemplum sit pater quinquagenarius, huic sint tres filij: unus decem annorum, alter septem, tertius duorum: collige hos numeros, fient decem & nouem, detrahe ex quinquaginta annorum patris numero, relinquuntur triginta & unus. Deficiet ergo à debito numero necessario filiorum ad felicitatem in sex, & in quarta parte propositi numeri fermè. licet autem & fœminas & nepotes cum masculis filijs connumerare pari ratione. Vt sit ratio hæc generalißima. Verùm si fœmina sit sterilis, ut filia mea esse uidetur, tamen quanto maior natu, tanto minus adnumeranda est reliquis gnatis. Et ita si ad quadragesimum annum peruenerit, pro nulla habenda est: antea uerò numerabuntur anni quibus quadragesimo minor est.

In nepotibus autem si pater adsit & uiuat, considera an pater felicitatis numerum habeat, tunc auus fœlix erit, aliter non. Velut si pater octuaginta annos natus nepotem habeat bimum: filium autem sexaginta an-

nos

nos natũ. quia pater ipse inferior est debito numero trigintatribus annis, atq; ita cum modica spe erit etiam auus cum eadem exili spe. Cum uerò nepotes soli fuerint, auus loco patris omnino habēdus est: atq; eodem modo supputandi anni. Manifestum est autem quòd si plures filios auus habeat, unusq; eorum sit fœlix, auum felicem esse. sed si plures habeat filios nullum autem felicem, tunc cum filijs inire eam oportet rationem, ac si solum pater esset. Sed & nepotum annos adijcere cum filiorum annis debemus. Cum etiam pater uel auus 60 excesserint pro 600 numerentur. In masculis igitur si nondum nupserint numerabimus annos ad 30 usq;, et à 30 supra illos qui ad 60 usq; intercipiũtur. Si uerò iam nupserint, aut concubinã habeant numerabimus annos qui ad 50 usq; intercipiuntur. In uirginib. similiter annos ad 23 usq; & post deficientes à XLVI. Si uerò nuptæ sint annos ad XL. usq; deficientes. Numerum aũt potiorem uix aßignare licet. fermè enim extēdi potest 40. & maximè in uiris, cum ex pluribus mulieribus filios susceperint. Ille tamen ualde felix dici potest, cuius numeri deficientes dupli sunt numero neceßitatis: uelut si pater sexagenarius tres habeat filios, unum annorum 30, alterum unius supra 30, tertium 4 supra 30, conficiunt enim numerum 85, qui maior est numerorum annorum patris 25. At cum sufficeret numerus filiorum trigintaquinq;, atq; ita duo filij unus annorum triginta, alter quinq;, patet conduplicatam

in priore esse spem fœlicitatis. Ablata autem spes intelligitur cum pater 60 annum excesserit, nullusq; filius aut filia superest. aut si supersint aliqui, omnino impotentes sint ad generandum.

Si igitur filius uel nepos affuerit detractis illius annis à 60 reliquetur numerus fœlicitatis: quem constat 34 non posse esse maiorem: si 25 detrahantur. Patris ergo minima est 59. seu ultra 25 & 34. Trigesimusquintus igitur ordine infinitus est, & omnis fœlicitatis expers. Cum igitur uigesimusquintus sit mediocris, quinquagesimus nonus in extremo fœlicitatis termino, sexagesimus omnino extra fines: excessus autem supra uigintiquinq; ad quadringẽtos extẽdatur in quo est locuples beatitudo: intra uigesimumquintum etiam beatitudo: intra uigesimumquintũ etiã beatior homo consistat. manifestum est hominem propriorem esse finibus calamitatis quam beatitatis. longè enim plus distat unitas à quadringentesimo numero quam à trigintaquinq;. Facilius ergo longè ad summam in hoc infelicitatem peruenire quam fœlicitatem, etiamsi omnia in filijs rectè cedant.

Verùm obijcies has regulas sæpius frustrari, nam Abraham in unico filio Isaac stirpem suam, ut sacra scriptura docet, fermè in infinitum auxit. Gedeon autem cum septuaginta haberet filios in unum Ioatham redactus est. de cuius etiam stirpe nil scriptum inuenitur. fateor inquam, non esse huius perpetuitatis, imò

ne pro-

ne propagationis quidem securitatem ullam, sed despe rationis solum certam scientiam atq; dolorem. ita conditio humana mortaliumque res bonum nullum tutum aut securum habere potest, mala tamen certa & ineuitabilia ferre cogitur. Sufficit tamen mediocris hæc spes, quandoquidem nihil maius habere possumus ad hanc uitam feliciter traducendam, & bene beateq́; moriendum. Hac igitur causa nunquam cessare oportet, quin filios tentemus suscipere si omnino desint aut paucißimi sint: nec turpe uideri debet, aut contra existimationem propter ingens bonum, quòd in filiorum procreatione continetur. Quod & Cato Censorinus fecit, ex iuuencula enim ancilla prope octogenarius filium progenuit, quanquam filium natu grandem & iam prætorium uirum haberet, nec deceptus est. nam natu maior paulo post extinctus est: minoris natu pueruli stirps eousque mansit, donec à triumuiris Catonis Vticensis filius occisus est: nam Vticensis Cato ex minore filio Censorini Catonis originem duxit. Itaque nec pigeat nec tædeat aut pudeat filios nostros nos erudire atq; instituere, quandoquidem dignius nihil, nihil honestius ut utilius agi poßit. Vt iam non irrideam patris mei curam solertem, sed potius admirer nũc, qua etiam ratione nepotem meum ex Ioanne Baptista Tacium appellari iußi, memor prudentiæ paternæ, atque officij quæ olim aspernabar, & irridebam, nunc melius nullam operam collocatam intelligo. Similiter

nec multitudinem filioru formidare debemus, aut malle paucos diuites quam multos pauperes relinquere: nam opes sine liberis euanescunt & inutiles sunt, nec auxilium aliquod ad habendum liberos præstant: at filij bene educati præter id, quòd sempiternitatis speciem efficiunt etiam opes ad se trahunt, ut utroq; beneficio locupleteris. Atq; hæc de filijs incolumibus atq; beatis dicta sint, nunc ad id quod agere debeant hi, quibus miseros gnatos habere contigit transeamus: docentes & malum hoc corrigere, & ex eo utilitatem capere.

DE FILIORVM MISERIA.



Iliorum igitur grauem curam, & assiduam diligentiã, tot labores, eorum cõtumaciã, uitia, errores, improbitatem, stulticiã, casusq; aduersos, aleãq; perpetuo certã pleriq; sapiẽtes adeò reformidarunt, ut pauci admodum ex philosophis filios suscipere curauerint. Vnus fermè Socr. & Aristot. ex nobiliorib. operam filijs dedere, quam feliciter non est ut explicem. Verùm neq; Plato, neq; Zeno aut Diogenes uel Epicurus, aut Theophrastus aut alius quispiã ex nobilioribus philosophis uxores duxerunt, aut filios suscipere curarunt. Vnus Aristippus ex cõcubina nescio quam puellã susceptam omnino neglexit: atque id iure merito duabus causis: prima, quòd felicitatẽ quæ secura

aliter

aliter uidebatur huic periculo exponere haud æquum ducerent: secunda, quòd nihil miserius existimauerint quam filium tot laboribus, curis, impensis educatum tamdiu, una hora amittere, seu morbo id contingeret, siue casu, seu perfidia inimici. aut quòd pessimum est seueritate aut crudelitate iudicum. Verùm hi feliciores qui licet ex se non suscepissent liberos, fratrum tamen filios haberent, ut ex his quos nominauimus fermè omnes. nam nullo tædio educati, & citra timorem atque studiorum impedimentum, sine solicitudine incumbentium partes filiorum explebant. Mihi inter reliqua aduersa & fortunæ iniurias hoc etiam adfuit ni carerem fratribus atque sororibus. * Quamobrem coactus sum hoc tædium sorbere, & lagenam calamitosam haurire: præsertim quòd hos tantos labores seu fato publico, seu filij amentia, tam crudelis exitus excepit. Et cum serere expediret (uelut de Cassijs dicebat Cicero Cassios) nouo Reipub. Cardanos dico, qualis filius meus fuit, laboriosos, iustos, benignos gratos, omnis doli inscios & hostes, publicè extinctus est. Proh Deum patientiam adeò ne hominum generi inuidistis? Sed hæc inferius diffusius explicabuntur.

Cum ergo miseria contingat filijs ui publica aut priuata, aut sponte aut casu, nam de improbitate & amentia suo loco dicetur: singulis pro ratione propria occurrere oportet. Publicæ primum ne ibi habites ubi arbitria, ut appellãt, plus legib. possunt & diuitibus,

quomodocunq; partæ sint diuitiæ, honores tribuũtur. nam si sic? quorsum erit iustum fuisse, æquum, continentem atq; innocentem? cum rapinis non solum opes, sed etiam honores & magistratus pro premio propositi sint? Nec sufficiat sine pœna furari, fœnerari, pacisci, sed id agentibus proposita sint maxima premia? At dices, hoc necessario factum est ob Reipub. commodum: nam & causa publicanorum à Cicerone optimo ciue enixè defendebatur. Et fœneratores Romanorum tempore, & dum res publica floruit tuebantur ius suum? fateor: sed ut illi rem suam rectè curarunt aut curant, ita probi hominis est ut & ipse sciat longius illinc abesse oportere. nec sperandum pauperi (erit autem pauper fermè quisquis non ab initio diues natus, innocenter ac iustè uiuere curauerit, quicquam æqui ubi premia non uirtutibus, sed opibus quomodocunq; partis & ex consequenti scelere proposita sunt. nam alio quouis loco non nisi meliore conditione esse poterit. At uerò id præsertim cum stultos, aut improbos nactus fuerit. Sapiens enim cum sibi uix imperare poßit, adultis filijs si contumaces sint & insolentes quomodo imperabit? ob id hanc curam à uera felicitate pleriq;, ut dixi, sapientum tanquam nimis difficilem & periculosam segregarunt.

Tertium ne ibi sis ubi ius municipale à communi plurimum distat, & maximè si sæuius sit. Oportet etiam summa industria pueros cum ex Ephœbis excedunt

cedunt utriusq; iuris scientes facere, ac summa diligentia instruere de pœnis maioribusq; rebus. Velut quam graue onus sit coniugium? quam periculosum sit se intromittere de proditione publica? quantumue etiam difficile sit se seruare incolumem cum malis socijs, & præsertim iracundis, furibus, lusoribus, quiq; inimicitias exercent se coniungere? uenena odiosa esse principibus ac magistratibus. quoniam à ui aperta tutos se esse credunt, non tam ab iniuria immunes: ubi adulteria pro ludibrio habeantur. Quales sint pœnæ reorum? arbitria iudicum? auaritia ius exercentium? in omnibus plurimum posse opes, gratiam, odia, iracundiam, libidinem atq; luxuriam, ut probitas ultimum locum retineat, & auita uirtus atq; nobilitas. Sed hæc Deus ulciscetur? Quis dubitat? Verùm interim insontes sæpe pœnas damus, non solum absoluuntur, sed nos etiam irrident. Hoc unum animaduertere decet ut cognoscas ubi esse debeas? ubi sceleribus maiores propositæ sint pœnæ quam erroribus. at mos hoc tempore uiget, ut quemadmodum hæretici quidam non in actionibus pijs salutem animarum propositam esse uolunt, sed in scientia disputandi quid pium sit, quid impium & unde utramq; & quomodo hac in parte, scriptura sacra interpretari debeat: ita scelus est non scelus facere sed aberrare, nec satis occultè peragere.

Tetri etiam carceris & moræ quæ nunquam finem habitura uidetur, & molestiæ & timoris & solitudi-

nis & acerbitatis aculei ignium, cunei lintei admonendus est adolescens: perplexarumq; interrogationum ac cauillationum, quas iudices ut in contrarietatem deducere poßint, atq; implicare miserum & incautũ captiuum, gnarum facere oportet. In uniuersum cum multa sint quæ grauibus pœnis sint obnoxia, quæ tamẽ læuia uidentur, ut adulterina moneta, falsus testis. contra alia quæ grauia cum uideantur, leuibus pœnis alicubi coercentur, ut urbem annonæ charitate premere, fœnus exercere, prodere incautum socium, adulteriũ committere, consilijs prauis adolescẽtes agere in præceps, colludere cũ aduersarijs clientis, horum omniũ admonere decet filios diligenter. E Repub. etiam esset et multo utilius, ut ante sacrificij solennia loco festorum dierum qui omnibus noti sunt, per sacerdotẽ publicè omnes legum admonerentur. Sic ut toto anni circulo ciues omnes, quæ ad crimina pertinerent intelligerent. Irrides consilium? cur? nónne Romani omni omnium quas constituebant legum publicè in tabulis aëreis exẽplar edebant? Quorsum hæc? Et si non amplecteris consilium de sacerdote? faciant qui præsunt, quod Romani faciebant, sed hoc est operosius: Sacerdotis res leuior & commodior.

Sed nolunt? non inutile tamen esse constat. Noster ergo adolescens & de flagitiorum multa monendus est, & de atrocitate pœnarum, quæ uel pro scelere imponuntur, uel pro exquirenda ueritate: ut horum

rum altero prudens, altero continens euadat. Quòd si corrigere posse non speras, aliò ut dixi commigra. Animaduerte autem duo circa omnem adolescentum admonitionem: primùm ne coram alijs aut familiarib. aut exteris illos corrigas ambitioso quodam & imperioso more: quidam enim adolescẽtes adeò natura sunt irritabiles, ut potius irascantur quam emendentur: oderintq; & patrem et eos quibus coram reprehensi sunt. Secundum ut uelut in lignis dolabra utimur, in ferro lima, in Chalybe cote, ita adolescentum ingenia teneriora simul reduces: alia sensim & minutis sed aßiduis ictibus, quædam etiam minutißimis. Ita consilijs priuatis ac rationibus additis reuocabis ad frugem.

Quòd si priuata contentione aut discordia, aut societate aut consilio filius in periculo ne miser fiat uersetur, primum illud tecum cogita, nihil in huiusmodi malis atque periculis tam prodesse quam educationem apud alios, atque regionis mutationem. hanc hodie omnes norunt: illam etiam antiqui in usu frequẽti habuerunt. Educabant autem apud patruos libentissime, cuius rei locupletes sunt testes comœdi, & maximè Terentius. nec alibi felicius quam apud illas educari consueuerunt. Siquidem eorum supercilium timent magis quam patrum, maximè absentè matre, diligunt tanquam patrem alium, & obseruant propter spem hæreditatis consequendæ, quam sciunt non nisi ex eorum uoluntate, non legis neceßitate ad se deuolui.

At è

At è diuerso patrui qui sine filijs sunt nepotes pro filijs amant: uerùm temperatiore affectu quam patres. neq; enim tam audacter in æos sæuiunt ut patres qui illos habent in potestate, neq; in eos maligna utuntur misericordia aut profligata indulgētia, ut patres, quoniam amoris sui erga illos non sunt serui sed domini. Quòd si desit patruus paternus, maternum quæremus, aut aliquem παιδοτρίβην, seu potius ἠθοποιῷ cuipiam trademus.

Cum enim quatuor sunt adolescentium institutores, in literis παιδαγωγοὶ, in corporis exercitatione παιδοτρίβοι, in moribus ἠθοποιοι, in armis παιδονόμοι, qui etiam ciuitatis instituta docent. Præstātißimi sunt in iuuenibus παιδονόμοι, in adolescentulis ἠθοποιοὶ in pueris παιδαγωγοὶ: παιδοτρίβοι autem ex æquo minus communes omnibus. Iuuat etiam alijs studijs necessarijs detinere illos, atq; artibus nouis imbuere. Sed hæ omnes consuetudines ciuitatum amissa libertate, omniumq; uoluntate in comparandis diuitijs conuersa, exoleuere. Solis honos diuitijs solis opibus parandis omnia studia intenduntur.

Quamobrem parum refert seu non sis, seu malè sis. Obijciat mihi inopia mea securi percussum filium meum, spe mihi æqualem, fortuna & prudentia inferiorem, nisi forte fortunam meam miseriorem esse putes, illius dolor quanquam immensus hora finem accepit. non enim antea monitus est, quantulacunq; hac iudi-

cum

cum indulgentia: uelut quòd & noctu, & in ipso palatio extinctus sit, ut nostræ existimationis quanta posset ratio haberetur: noster perpetuò manet, & lachrymæ perennes.

Indicio esse potest inter cæteras Hispanica gens, quam maxima ex parte (est autem Mediolani frequẽs) tametsi plures Medicos habuerit, ægregios curabam: ex qua ab anno M. D. LIIII. inchoante ad finem anni M. D. LIX. nemo prorsus in manibus meis perijt: cum tamen toto illo tempore supra quingentos è nobilioribus curauerim. Quinetiam referunt (hoc ego affirmare non ausim) ipsi filio meo toto biennio quo uitam cum uxore egit, uix tres aut quatuor ægros obiisse. nec mirum, ualde obseruabat enim præcepta nostra, nec multos poterat amplecti laborantes: ut cui equus non esset, eratq; pius ac diligens admodum. Habes tempora & mores. Non erit fœlix, mihi crede qui tria hæc non coniunxerit, patriam, institutum & genus in quo fœlicitas collocatur. Si enim secundũ uirtutem uiuere paratus sit: & ibi habitet ubi & uirtutũ & æqui exactißima ratio habeatur: Ipse uerò sibi proponat finem uirtutem. non iniuriæ nimiam patientiã. Si potes Christiano more omnino uiuere, quælibet patria sufficit. Sed paucos uideo qui perferre poßint, nimis multos qui cum simulent, nec Epicuro tamen uirtute sint comparandi. oportet, ut dixi, leges esse optimas, defensores illarum æquos, institutum tuum legibus

conforme

conforme, quòd ad assequendum finem sufficiat, in quò fœlicitatem tuam reposuisti.

Si iam miser filius tuus est: inops, æger, exul, inuisus omnibus, iniurijs oppressus, notis iniustus, non iam amplius curãdus est animus, sed res ipsa: & quomodo ex huiusmodi calamitatibus liceat utilitatem capere docere oportet, simul uerò etiã uerbis castigare decet. Proficiunt alij blandiorib. uerbis quæ ambitiosi sunt & prudentes, alij asperis qui duriores & tam seruiles. quidã factis ac pœnis coercẽtur, cõtumcces & rationis haud capaces, uelut asini: quidã officijs & beneficijs, ut qui natura grati sunt. In omnib. naturam iuuenis cognoscere oportet. Sũt qui exẽplis, qui æmulatiõe ad bene agẽdũ, ad ferẽdũ aduersa incitẽtur. Sũt qui assiduitate uincãtur iuuenes, in quibusdã assiduitas tædiũ & fastidiũ parit: generaliter tamẽ occupatos detinere iuuenes in opere ut à miseria nõ adeò premãtur, et ut meliores efficiãtur cõducit. Memineris aũt patrẽ in miseria filij si adultus sit calamitosiorẽ esse quã in seipso. auxilia tamẽ quæ patri profutura docuimus, eadẽ in eisdẽ generib. pro filio adhibẽda esse. Nec te fallat ira ut lẽtior sis in corrigẽdo, curãdo, castigãdo. id enim cogita ac propone ante oculos, qualis sit futurus si postmodũ pereat: neq;. n. facile est intelligere, nec cuiquã persuadere quãtus sit dolor amissi filij, nisi postquã amiseris. fac ergo ita ne prudẽs sis post factũ. cuiusmodi esse nostros ciues ferũt, sed antea ut Venetos decet patrẽ prospicere, nã & in ipso facto prospicere, & si lõgè melius sit

quã post, nihilo secius minus tamẽ utilis ẽ hæc solertia quæ Florẽtinis tribui solet, ac minus laudabilis quã eorũ qui antea reb. suis cõsulũt. Nec mouearis ira erga filios quantumcunq; ingrati, contumaces, improbiq; in te fuerint seu omnino stulti, aut etiam scelerati. Primum cogita quod ætati debeatur, in qua alienis solẽt sapientes et iudices æqui parcere, tu tuis nõ parces? deinde quod pleriq; solẽt mores mutare in cõtrariũ penitus, ut de August. referũt: Et nostra ætate uisum est in Iasone Mayno, Matthæo Curtio. Et nos de nobismet testari possumus. Adde quod si tu filios tuos deserueris à quouis ut miseri petãt auxiliũ? nam alij patres suos tuebũtur, tu tuũ deseres? id aũt maximè ne feceris, cum iam filij conditio antea misera fuerit, aut uel ipse pauper quocũq; casu id acciderit. Cogita etiã exitũ ne postmodum frustra pœniteat, cum auxiliari non poßis? eumq; inaniter sublatũ defleas, quem sospitem seruare potueris? Reminiscere tot laborum, uigiliarum, quas tu coniunxq; tua tot annis ut educaretis perpeßi estis, tot pecuniarum absumptarum: dinumera per singulos annos quantum impẽderis? ne pigeat ergo tantæ summæ quæ iam perierit hoc quantulũcunq; sit addere, ut reliquum omne serues. reuolue in animo quanti illum feceris, & si etiam consilio & sciens peccauerit, ad te pertinet cogitare atq; existimare quod errore fecerit: nimis durũ tibi atq; illi calamitosum, quòd iudices atq; alij id credant. quamobrem excusabis quantũ poteris,

piũ

pium hoc est, nec ulla lex uetat, nec in crimine læsæ maiestatis. Reputa tecum iuuentutem tuam aliorúmque multorum improborum, & quorundam qui ad bonam frugem ex summo dedecore conuersi sunt? Miserere æui in illo, nam quantumcunq; flagitiosum perdideris filium, quid aliud egisti quam quòd temetipsum in filio perdideris? Est stultus, fiet sapiens, incontinens est, continebit se. rebusq; suis periculis, ætate, exēplis, monitionibus (his enim quatuor præcipuè adolescentum animi solent mutari in melius ac corrigi) in posterum perspiciet: Est contumax? fiet obediens. fugitiuus? nimis est quòd in fuga mali experietur: timeas illi ob hoc potius quam irascaris. Subfuratur? cui? cuius? Sibi suaq;. Multa deniq; perpeti te decet ob tantam spē imò tantas: dico perpetuitatis, posteritatis tam dulcis ac iucundæ societatis, deniq; renouationis omnium bonorum quæ in te desunt iam, aut semper defuere. Sed me pauperat senem & inualidum? sit ita? malum certe hoc, sed nónne melius est seruare filiū quā rem? cū amisso filio etiam amissam rem credere debeas? cui enim usui res tunc esse poterit? Ex duobus ergo unum melius est seruare quam ambo amittere. Si filium seruaueris ille forsan aut illius filij rem recuperabunt, atq; ita utrunq; habebis? si filius pereat? res seruetur? non poterit res filium redimere, quamobrem cum & ipsam perire necesse sit, tandem utroq; priuatus eris. Præstabit igitur hoc antea animaduertisse atq; curasse dum potes,

tes, quam re peracta postmodum lugere in cassum.

Quamobrem laudantur iam tot seculis Qu. Hortensius orator celeberrimus, & Ciceronis æmulus, Luciusque Gellius tum Fuluius & Ludouicus Caroli Magni filius, Gallorum Rex in Lothario filio. ignotiq; illius (quisquis ille fuit) exemplum non absurda sanè temeritate, ut quidam existimant, aut impotenti amore uel muliebri mollitie, sed sano integroq; iudicio. Considera pater, infantiæ pericula & difficultates, pueritiæ solicitudinem & impensas, adolescentiæ metus & turbas quas perpessus es pro filio? & noli tentare fortunam ut momento omnia amittas. Quæres à fido illius aliquo socio, sed famulo melius omnia arcana filij, ab ipso etiam filio si uelit referre: nihil pudeat, non pigeat, nil turpe, nil graue uel esse uel uideri potest propter illius salutem. Non doleas, quòd lucra, studia, uoluptates, negocia interpelles, ut filium saluum esse uelis? ut serues? ut bene educes? Quòd si modo fortuitò postmodum aut morbo eripiatur? non dolebis. Deo enim irasci non decet: nec ab illa iniuria accipi potest. Si uiolentia inimicorum (aut iudicum crudelitate? parũ tum dolebis, cum illi in nullo defueris, tunc enim ereptum fato & Dei uoluntate, cui nec repugnare potes nec fas est, existimabis. Sedulus ergo hanc curam age. Quòd si plures habeas filios? non ita uni nequam indulgendum erit, ut uel ille uolens improbitate, uel tu exemplo alios bonos perdas,

Castigandus est ergo seuerius, sed si potes amandare melius est. Infantes & adolescentes cumq; soli fuerint apud te retinebis: pueros & iuuenes si plures habeas amandabis. Sed pueros & iuuenes tamen difficilioris naturæ aut improbos: melius enim est ut castigentur ab alijs, beneficia è manu tua accipiant. cum ergo apud te retinueris, fac ut singulis diebus singulorum facta requiras, nec emendare distuleris. omnis enim acerbus & uitium tempore confirmatum difficulter dissoluitur & euellitur. Quòd si improbum habeas adolescētem et infantes quæ exemplo uitiari nequeāt, adolescētem institue. est enim ac si solus sit quod ad exemplū attinet: tametsi nō tanto periculo, quantū si solus esset apud alios educetur. Bonos igitur apud te retine. tutiores enim ab omnib. incōmodis erunt. Et si eueniant calamitates prōptius illis occurres. Malos etiamsi soli, uel cum his quos exemplo uitiare non poßint. Præstat autem ibi uiuere ubi patri pro arbitrio hæreditatem diuidere licet, quod communi iure cautum est. Quid si plures mali sint? amandare teneriores licet, retinere eos qui maiore studio ac diligentia indigent. Et quos si amittas, grauiorē iacturam acerbior cōmitetur dolor. Ergo eo fit ut iracundi patres & filiorum amantes in maximas soli incidant miserias ob illos, nam duri etiam si pereant non afficiuntur, mansueti rarò ob curam in miseria positos uident filios: duri ergo & mansueti in educandis filijs sunt fortunatißimi.

Atq;

Atq; eadẽ ratio in cæteris reb. manifesta est, ut superius etiam de opibus diximus. Qui ergo amantes sunt filiorũ & iracũdi, ob iniuriã destituunt filios in aduersis: aut eos ob peruicaciam domo trudunt, ubi impulerint in exitiũ ob amorem deflent eos & lugent usq; ad interitum, & extremum periculũ sui. Mutantur filiorum calamitates patientia patrum, prudentia & amore. Inter reliqua liberum studium sed aßiduum, dum illos detinet à multis malis auertit, nec ad tabem deducit. Et maximè cum uarium est, ut legere, scribere, amicos domi quærere. Quidam sunt qui ducta uxore emendantur à uitijs, mutatione generis uitæ, hortatione affinium, amore coniugis, expectatione filiorum, relaxatione à curis, purgatione seminis, & humoris atri, ac caloris exhalatione. Iuuat aũt præoccupare uolentes, ne alij iungatur quam è re tua sit. Quòd si filius perueniat ducatq; uxorẽ sine cõsilio tuo, & maxime si nõ pro conditione, sed indotatam aut humilis generis, aut impudicam è domo amanda filium, reditus tenuiter subministra, spe iniecta ut si uterq; rectè se gesserit te post biennium recepturum. Ergo interim si affines nurus & filius rectè se gesserint, tuto recipere potes: & ideo melius est ut recipias, & eo maximè si filios susceperint. Sin autem bene solum se gesserint nurus et affines, nurum recipe, filium amanda in peregrinas regiones. Sed si filios non susceperint filium amanda, illam apud affines cum pensione relinque, aut apud

te retine. Si filius bene gesserit, illi autem se male? filium & illius filios ad te recipias, de uxore pro meritis statuas. Atq; eo magis si dum duxit deceptus est ab affinibus. Mitiorem te decet esse semper si filius unicus sit, tum ob necessitatem, tũ quia res caret exemplo. obseruandum est autem diligenter ut filium & filiam à parentibus & affinibus disiungas. Si filius se supplicem agat & deceptus sit, puellam domi recipere potes ea conditione, ut affines nunquam ipsam inuisant, filius illis non congrediatur, ipsa reclusa domi uili uestitu, in continuo opere textorio sit, sic parentes puellæ dabũt meritas pœnas, filius atq; puella frugi uitam agent, tu sumptum fermè omnem euitabis. In uniuersum maxima difficultas est in dignoscendis iuuenum ingenijs, post in corrigendis. Nõ paruæ autem infœlicitatis est parentum, quibus plures fuerint filij mali, aut si occupati sint etiam unus solus. Quòd si sponte miser factus sit, ueluti morbo aliquo uel cæcitate: id autem contingit magis progenitis à senibus, ut corpore sint morboso & imbecilli, uelut iuuenib. geniti, licet sint robustiores & incolumiores, minus tamen sunt prudentes & sapientes, non tamen adeò contumaces. fit autem contumacia à frigido & sicco, semen enim iuuenum feruidum est & membra omnia calidiora procreat, & humaniora & corpora maiora efficit, & magis apta laboribus atq; incolumiora: quæ si ad senectutem peruenerint, secundum naturam se habent.

Progeniti

Progeniti uerò à senibus ab ipsa pueritia temperato semine ex propria natura quæ calidissima est & humidissima, & ætate frigida ac sicca prudentiam præferũt. principalia enim membra temperata habent: cæterùm corpus imbecillius, tenuius & faciem rugosam si ex ualde senibus progeniti sint. facies autem habent magis pulchras ob id, quod non adeò pingues sint & melius delineatas si mater iuuenis sit; matris enim semen ad principalia membra constituenda ac temperanda parum facit, in cæteris multum: unde pueri ab initio longè magis & maiore ex parte facie & oculis matribus similiores euadunt. corpoream autem craßitiem & carnis habitum atq; colorem sanguis menstruus maternus. unde & in hoc & in moribus in iuuenta matri quam patri pleriq; similiores euadunt. Itaq; plurimum refert ex qua muliere filios tuos suscipias iuuene, sunt enim incolumiores & tanto minus prudentes sapiente, stulta, boni uel mali habitus. Et si passa est ab infantia conuulsionem, & si capitis morbis subijciatur atq; doloribus, protinus enim ut nati fuerint infantes, ex morbo illo adeò familiari illis matre puerorum appellato, si non intereunt siderantur, uel mens eis concutitur. Et si uino plurimo mulier utatur, nascuntur enim filij ab his incontinentes & stulti, nec tamen corpore robustiores aut meliores. Ob hoc & Plato suadebat ut mulieres prorsus à uino abstinerent: et Ro. quòd maius est etiam illud fœminis interdixerant.

Et mores obseruare oportet: nam pueri non solũ ob naturã, sed ob educationẽ plerunq; matrib. in eis aßimilantur. Et si mater simpliciore uictu utatur ac plurimũ laborib. se exerceat, robustiores & firmiores filios gignet: sedẽtariæ aũt imbecilles, inualidos et inertes. Tot igitur et tãta obseruare decet. Ex his aũt omnib. uitia corporis difficiliora sunt quam animi. Animi. n. fermè oẽs sanãtur, licet difficulter et maximis cũ laborib. & maiores æstus parentib. afferãt, corporis nõ ita. Sũt tamẽ animi etiã qui nõ sanãtur ut stulticia, quæ ægrè & uix unquã ex toto sanatur. quoniã morbus est in parte cuius medio sanari iuuenẽ oportet: in cæteris illud Aristot. dicemus admirabile, nec unquã obliuioni mandandũ: Multũ prodest educatio, imò plurimũ, imo ferè totũ. In pueris etiã corporis uitia & eo magis in infantibus, in iuuenibus animi difficiliora sunt atq; periculosiora. In curandis etiam animi uitijs ad clementiam declinare patrem, magis quam ad seueritatem oportet. non solum quia parentis hoc est officium, sed quoniam errores melius corrigi possunt, & adolescentes magis patres amant & facilius detegunt arcana sua ac uitia. Curantur ergo morbi sontici præsidijs magnis, de quibus in Arte medendi parua dictũ est. obuiam fatis ire decet generosum uirum: nec quicquam forsan fato fiet si fatum non reuerearis, gnauiterq́; repugnaueris? statue quod uelis non quòd fata decernunt, aut uates Astrologusúe prædicit. Fatum existimamus cum nostra

socor-

socordia, ignorantia, auaritiaq; peccauimus: nihil antequam sit apud eum qui pugnat acriter & prudens est, fato uenturum decernitur: postquam euenit fato excusamur, potius quam illud esse persuasum sit. Si genus fatum ostendit, tu euita quòd præsens est malum, quodq; non necessario uenturum est.

Si speciem ac tempus? exemplum ostende. Quod te admisit fatum uirum strenuum, sapientem, ægregiũ ad defensionem, non credas fato id esse decretum, nam non sineret fatum te obstare. Facit opinio fati fatum ipsum, cum te segnem reddit & spem tuendi aufert. Aliud est fatũ quod in libris de fato esse docuimus, quód que per se est, & apud Deum, cuius nullam scire mortalibus portionem licet: aliud dicere, quod fato futurũ sit quòd præscire te putes? hoc enim absurdum, nec peccata tua si deliqueris hoc commento aut errores palliare (sic dicere liceat) decet aut potes. Sunt fateor multa & difficillima & etiam necessaria quæ præuideri possunt, sed effugere tamen non licet: Sed hoc non fatũ est, sed apertam habent causam & naturalẽ, uelut morbi ex medicina cogniti, mores improbi & stulti experientia deprehensi, seu ex astrorum peritia. Sed tamẽ multum hæc inter se differunt: qui enim periturus est ex hoc morbo, ita ex hoc morbo periturus est ut non ex alio, & neceßitatem habet in specie: & cum mortuus fuerit dolorem, quòd errore tuo mortuus sit nullum affert, sed Dei uoluntate, nisi causam exter-

nam attuleris, mortuum esse scis. At qui male periturus est ob stulticiam aut improbitatem, temeritatē, incōsultasq; actiões, aliquādo existima sic periturū, & sciri fatū de hoc posse? tu tamē prohibere potes ne nūc eueniat. sufficit quòd quandocunq; futurū sit atq; euenerit, tunc fatum expletum sit. Et si nunquam eueniat admonitionem non fatum esse dicito. Cur est quod qui fatum non credunt, quiq; etiam astrologos & uates non consulunt, fortunatißimi sint? an nescire utile est? certe nō, sed non falli utile est. Falleris si credis fatū te scire: nam & in arcendis malis segnis factus, ex umbra rei fatum efficis: idq; tibi euenit quod his qui ob uanos timores & nocturnas laruas quas sibi fingunt pereunt: Et in bonis dum fato confisus expectas, non urges fatum, frustratum te experiris & quæreris? Quid est quod non certum est fatum in rebus fœlicib. ut aduersis? nisi quòd nullum sit fatum? culpa autem tua contingit quòd mala ex diffidentia tua succedunt, bona quæ non nisi iuuantibus nobis perfici possunt, ob inanem fati spem diffluunt. Si ergo auguria, miracula, astrorum decreta, atque huiusmodi omnia tanquam causas naturales habueris, non tanquam fati partes, oppugnauerisq; ac repugnaueris gnauiter, non solum fœlicior eris his qui ex fato sua negligunt, sed etiam his qui solum actionibus suis & prudentiæ confidunt. neq; enim dubiū est quòd si cui astrorum reditus multa aduersa & uiolentia minetur eo anno, quin diligentius prospicienti multo minora

pora mala euentura ſint, quam ei qui ſolum eodũ proſpicit, quo generali ratione etiam alijs in annis proſpicere ſolebat. Inter reliqua tamen diligenter animaduerte, cum filius ſæpius in infœlicitatem cadit, ſeu ſpõte ſeu errore, ut uideas an ueſtigium aliquod in corpore habeat omnino abſurdum atq; inſuetum, illudq; conare ut diligentiſsimè erudices.

Si ergo caſu miſer filius factus ſit, non tunc terendũ tempus in arguendo, nam interim forſan occaſio auxilij præteribit, aut ſaltem differetur: illi uerò importunè cum leuandus eſt à mœrore, mœrorem augebis, oderisq; ſecretè, ut poſt ſi euaſerit difficiliori utaris. ſtatim ergo more ægregiorum medicorum ad auxilia te conuerte pro ratione facti, nec terrearis magnitudine malorũ, nec unquam ob deſperationem deſere, nec inutilem ei incute, aut non neceſſarium metum. Tuus ſit ſolus dolor & timor ſi bonus es pater? Sed hortari ad patientiam filium decet. & ad pietatem utiliſsimum eſt. nam qui Deum colit ab omnibus his qui pro crimine habentur, & multis etiam alijs qui criminis nomen nõ merentur abſtinebit. Secura eſt ergo probi uita. Et ſi improbus fœlix uideatur nec plectatur. non tamen ſecurus eſſe poteſt: quare nec fœlix. melius eſt ergo bonũ eſſe & ſecurè uiuere, quam improbum & ſemper cũ ſuſpitione. Diſcite ergo patres filios ueſtros (quod & rectum eſt) uel ſolum utilitatis eorum cauſa in timore domini erudire.

Sic enim boni beatiq; erunt, & securè uitam ducere poterunt. At ubi quis Deum contempserit, primũ in omnia flagitia perrumpet: & quomodo patrem uereri poterit qui Deum non uereatur? Quòd etiãsi nec Deo pariturus, nec pietatem inducere sustineat, hoc lucrifaciet saltem, ut cautius uiuat nec obiter quicquam facturus sit. Dicebat olim pater meus me docens: reuerearis semper Deum, ille enim fons est omnium uirtutũ: quòd si eum deserueris nullum habebis uitæ tuæ Scipionem (utar enim uerbo eius) Sed in incerto perpetuò uagaberis. Omitto quòd si Deo non paruerit filius tuus, nullã æternæ uitæ spem habere potest. Quo igitur capro uel tauro melior est, aut fœlicior? Discite patres docere filios uestros uenerari Deum ac colere: id enim & diuina non solum lege & humanis uiribus continetur, sed etiam è præceptis naturæ ac philosophiæ ad decorémque pertinet. Ille enim optimus, sapientißimus potentißimus omniumq; uirtutum fons est & ueræ fœlicitatis autor. Ea ratione sic instituendus est filius, ut discat nihil agendum esse: quòd si detegatur capitale illa sit. hoc enim deterius est quam subire periculum supplicij manifestè. Quin enim supplicij periculum manifestè subit, & fuga seruatus est extra periculum, & infamẽ non se reddit, nec cogitur silentio pepetuo tegere quòd patrarit: & semel liberatus semper liber manet, & cũ periculo gloriam fortitudinis coniungit, & misericordia & laude dignus efficitur.

Et usui

Et uſui his eſſe ſolet apud quos effugerit, uelut ſtrenuus & fidus ac liber uir. Dico quod occidere hominem longè melius eſt palam, quam ueneno necare: nam qui ueneno occidunt, dum ſperant occultam fraudem futuram, ſæpe capiuntur & pereunt. Et ſi modo non eueniat, coguntur factum perpetuò tegere. eſtq; id quaſi quis cordi perpetuũ æſtũ atq; ignẽ adijciat. Inter loquendũ, in cõuiuio, in ira, in metu, per imprudentiã ſemper eſt in periculo, ne ſemetipſum prodat. Quanto magis ſi aliquem quicunq; ſit, culpæ ſocium habuerit. Si detegatur uilis, ſtultus, abiectus, infamis haberis: ſi non detegatur etiam ſuſpitiones ſolæ te diſcrutiũt, & & infamem reddunt, tametſi ſupplicium effugias. Itaque ſatius eſt mori ſemel totum, quã ſenſim millies. huiuſmodi ergo ſi etiã non detegatur magis afficiunt nos, quam quæ palam facta in manifeſtum uitæ periculum adducunt.

Sunt autem talia de quibus agimus, uel inuiſa uel omnino iniuſta: inuiſa quidẽ, ut dixi, uelut ſi quis inimicum ueneno occiderit, iniuſta ut ſi prodideris alumnum tuum, aut clientem, aut dominum, aut ualdè coniunctum, ſi depeculatus fueris principem? tum maximè, quòd huiuſmodi ſi aliquãdo princeps reſcire uelit, detegi neceſſe ſit. Flagitia enim quantumcũq; occulta magna ex parte à complicibus, maiore ab emulis deteguntur: omnia tandem tempus ipſum reuelat. Itaque duplicatum eſt hoc malum, ſcilicet cõſciũ eſſe capitalis

culpæ,

culpæ, & quam tegere cogaris. Et simul id etiam scire, quòd si fortuna contingat ut princeps detegi curet nō posse celari. Sunt uerò quædam in quibus omne mali genus repositum est, iniusta simul atq; inuisa: uelut in principem coniurasse, prodidisse Rempub. monetam adulterinam fabricasse, affinem ob hæreditatis spem sustulisse, hominem spoliandi causa occidisse. Dixi depeculatum & collusionem iniustam esse non inuisam, ad pecuniam solum pertinet. homines autem in his non adeò seueri sunt, ut hominem ob id oderint conscij propriæ culpæ. & quod talia & ipsi si securè liceat facturi essent. Et si non facturi essent: humanum tamen peccatum hoc esse putant.

Tantus est amor diuitiarum, pecuniæ & opum. Et in paruis negotijs animaduertunt se etiam hac culpa uix unquam carere. At quæ ad mortem & cædem pertinent, ut plurimum inuisa sunt etiam si nō iniusta, quoniam non uidetur mors cuiquam bono esse, sed ad iræ potius satietatem solum pertinere. Quædam uerò sunt ex his, quæ cum iusta sint ita occultè peragūtur, ut nec hominem discrucient celata, & si detegantur præter leuem infamiam mali nihil adducunt. Reuereri igitur Deum ac bene pensitare rem conuenit in huiusmodi, quoniam leges non puniunt nisi facta, hæc autem ad non facta pertinent: tam uerò obnoxia est hominum uita benefactis atq; eorum indiga, quam etiam sceleribus factisq; atrocibus. Conuenit & iuuenem in aßiduo

opere

opere detinere, atq; sic ut etiam uoluptatibus iussu tuo discat uti. sic enim & patrui illi apud Comœdos oblectant suos alumnos. triplici hoc usui esse solet: primum quod dum his incumbunt, deteriora relinquere coguntur, alterum quod discunt assuescuntq; omnia tuo arbitrio facere, tibi in omnibus parere. neq; uerò obedientia in filijs maius est bonum ullum, tametsi enim deterius sit filium esse stultum quam contumacem: Ex obediētia tamen stulticia tegitur. Videmus in phratrijs ubi neminem deprehendas stultum, ni admodum subtiliter inquiras propter exquisitam obedientiam. Quamobrem is filius quantumuis malus censeri potest, debetq; plusquam mediocriter bonus, qui in omnibus patri est obediens.

Quòd si nouercam ob filiorum paupertatem prioribus filijs inducere uolueris. nam coactum esse nunquam fatebor: id autem in pauperibus magis frequens est, etiam si plures habeant filios, ut mortua priore uxore nouercam inducant: tunc si licet extra domum, ne perpetuò in iurgijs, contentione, metu atq; suspitione uiuas, aut non uiuas, filias educare melius est: cum uerò magni fuerint & uxor mitis ac bona, conciliatis inter illos animis, etiam in domo poterunt habitare, præcipuè si perpetuò negocijs addicti parum maneant domi. Maximaq; diligentia procurandum, ut illi paruos ex secunda uxore natos foueant, & charos habere se ostendant. Vt sic mutuis deuincti officijs in summa

pace

pace atque concordia maneant ac uiuant.

Hactenus de filiorum curanda miseria, aut lenienda dictum est, nunc ad principale institutum reuertamur. id uerò est quonam pacto ex filiorum miseria licebit fructum aliquē utilem decerpere atq; colligere. Atque id in primis animaduertendum, ut eosdē discamus fructus colligere in filiorum aduersis per singula genera, quos etiā in proprijs nostris calamitatibus: dico autem carceris, exilij, morborum, deformitatis, paupertatis, contemptus, infamiæ, litium, inimicorum, atq; uberiorem quāto tu in calamitate filij minus es impeditus quā in propria. Tū uerò genus hoc cōmodi, licet incōmodum sit unū, in duo partiri cōuenit, quorum unum est commodum, quod ad ipsum filium peruenit, alterū quod ad teipsum. Itaq; in filiorum incōmodis aliquātò locupletior euades quam in proprijs: tametsi enim filius & pater una censeantur persona, facto tamen & rebus ipsis manifestè differunt. nam neq; illo capto tu captus es, nec illo ægrotante tu ægrotas, nec illo exulante exulas. Finge igitur ut uno exemplo utar (nam aliter res ipsa perplexa nimis esset, si sine exemplo tractaretur: uel penè infinita si per singula uellem transire incommoda exemplis rem declarando (filium tuum pœna capitali damnatum subduxisse se atque exulare rebus tuis saluis, quòd fermè semper euenit: nam filij delicta etiam aduersus Regem *solent patribus non obesse.*

Vt ma-

Vt manifestè uisum est in Hieronymi Olgiati parricidio cum Galeazium Sfortiam Mediolani principem & optimũ, ut uisum postea est calamitate succedentiũ, sine causa aut penè sine causa occidit: nec crimini fuit patri, quia nõ recepit adolescentẽ, nec curauit tradi lictorib. sed grauiter increpatũ repulit, nec matri ob sexũ et maternũ affectũ, quòd occultare illũ nixa sit. Hoc autem uerè est leges seruare, iustis affectibus multa condonare: ob exemplum tamen ambos in exilium miserunt ne coram oculis ciuium uersantes, animos seditiosorum ad aliud patrandum, contra filios defuncti principis facinus accenderent: quasi neglectu pœnæ facinorosorum, quæ aliter à populo, aliter à legibus ac sapientibus æstimari solet. Si ita ut tu quidem domi sis, filius tuus in exilio, iam uides hæc duo commoda statim, ex quibus etiam tertium quoddam oriri necesse est. Primum igitur, filium tuum instruere decet per literas. si secus facere non licet, ut commodis exilij utatur atq; ea decerpet. Verùm ut ad omnes ictus fortunæ paratus sit, prudentem ut dixi illum esse oportet: tum uerò etiam corpore agilem. Sed est prudentiæ pars nõ esse iracundum. Ita enim ut dixi furor est temporaneus, ut uerò prudens fiat, et ab ira temperet suo loco, dũ de stulticia sermonem habebimus, docebitur. Norit etiam super reliqua id præcipuè, quid sit magnum & paruum in rebus

Hoc enim præcepto fermè omnes humanæ actiones

actiones continentur, ſeu generaliter intelligatur, ſeu ad ſingulorum tractationem deducatur. Nam magna ſunt arte coniugem eligere, opinionem bonam ac exiſtimationem ſeruare, hominum uita, fortuna, lex generalis. ſeu religio, uitæ propriæ periculum aut filiorum: parua autem lucrum exiguum, amicus uulgaris, conuiuia & uoluptates, obſequi precibus clientum, in contentione uincere, plauſus uulgi, blandiciæ principum, leues ſuſpitiones, mediocria ſtudia literarum, facta amicorum, lucra aſsidua ſed exigua, aut rara non ualde magna, ſocietas prudentum, itinera longa, magiſtratus, morbi, lites, atq; eiuſmodi. Cum igitur filius prudens exulat, eorum commodorum particeps ſit quæ ſupra commemorauimus. Eliget patriam, ſocios, uxorē, ſi è re erit, atq; alia quæ diximus. Horum igitur omnium primorum bonorum tanquam tuorum lætaberis. Sed & tum primum tibi ipſi de illius prudentia gratulaberis. Interim uerò tu illum ille te ſalutabit, monebis, auxiliaberis, mutuumq́; exercebis commercium. Si ille ad te uenire prohibetur, quin tu ad illum uenias certè nihil uetat. cum ad illum is, quale deſiderium? cum appropinquas, quæ expectatio (cum oppereris, quantum gaudium? qui amplexus? Parua omnia mediocria, mediocria magna, magna maxima utriq; bona uidebuntur, eritq; congeminata uoluptas. Eo dulcior utraque quo rarior & uetita magis, atq; diutius prohibita. Etenim nitimur in uetitum ſemper, cupimusq́; negata.

Facit

Facit absentia omnia pulchriora, desiderium dulciora, expectatio suauiora. Nec solum præsentibus frueris, sed post discessum memoria præteriti, & spes reditus rursus magnæ uoluptati sunt. Ad illum fratres, familiares transmittas, illius contra filios recipis. Quid cõmemorem epistolas cum nuncijs de statu Reipub. nouisq; rebus? aut dona quæ mutuo transmittũtur? in quibus maior etiã est uoluptas misisse quam recepisse. Diximus singula, nec est ut repetam amplius, sed in filijs hoc congeminant. Sed iam ad aliud genus calamitatis propriæ parentibus transeamus. Id uerò in filijs est improbitas, quæ miseros parentes torquet.

DE FILIORVM improbitate.



Ptimum autem antidotum antea præparare oportet, quod non solùm ad ferendum æquo animo improbitatem filiorum utile erit, sed etiam ad curandum. Id erit ut cogites, omnia quæ admittit flagitia filius, omnia illius dedecora tua esse, ac perinde fore ac si tu illa admisisses, illa patrasses: te fecisse homines arbitrarentur. Hoc animo si ad curam accesseris, obtinebis pleraq;, & bonum te medicum appellare licebit in morbis filij, æquoq; animo omnia ferre disces, aliter frustra ages. Repete etiam cõ

moda & spes illius, ætatem, mortalium conditionem. errores adolescentiæ tuæ. nullum illum habere defensorem præter teipsum, sumptus iam atq; labores qui perierunt, ac curam uxoris tuæ illiusq; parentis. Et quæcũque superius retulimus: ut illum maximi æstimes ab initio, nec ab obitu frauderis. immensum enim existima esse donum & ingens patrimonium, habere filium iuuenem in quo fides, auxilium, decus, spes stirpis propagandæ, & augendæ rei, ac conseruandæ existimationis tuæ reposita sunt.

His si munitus consilijs accedes, aliquid sperare potes, aliter non. In omnibus etiam huiusmodi. quoniam maxima sunt periculo & dubia consilio, & difficilia tractatione, diuinum implora auxilium. licet in his atque huiusmodi, ubi tam de animæ filij salute quam corporis agitur id facere, nec tam quam expedit, imo necessarium est, nihil enim boni absq; Deo. Etenim si nimis remissus fueris in castigando, procedente luxuria ac sceleribus forsan dabit pœnas, quarum tu reus tanquam nimis indulgens pater dici poteris. sed hoc parum est, illud magis refert, quòd temetipsum huius mali autorem facies, unde nunquam beatus uiues. Sin autem acrior fueris exactor, in desperationem addacto adolescente impelles in exitium, uel fuga uel ira uel tristitia.

Propterea temperare oportet curationem, ac super omnia effugere ne quid incõsultè, aut iratus aut etiam

discedente

discedente & sedata ira facias aliquid eorum, quæ in ira decreueras. Hoc enim est in quo plurimi, qui sibi prudentes esse uelint, nũc tamen peccant. Morã ultioni, sed non auxilijs interponere semper oportet. Itaq; sunt quædam uitia coniuncta, quibus si opportune utaris, uno alterum emendabis. Velut si filius scortator sit atq; aleæ deditus, utrouis horum alterum sic corriges, sed tamen prius præstat scire in quo maius sit periculum & in quo magis peccet: naturam quoq; iuuenis moresq́;: quidam timore flectuntur, quidam amore mutantur, alij neutro, sed perseuerantia: quidam patrem odio habent, quidam amant sed non uenerantur; quidam peccant ipsa incontinentia, quidam scelere, sunt qui perstant in proposito, sunt qui non, alij moniti irritantur, alij placantur. tot adolescentes tot ingenia, uitia quoque diuersa, fures, siccarij, adulteri, scortatores, impij, lusores, proditores, ganeones, sycophantæ, impudici, turpes, inertes. Ergo ut proposueramus; lusores sint ac simul scortatores, uerum alea periculosior, quæ non fatigat & funditus hominem perdit, sed & in illis magis damnosa; quid agam? malum malo, ut dixi, repellamus: quam amat conueniat amicus paternus aut ipse pater; sed tutiorem prudens & fidus amicus, doceat scortillum aleæ filij, suadeátque ut eum ab hoc studio auertat, futurum ut ipsi se totus abdicat si ab hac consuetudine illum reuocauerit, proponat inde præmia & aliquid interim

det, ne solis uerbis agere uideatur, eãdem sæpe conueniat, ac quasi uxorem filij reuereatur & amare se simulet, seu amici, si res per amicum agatur. Decet, non solum licet pro uerbis uerba dare, sed nec ut dixi sola uerba dari uelim, uerum etiam munera, imò si per illã seruetur filius premium non leue. Sed fac ut scorti maior sit iactura, amicos & collusores suos conueniemus, rogabimus ut filium destineant, quanto se periculo exponat, ita uitium uitio depellere licet, ita scortum pro scorto, ludum pro ludo obijciemus, ut & periculum et iacturam minuamus, & pertinaciam ac perseuerantiam frangamus: estq; id primum auxilij genus, licet sit præceps. Secundum ut exemplo Catonis senioris, qui dum filiolus lauaretur etiam astabat, & patris Galeni qui & ipse quamuis diues esset, nec magistris deficeret, suum filium semper instituere non neglexit etiam per totam adolescentiã. Pater quoq; meus sed ipse pauper etiam id curauit perpetuò, & ipse summa diligentia filium instituendum curabis. Si diues nil melius ut habeas cui tuto relinquas opes, si pauper melius est sic horas collocare & quæstum negligere, quam ob exiguum quæstum filium propter quem quæstum facis. Moueant te exempla eorum quæ diximus tum aliorum, ut nemo à patre institutus diligenter non euaserit in bonam frugem.

Ratio etiam ut iam dixi id docet, ille piè, amanter eum docebit, sua uitia melius agnoscet: utpote propria

aut uxoris. Rarò enim filij uitia habent infixa penitus quorum sententia saltem non cõtraxerint, uel à parentibus aut saltem à maioribus. curabit illum diligenter, nec pigebit ipsum laboris, nec tædio afficietur: considerabit etiam quæ ex astris significantur, ut melius occurrere poßit, nam dici solet illud:

Et præuisa minus tela nocere solent

Sint omnia uitia patri cognita quamprimum, non expectetur incrementum,

Principijs obsta, sero medicina paratur
Cum mala per longas conualuere moras.

Habeat ergo exploratores socios iuuenis, ut pullulantes perturbationes agnoscat subito & extirpet. Duplex ergo labor agnoscere & euellere, magnus quidẽ sed prædulcis nihil dulce tædium affert. Quod si ex astris difficultas prætendatur aut uiolentus exitus, phratriæ adijciatur: uel suscepta iam prole si times defuturam posteritatem, uel etiam illa statim si non times: periculum sit ingens, ut proditionis læsæ maiestatis ac propinquorum.

Neq; enim est, ut isti putant, quod decreta astrorum effectus suos simpliciter producant, sed, ut dixi, in genere solum, & plerunq; & ad eos procliues reddunt, nõ omnino impellunt. Si minora sint pericula, artibus uilioribus ubi liceat atq; aßiduæ operæ adijcies: ut fabrili & cerdonum. Quartum præsidium à societate quærẽdum, qualem (dici solet) uitam ducere uis, tales habeto

 socios.

socios. Itaque & prudentes & laboriosos adijcere curabis ac etiam temperatos, nulli parcens pecuniarum iacturæ. Quòd si tam uetus, tam ingens sit malum in filio tuo, ut illos potius corrumpat quam emēdetur ab illis, plures adhibeto, & uelut in magnis morbis idem auxilium sæpius repete. Sic erysipelata sæpius admoto frigido plantaginis aut aizoi succo curamus: repetemus & absq; iniuria, socios commutabimus, ut tandem morbus ille animi grauis, ac quasi æstus retundatur.

Adiungimus etiam pædagogos re licet specie amicos, copulabimus ac deuinciemus eos cum illo imagine uirtutis: aut industriæ uel uoluptatis, uel etiam leuioris cuiusdam uitij. Fallere adolescentem facile est, uincere perdifficile. Quintum præsidium est coniugium: dictū est etiam de hoc, sicut etiam de mutatione domus aut regionis. Septimum auxilium ab Arte medica deducitur, uelut etiam abstinētia perpetua à uino, purgatione atræ & flauæ bilis aßidua: ab his enim duobus humoribus donec consederit morbus in anima, scelerum & flagitiorum amor prouenit. Purgantur autem Elleboro ex iure castrati. Vt à uino perpetuo abstineant, anguillam in uino per octo dies dimitte, cola, dabis totū, id est sextaria tria. Cōuenit perpetuus aquæ usus imo necessarius est omnibus qui cor aut cerebrum immodicè calidum habent, sed & si iecur tale sit, utilißimum etiam est omnibus quoq;, ut dixi, ad annum usq; uigesimum, cuiuscunq; sint temperamenti ob prudentiam.

tiam. Cæterùm & per uitæ omne tempus mulieribus quòd Ro. obseruabant teste Cicerone in 3 de Repub. & Polybio in sexto historiarum interdici uinum tam utile, ut nihil amplius: ipsæ enim pudicæ manent & quietæ, unde illa Romanorum ætas prima sine adulterijs tantáque concordia uxorum cum coniugibus, fœlicior uteri gestatio infantes, absque metu comitialis morbi incolumiores, maioribusq; corporibus animis prudentioribus. Vt Mahumetes summum commodum dimidio præcepti absoluerit. Cæterùm ad prudentiam in adolescente mirum incommodum faciunt prudentis uiri & autoritate præditi assidua consuetudo, librīq; ex eo genere cuiusmodi hi sunt: sed pro adultiorib. nam pueri & imperiti his non proficiunt, sed mollioribus indigent, ut Horatius docet:

Vt pictura poësis erit quæ si propius stes
Te capiet magis & quædam si longius abstes.

Quæsiui in hoc argumento quædam, nec quicquam iuueni: nam Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Plutarchi, Senecæ præcepta altiora sunt quā ut degustari possint ab adolescentibus. Poetarū fabulæ & Aesopi & Luciani plus habent sordiū quā sinceræ uirtutis. Itaq; hac in parte pauperem uideo omnem linguā, nec tam Latinā & Græcā quam etiam Italicam. Scribunt leuia grauiter & impurè sine iudicio. Vt meo iudicio puerilis animus si stylus paulo molliusculus esset, præceptis D. Ambrosij in libris de officijs imbuendus foret.

Sed sapit nescio quid nimis densum ex Theologia. In uniuersum simplicia, facilia, pura, nitida, pia, ornata & perfecta atq; absoluta esse debent, quæ pueris ad instituendos mores traduntur. Sine disputationibus, cõtrouersijs aut rationibus ullis facilius est omnia præter ultimum absoluere, quam ultimum hoc sine cæteris omnibus: quoniam, ut dixi, sine singulari Dialecticæ disciplina tradi non potest. Tertium quod ad prudentiam adolescentis facit præceptum est, est frequens incommodum ac diuturnum, metusq́; graues atq; iacturæ, ut suo periculo monitus discat, si simplex fuerit aut pareat, si contumax extiterit. Vsus pulueris smaragdi lapidis in cote attriti tum margaritarum: succi agrimoniæ quam putant esse eupatorium. Adeò ut etiam supposita capiti dormientis uel gestata conferre credatur. Sicut & topazius lapis & amethistus collo suspensus, dicunt etiã de Gagate, quod uix credo. Hæc etiam ad naturalẽ magiam pertinent: uelut & illud de imaginis quauis facta, dum Luna in ascendente Ioue uel Veneri iuncta in Tauro, uel Leone uel piscibus. Et fit in auro puro uel gemma. Ad idem pertinet & est efficacißimum, si quis sanguinis hominis decollati fructum serico inuolutum cum siccatus fuerit: antea uerò in uase ex hyacintho deferat, uel etiam nescius multum iuuat, si sciat lõgè plus. sunt & alia scripta in libro Secretorum. Nonum auxilium sumitur à supplicationibus, dum quis pura mẽte, resolutus ab omni iniuriæ acceptæ memoria, à pecunia

nia aliena, à calumnia, ipsemet cum puero aut puella uirgine in testimonium ad id uocata, quæ annum excesserit septimum, decimum non attigerit, aut uix mente immobili in Deum fixa cum puella uel puella uel puero dicente, orationē domini rogauerit, solutionem à scelere & securitatem à supplicio.

Sed si pater pro filio filius consequetur, ipse mulctabitur, forsan etiam uita. Difficile est hoc factu magis quam existimetur. Decimum petitur ab ingenti & diuturno morbo. Vnde etiam auxilia à futura cranei de quibus dicemus. Vndecimum à magno ac diuturno metu. Duodecimum ab inedia, è labore, carcere, triremibus, ac generaliter his quæ magnam corpori & animæ uim solent inferre. Et scias quod asperi filij ac iam in flagitijs confirmati, sub mollibus parentibus magis quam sub asperis reuocãtur ad frugem: contra molles & nondum imbuti scelere, sub asperis durisq; parẽtibus. Magna enim uitia & confirmata si quis euellere aggrediatur: aut hominē perdit, aut non sanat morbum, sed in alium commutat. Inuerecundiam nunquam sanari credidit Seneca hoc argumento, quòd hystriones omnes affectus, oculis, uultu, gestu effingere solẽt, præterquam uerecundiam, sic ut rubore uultus perfundatur. Nunquam uerò filios improbos, aut insanos solos relinques. Ne ut in uacuam aream feræ & animalia ingredi solent, sic in animam hominis solitarij & nihil cogitantis consilia praua.

Sic autem aggredieris filium: fili dulcißime, postquam furtuna nobis non tantas largita est opes ut uiuere poßimus, cogimur aut furari atq; latrocinari, aut mendicare aut laborare: primum periculosum est, nec diu perseuerare in eo licet: Secundum turpe, nec etiam satisfacit commodis uitæ, quare cum tertium amplexari necesse sit, rogo ut pro eo amore quo te genui, educaui ac prosequor, qui maior est quam meijpsius, ut uelis ita agere ut hanc miseram senectutem hoc breue tempus, quòd mihi uitæ iam superest iucundè ac suauiter ducere per te liceat. Id si egeris tibi gratias habebo, Deóque satisfacies, à quo omne præsidium est expectandum. Licet etiam segnes quandoque simulata ira excitare. In magnis flagitijs irasci non inutile est, ut in miseria quam subsequi necesse est, nec amor misericordia adeò te torqueat. Porrò uitia adolescentum innumerabilia esse poßunt, quæ tum magis nocēt, sunt alea, ebrietas, scortatio, mala societas, furtum, iniuria ad quam pleriq; plus iusto proni sunt, & inertia omnium malorum parens.

Commoda uerò ex his filiorum uitijs pauca sunt ea ratiōe quam de nobis ipsis superius attulimus. Nihil minus si quid in hoc utile excogitari potest, id totum ad tria capita reducitur. primum, ut in omnes simus moderatiores, & præcipuè ancillas familiares, aliosq; domesticos. sicut Socrates de uxore sua Xantippe prædicabat.

Secundum,

Secundum ut discamus ea uitia uirtutes uertere, uelut iracundiam in fortitudinem, inertiam in tranquillitatem, dolos in cautionem, scortationem in multitudinem filiorum, ludum aleæ in comitatem & multitudinem amicorum. Tertium est, ut minore cum solicitudine pro filiorum periculis uiuas, & illorum calamitatibus minime affligaris, si eueniant.

Etenim quid adeò auxit dolorem necis filij mei tam immensum, nisi singulares uirtutes? probitas, mansuedo, liberalitas, benignitas, pudor, fides, pietas, quodque laboriosißimus esset atque patientißimus, ut in horum nullo mortalium cuiquam cederet? quódque in dies in melius proficeret? Vtrum uerò melius sit iniustè perire an iustè? Mihi sanè uidetur quod ad illum qui perit attinet minore dolore affici si iustè pereat, quam si iniustè. nam iniuriam patitur, iniuria autem dolorem parit. At quod ad honorem & posteros, quòd iniustè, minore enim infamia imo nulla afficiuntur quando sic pereunt, imo potius qui damnarunt infamia digni sunt. Neque uerò quam primum moribus mutatis adolescentis credas: siquidem dici poßit:

Naturam furca expellas licet inde recurret.

Sed oportet perseuerare in corrigendo illum, atq; in confirmando saltem. In uniuersum filiorũ & diuitiarum res contrario modo se habent, nam filijs carere non malum est, diuitijs carere malum: filios habere bonum,

bonum, diuitias habere non bonum. Diuitijs omnia habere possumus, sed si improbos habeamus filios: omnia uero alia habeamus, sumus absolutè miseri. Ita diuitiæ & filij quasi circa contraria uersantur, contrarióque modo homines afficiunt. Vitia autem quæ in adolescente uix emendantur sunt, perfidia, crudelitas, furtum, ebrietas, mendacium, stulticia, contumacia, fuga, impatientia. Quædam emendantur maxima ex parte, ut ira, impudicitia, alea, scortatio, iniuria, mala societas.

Tria uerò ex prioribus pessima sunt: scilicet contumacia, mendacium & fuga: quoniam contumacia ipsi emendatione è regione opposita est, atq; contraria mutationi: mēdacium aūt causæ correctionis, fuga utrisq;. Ob id ergo unumquodq; horum uiam emēdationi præcludit, & uix tolli potest, auget semet, & ex sibijpsis incrementum suscipiunt. Stulticia etiam inter pessimas animi perturbationes reponitur, atq; fatuitas maximè: uerum quia aliqua morbi rationem subit, atq; ideo medicina sanari potest, non illis tribus adnumeratur, quæ tamen naturalis est, & maximè fatuitas omnibus deterior est. Ergo ut de contumacia agam, plura habet capita, deterius est si quicquam admittant quod corrigi non queat: Vt si uxorem inuito patre ducat, aut inscio, quemadmodum filius meus egit. Nolo nunc legem improbare, quam diuinam esse aiunt, sed quid agendū sit docere. Ego cum primum hoc ille perfecisset, tum extra domum statim amandaui, domus necessaria, instrumenta

menta & libros dedi, reditus omnes illi fermè cõsignaui, lucella ad illum transmisi, duplici compendio ut lucraretur, ut innotesceret in ciuitate, ut ego liberius literis ac studijs uacarem, ut autoritati meæ simul ac pietati consulerem: neq; enim poteram qualem oportebat diligentiam pauperibus exhiberem. Persuasi præterea affinibus illius ut ei consulerent, ut uellet quã sanctissimè uiuere, urgerentq; acriter illum: ut postquam simplicitate ductus uxorem duxisset sine consilio, uirumq; se exhibuisset in uxore ducenda, exhiberet etiam in uita ducenda, & in tractatione. Addidi premium ingens utriq;, siquidem pollicitus sum me & ipsum & coniugem si hæc perfecisset recepturum. Conuersus etiam ad curam alterius filij: tanquam priore magna ex parte priuatus, ita illi caui, ut si perijsset bona ad fratrem nõ deuoluerentur, ne spe successionis agnati maioris, quos ego satis quales essent noueram: atq; exitus ostendit me non deceptum esse in eo iudicio, filio minori insidiarentur. Eum uerò erudire cœpi, quo etiam in officio nunc perseuero, priorem admonere non desinebam, ut frugi uirum se exhiberet, meminisset quantum uno uerbo opum prodegisset, simulq; iacturam fecisse & existimationis & potentiæ, quam ex nobiliore affinitate fuisset adepturus: præproperam fuisse nimis, atq; ut ita dicã, inconsultam uxoris ducendæ deliberationem. Adijciebam autem ne uerbis meis irritaretur, ex illius morte nullum commodum expectandum, quod uel ad delen-

dam

dam infamiam, uel ad affinitatis nobilioris ac potentiæ recuperationem, uel ad opum restitutionem pertineret: nam omnia illa esse primi coniugij priuilegia, uel etiam succedentium quoties ille in primo coniugio non deliquisset, modo uniuersam spem in suscipienda sobole, & in uirtute atque eruditione, quæ propria sunt stirpis nostræ arma esse collocandam. Deueniebam inde ad singula, cogeret uxorem honesto habitu incedere, non esse illum conditioni ac existimationi suæ, pudicitiæque uxoris ipsius congruentem.

Facere ut homines dicerent, si non diuitē, saltem honestam adolescentulam duxit, contineret in imperio suo, ablegaret è domo sororios, non sufficere reditus lucrum ad alendum cum uxore familiam, nedum ut uellet quæ non posset, alienos scilicet nutrire, opus esse uestibus, famulis, ancillis, domum cōducere oportere. Poterant hæc illum reuocare ad bonam frugem, æquaréque fermè bona iacturæ indotatæ uxoris atq; temerarij coniugij, ni fata affiniúmque summa inopia obstitissent. neque enim illis sufficere uidebatur filiam collocasse sine ulla penitus dote (uel etiam unico obolo) sed etiam secum rationem inierant me cogi oportere ut filio omnibus obsecundarem: illum uerò tum propria simplicitate, tum nouæ nuptæ delitijs uictum, alere oportere totam familiam suam.

Quòd consilium tam erat absurdum quam ini-

quum

quum, neque enim ei decoctori cum tota sua familia totum quicquid habebam cum lucro sex mensibus suffecisset. Præter reliqua enim decoxerat, ut audio fermè quadragintu sestertia: Et erant ei in aëre alieno centum, ut aiunt. Quamobrem nullum consilium, nulla diligentia, aduersus improbitatem ac stulticiam simul coniunctas sufficere potest.

Nullus homo prudentia, maximè in alieno facto, & ea in ciuitate ubi leges fluxæ sunt, resistere potest infortunio & sæuienti filiæ temporis. Mortalium nemo prouidentia fatis obstare potest. Aberraui ego in hoc uno quod antea cum uellet uxorem diuitem ducere, quæ tum stulta erat ac sterilis restiti aliquantisper, cum etiam non esset satis probatæ pudicitiæ. Sed quis diuinasset in hanc cassem tam celeriter incisurum? cum in tota prouincia ne una quidem esset alia tam infælix occasio cum tot calamitosis appendicibus. Itaque si quis acrius ac contumacius instare, & ab euentu consilium æstimare uelit, fatebor in tanta filij impatientia: & si noueram, numerum tamen in digitis non tenebam me leuiter peccasse.

Si à ratione æstimatio deducatur, atq; humuna prudentia casibusq; communibus, nemo me iure accusare poterit. Nam inter cætera caueram testamẽto, ne filiorum ullus ante 40 an. quicquam distrahere posset, ne scilicet furore naturali, alter eorũ exigua hæc bona

tot

tot laboribus parta uno momento atq; horula fisco adijceret. Illud etiam in compensatione iacturæ reponebam, quod si uxorem cum dote locupleti aacepisset Io. Baptista, in periculo uersabar, ne si ante illã perijsset: erat autem hoc uerisimile quod singulis annis lethalibus morbis corripiebatur, cogerer de more dotem sub æstimatiõe reddere, quæ cũ sit nũc maxima: seu domus sint, seu fundi aut molæ, eo in discrimine uersabar, ne cum filio omnis mea substantia periret, namq; tempore breui necesse est omnia decidere. Quod & si nõ successisset interim maiore solicitudine torquebar, ne scilicet casu aliquo aut fraude circumuentus, dotem maximo meo mœrore totam amitteret. Itaq; quod alius inter maximas infelicitatis causas numerasset, ego, modo reliqua non obstitissent inter commoda esse duxissem. Sed ad continuandam historiam iam redeo.

DE FILIORVM contumacia.



I quis illorum mutationem atq; emendationem expectet, difficilẽ sanè rem quærit, cum è regione pugnent emendari ac corrigi, esseq; contumacem: nihilominus in tam fluxa ætate nihil desperare debemus. sunt autem huius artificij tres modi, quandoq; enim ex aduerso & & nos contumaciter repugnamus,

repugnamus, quandoq; laxamus habenas: Sunt qui modo retinent, modo laxant: uelut in concitatis equis. Sed cum hic modus duplex sit: uel ut ex usu quodā laxemus aut retineamus habenas, quod ut cuiq; promptum est, ita tam malè cedit frequenter: uel ut cum oportet, quod optimum certe est & præstantißimum, nam perpetuò laxare perpetuoq; remitti, præsertim cōcitatis iuuenū animis periculosum semper est, plerunq; etiam inutile: ita moderari rectè utile plerunq; atq; accomodatum. Sed hoc opus, hic labor est, contumaciam frangunt preces, minæ, aduersa, pericula, autoritas potentū, amor, dolor, diuturnitas ac tædium moræ aut miseriæ: ratio in his qui inter philosophiæ præcepta sunt eruditi. Vnguento, morbo conuenienti opus est, neq; enim omnia omnibus sunt contumacia, neq; omnia ab omnibus curantur. Sapientis est genus inuenire, proprium quoque auxilium admonere. necesse est autem uel iuuenem esse boni ingenij, uel lege bene constitutas, uel iudices probos. Sed si hæc necessaria sunt: primum autem ac ultimum in arbitrio fortunæ collocatum est, cur secundū quod in hominibus est non rectè saltem constituimus? siquidem leges. Cur Romanorum more omnia sunt in patris potestate? Ille in uincula conijciebat, ille necabat filios. Cur uxores adeò apud illos pudicæ? inter reliqua quod maxima esset potestas patris in filios? illis ergò metuere cogebantur. Apud nos libertas amplificata adolescentum, laxatæ habenæ improbis: imò etiam opti

mo more adiecta uincula non delinquentibus, sed patribus ipsis in quos filij deliquerint. Quot refugia? Quot diuerticula? Quot latronum collegia, atq; speluncæ? omnia in perniciem adolescentum, in ruinam miserorum parentum, in euersionem Reipublicæ, in uirtutis exitium, in eruditionis impedimentum excogitata? Fac ut adolescens castigetur in primo lapsu, in posterum non excidet: melius est uerberari quam uinciri, quam digito mulctari, & digito quam manu, & manu quam capite. Si pater insaniat? uincite illum: si sanus est at que eousque filium eduxit? cur etiam in posterum timetis ne illi bene consulat? Cur licet nubere inuito patre uel inscio? dicitis diuini est iuris? diuinum ius intactum relinquite? si ille habet quo industria sua alere posit uxorem, ancillas, nepotes, rectè se habet: sed si non, nō prohibeo etiam, sed intelligat filius non fruiturum hæreditate si pater nolit.

Dicitis nec hoc licet, nam inter causas exhæredandi non numeratur clandestinum & contumax matrimonium, rectè quidem, nolo ut hac causa exhæredetur filius, nolo ut detrahatur quicquam ex portione ob hanc causam, sed sinite legem in suo statu, pater teneatur filio legitimam partem relinquere, de reliquo agat ut libet? At non ob hoc filius abstinebit ab instituto? est stultus, est simplicis ingenij. Sit ita? sed abstinebunt parentes puellæ cum intelligant cum uiro rem habere, scilicet patre mariti, nepotes

suos

suos non potituros bonis aui paterni, imò nec filiam suam nec generum. Si ergo stulti ac simplices non ob id destituturi sint à proposito, qui non destiterint, planum est esse stultos ac simplices.

Si simplices hi sunt aut stulti, cur ergo si deliquerint capitali pœna punitis? Cur legem nobilitati fauentem uestris constitutionibus euertitis? sceleribus locus est, erroribus non est scelus? Sic difficillimum est adolescentes instituere corrigeréque. Quid difficillimum? omnino impoßibile: nam qui boni nascuntur ut corrigantur non est necesse. Sed ad alias gentes me conuerto.

Quid enim illis mea (si qua est) sapientia opus est? ipsis satis est scribere qui non ea quæ dico contemnunt. Ergo contumaciam adolescentis frangere si extrema sit? extremis auxilijs etiam opus est. Mutatur natura. Et quæcunque dicta sunt de improbitate, de contumacia, de stultis filijs ac fugitiuis, dictum puta quòd ad auxilia pertinet. Memineris etiam quòd sæpius dixi, beneficia per te ipsum, supplicia & mala omnia per alienos & magistratus, ita ut tu illum defendere uidearis irroganda. Fames etiam peculiare est auxilium & medicina contumaciæ. Et qui famem uincunt, nisi diuina clementia porrigat manus, non curantur.


Si tamen filius non fugiat nec improbus sit, adoleuerit q; in uitio forsan spõte sanabitur, ac seipsum emendabit aut ducta uxore. Oportet autem, ut dixi, antequam confirmatur aßiduè contrahere atq; laxare habenas: sic etiam claui immobiles è tabulis tandem extrahuntur. Iuuat & simulare uelle quæ uelit, ut uel pareat nolens, aut dum non uult faciat quæ uelis tu uerè aut quæ sibi conducunt.

Commoda uerò ex tam insano affectu sunt, ut rectè discas cum dominis ac potentioribus agere: nam filius contumax est pro domino tibi etiam malo, atq; eo deterior, quod non licet se ab hac seruitute liberare. Iam dixi de Xantippe ipsa, quod exemplum magis quam ad improbitatem huc referre conuenit. Siquidem cum esset pudica, contumax magis quam improba dici meruit. superiore loco tamen adduximus, ne ulla pars libri huius uel minimo admonitionis auxilio fraudaretur. Est & illud quod minore solicitudine uiues, ne in aduersa incidat. Et si inciderit modo non pereat, pro lucro pones infortunium: malum enim malo protrudere uolupe est atq; utile. Et triremes maximè domant contumaces, ob id quod quatuor in se complectitur maxima mala triremis, inediam, laborem, uerbera & pericula quibus pro solatio adduntur locorum mutatio: Sed & incommoda frigoris, æstus, pluuiarum hominem affligunt. Durum autem exemplum ob id, quòd patri cum uelit liberare non licet ab hoc infortunio, quodq; mors

sæpe

sæpe præuenit liberationem: quòd si eueniat pij patris uiscera concuti necesse est. Deniq; quod elui non facile potest infamiæ nomen. Serui enim pœnæ infames sunt. Sed iam historiam prosequamur. Est inter commoda contumacia filiorum, ut æquo animo illorum absentiā aut etiam fugam feras. Quinetiam ipsa fuga cum & cōtumaciam expleuerint, & incōmoda contumaciæ passi fuerint, regionesq; mutauerint, moresq; gentium uiderint, ubi redeunt magna ex parte morbo ipso quo laborabant sanatos deprehendes.

DE FILIIS FVGITIVIS.



Vgitiui ergo filij & qui sine causa discedunt, magnam animi molestiam patri afferre solent: nam non quæ futura sunt aut uentura timemus, sed omnia quæ euenire possunt mala (sunt autem infinita) calamitatesq; omnes ac infortunia superuentura illis imaginamur. Aufert etiam hic furor præter reliquos omne præsidiū, omnem curationis spem, quandoquidem absenti non licet auxiliari. Et si in uinculis retinueris irritatur, & ubi relaxaueris, denuò longius nec amplius rediturus diffugiet. Turcæ nō malè in hoc cathenis perpetuis deuinciunt, ut longo usu domiti, & diuturnæ inertiæ assueti, nesciant pedē è domo efferre.

Frangitur hoc uitium sublatis ducibus, quanquã sæuum sit. agunt autẽ id argento ex igne cadenti pupillæ admoto, propè ut luce ac calore uim illã debilitet. præstat etiam aliquid relinquere, ut quasi in dubia luce sit, nec hoc pater, ut dixi faciat, sed prætoris ministros fieri permittat, oculos non sinat effodi. Et hoc si unicus filius sit, illiq; timeat. continuò enim tanquã recõciliato uxorem copulabis, ut melior soboles reparetur. Sed si de sobole non fueris solicitus, aut alium iam grandem natu habeas, aut filias, uel nepotes, hoc præsidio non opus erit, nisi flagitiosus sit. Tunc enim Christi præceptum ad unguem conuenit, si oculus tuus te ad scelus adegerit, erue illum. melius enim est sine oculo ingredi regnum cœleste, quam integrum detrudi ad inferos. Itaque melius erit filium uisu cum exiguo habere apud te quam ut decolletur & torqueatur, & excarnificetur totis cum oculis, atq; incolumibus in externis regionib. Puerum autem in uinculis si non corrigatur adeò duris habere oportet, ut crure altero debilitatus non queat domo abire. Sed, ut dixi, si aliqua certa ratiõe abierint, scilicet uel cum cõiunctißimo, uel domino bono, uel ob iram, indulgendũ est: semper autem aut omnino negligendum aut prohibendum, nõ ulciscendũ, nisi cũ adeò praui sint, ut uerborum timore coerceri poßint. Danda etiam est quandoq; ansa ut minus peccent, supposito aliquo ex consanguineis qui illum excipiat quasi inuito patre. Considerabis etiam illius ingenium, agilitatem,

probitatem,

probitatem, fortitudinem: nam si in omnibus his præstiterit, fuga quandoq; magna bona affert. Sed si improbus sit aut stultus aut iners, ne spera boni quicquam, sed quouis modo coerce: maximè si fur sit aut sanguinolentus. Ex remedijs Physicis Luna cum Ioue iuncta in Tauro, in ascendente sculpes in carbunculo aut iaspide Orientali imaginem illius quem aut quam magis diligit, et aureo annulo secum gestet, ut illius memoria retineatur.

Nutries etiam illum quadraginta diebus sic, ut non rescifcat carne luporum & maxime corde. Commoda autem ex fugitiuo filio sunt exigua, quandoquidem perpetua illius absentia te torquet. curabis tamen ut scias ubinam sit, sed sic ut ille hoc quod tu scias nesciat: interim uerò ex re tanto minus perit. Quòd si domum alibi firmauerit, curaueritque ut resciscas, minus malum est, & tanquam in exilio sint commoda consequeris.

Sin autem non curauerit, dicas cum uxore uel altero filio uel alumno uel nuru illius uxore, si hic meus filius aliquem nostrum amasset, non adeò clam à nobis se sustulißet? Si ergo se subduxit, certum est nostrum neminem amasse aut obseruasse. Qui eo ergo animo erga nos omnes est, indignus & ipse est prorsus ut ametur à nobis.

Quare neq; ut illi timeamus, aut ut soliciti pro eo

ſimus aut ipſius diſceſſum ægrè feramus. Porrò tales ſtultos eſſe planum eſt. Melius eſt ergo ut de ſtulticia generaliter agamus.

DE FILIORVM ſtulticia.



STulticiæ multa cum ſint genera, inter quæ etiam admirabile dæmoniorum cum certo in genere uerſantur, & maximè ſi de diuinis rebus diſputent, ſacraq; ac religionis cæremonias odio perſequantur aut fugiant: atq; tum maximè cum aliqua ſupra conditionem patientis loquuntur aut agunt: quo in genere multa queſtus cauſa ſubliniri ſolent, & fucis obduci: tum uerò alia multa iræ, timoris, triſtitiæ, læticiæ, ſpei, generaliter de omnibus præterquam dæmoniacis dicendum eſt: quorum maxima etiam utilitas ſi quæ prædicantur miracula & inuſitata ſapientia uera eſſe comperirentur, quæ ego ad hanc uſq; diem deprehendere non potui. nam quid certius eſſet argumentum immortalis animi noſtri, ſuppliciorumq; ac premiorum à ſuprema die? Ego nec tanti regni poſſeßionem ducerem, ſi uera eſſe comperire poſſem: ſecus autẽ curantur ut reliquæ inſaniæ ſpecies, atq; ſub generali conſideratione comprehendemus. Difficilimum eſt id ergo genus quod fatuitatem appellamus, ac prorſus ſi iam

iam homo iuuentam attigerit comitialis morbi exemplo insanabili. Si quid tamen cōfert est theriaca & melissa, et gariophyli & cerebrum, ac cor lupi & uulpis: Caro etiam eorum. Et exercitium aßiduum, ut pilæ lusus. Et ferre Achatem Creticum quem ferunt esse nigrū cum croceis maculis, seu chelidonium qui in hirundinum paruarum uentriculo inuenitur: Et puluere uti lapidis granati, estq; species carbunculi, ipsumq; collo appensum gestare ac in ore tenere, quæ omnia nos in topazio lapide experti sæpe sumus, eodem modo adhibito. Hi enim duo lapides omni stulticiæ generi auxiliantur. Quod Hippocrates testatur: hauddubium est autem scilicet hæmorroidarum defluxio: Et sanguinis copiosus exitus, siue ex eis, siue ex uena communi & maxime sinistra lienis aut frontis ualde utilis est. Et de hoc nemo dubitare debet. Vnde illa nata historia est. Referunt quidam puerū nutrici datum, ut aleret eum. Cum uerò nutrix lacte deficeret, subiecit puellulum scrofæ. Hic ergo ubi adoleuisset, uolutabatur in cœno: sed & hoc antea cum faceret existimabatur ætatis uitium. Interrogati multi causam cum non inuenirent, medicus tandem prudentißimus diuinauit illum à scrofa educatum: tandem conuicta testibus nutrix falsa est dolum. Quæsitus iterum medicus an seruari posset? respondit, si eum morti exponere uolueritis. consenserunt parentes, exegit de hoc publicam fidem coram prætore, eductoq; quantum existimauit, ut uia superesse posset, san-

guine, iure columborum ex aqua & albo uino confectis restituit uires, ac tandem uitæ periculo exemptum etiam è morbo liberum reddidit parentibus. Albertus cognomento Magnus refert osse cranei perforato liberari à stulticia, remedium sanè potens sed non metu uacat. Constat uulneratum patrem meum in capite olim, cum nondum essem natus: ossibus exemptis, longè prudentiorem in posterum euasisse. Cogitaui de medicamento escharotico in sutura coronali toties adhibendo, donec pericranium absumeretur. nam & si loco eius caro callosa obducatur, non tamen adeò continere potest uapores ut mẽbrana. Ex auxilijs potẽtissimis nil melius est usu hellebori nigri. ut etiã Horat.

Expulit Helleboro morbum: Et rursus,

Danda est Hellebori multo pars maxima.

Probatur ex Anticyra insula unde illud eiusdem:

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem?

Sunt & capitis lotiones ex his quæ humectant tam somnus lõgus. Et Auellanæ cum Saccharo credũtur restaurare cerebri substantiam. Et thus & gingiber ingenio conferunt: Et Asor medicamentum. Vbi omnẽ depuleris morbũ, nihil melius est quam inter amicos prudentes uersari, & illorum consilijs acquiescere atq; uti: rationemq; exigendo singulorum assuescat rectis actionibus rationem dare. Solos, ut dixi, relinquere minimè expedit, non solum ut admonitionibus nõ destituãtur sed ne repente concitari seipsos aut alios perdant.

Diffici-

Difficillimam curam esse horũ in adagio uulgari est: Christumq́; neminem ex his sanasse referunt sed falso: cum etiam arte pleriq; sanentur, ut fermè omnes tandẽ, sed aliqui serius. Imo Auicẽna dicit, facilem esse in principio curationẽ. Et flagella et inedia, et immergere corpus in aqua usq; mentũ, & sinciput igne usq; ad os urere, & odores somnũ grauẽ inducentes plurimũ conferunt, ac quandoq́; etiã sanant. Et bibere acetum albũ. Et si ob curas insanierit, nihil potentius quã falsus nuncius calamitatis maioris, alterius maximè generis: nam ubi resciuerit falsum fuisse rumorẽ, prioris doloris memoria minuetur: aut restitutio prioris damni, aut persuasio spei uindictæ si restitui quòd amissum est nequeat. Philosophiæ quoq; præcepta & maximè diuinæ in sapientibus plurimum possunt. Velut si quis quod naturaliter ostẽdimus, credat in alijs orbibus animas corporibus liquidioribus iunctas, tanquam è somno resurgere, nec omnino oblitas nec prorsus memores eorũ quæ in hoc mundo expertæ fuerint. Eam uero esse conditionem ut discrucientur à malis, beentur ex pietate. Contra ut redeunt in hunc mundum, quia infantiũ corporibus immerguntur prorsus omnium obliuisci. Philosophiæ autem expertibus quæ à legibus præcipiuntur, ita fixa fide atq; expectatione firma leuantur à doloribus. Et artes quædam fatuos reddunt prudentes & astutos ut patrocinium litium, mercatura minuta, medicina. Et quædam ut ἄσυ oppidum in Græcia

prope

prope Athenas: Et in Italia Ceretum Spoletum Camarinum, & mons falconum. Etsi mortis filij plurima ut dicam solatia inuenire licet, licebat & stulti. mortuus resurgere non potest & resipiscere. Cur ergo non feres æquo animo stultitiam illius, cuius poteris etiam perferre mortem? commoda erunt eadem non metuere illi, imò aliquid plus sperare etiam, liberius uiuere, cōmiseratio amicorum, blanditiæ adulatorum & coruorum atq; luporum. A mortuo nunquam nepotes expectabis, à stulto suscipere frequens est exemplum. Scio quædam ex stulto filio quatuor habuisse nepotes, inter quos quidam etiam inter primos ciuitatis habentur. Numera quot commoda ex luctu decerpere licet, & omnia huc traducito, tum alia. Non audias eos qui dicunt, mortuum non afferre boni quicquam, sed nec mali: stultum nihil boni, plura mala. Vnde ista mala? ista dicat qui pluris facit pecunias quam filios. Deinde si beatus est filius stultus. cur ergo in filio stulto pater erit miser? atq; beatum esse stultum omnes clamitant: & Erasmus in sua Maria id affirmat. Superius uisum est quam parum differant felicem esse uerè, ac talem ob stultitiā se existimare.

Humana uita somnium, illius cursus umbra, felicitas fumus quidam. Vera ergo felicitas fumus umbræ somnij, uel somnium umbræ fumi per somnum uisa. Quid ergo maius habet Rex quam stultus? existimatione omnia constant, omnia leuia, caduca, incerta, ancipitis naturæ,

turæ, exilia, breuia. Quid his minus potest? Nihil est grande in toto mortalium genere, nihil solidum, sed existimatione, modò magna modo parua uidentur. assimilantur amasijs quibus antequam potiamur nihil maius esse credimus, postquam potiti sumus esse credimus, postquam potiti sumus, rem exiguam esse putamus. imò quam antea nemini concessam postquam possederimus, ne non sit uulgata & omnibus communis dubitamus. Deniq; de quib. altercatio, quæ eligimus, pro quibus properamus, est ne aliquid æternum uel saltem diuturnum, aut securum, uel ut minimum dicam stabile? sed omnia leuia, atq; ut aqua in procliui loco, fluxilia. Caducas etiam mortalium res omnes te docet si ad præterita respicis. Vide urbes dirutas, tot regna, Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, quorum ne uestigium quidem ac uix nomen superest. Quære familias minores, principes, stirpes clarissimorum uirorum: ubi reliquiæ? Inde uerte faciem ad montes, flumina, plantas: omnia cadunt, sed quædam serius uita humana. Vbi gloria tot illustrium uirorum? ubi facta strenua & admiratione digna? nónne omnia eadē umbra uetustatis operit? & quam breui si ad numerū annorum? si ad reuolutionem primi astri referantur? Si ad uitam humanam, si culicis? forsan tardè & serò dici poterunt. An ergo putat nunc atq; in posterum nouas conditas leges? & quæ caduca sunt facta esse firma atq; constantia? insanis magis longè quam filius tuus, si hæc tibi

tibi in mentem uenire poſſunt? Si quid tamen horũ uel certum eſſe poſſet, adhuc minus moleſtè ferre poſſemus noſtrã conditionẽ: at nihil eſt tam diuturnũ, nihil tam poteſt eſſe ſecurum, quod momento abrumpi nõ queat, ac etiam ſoleat. Cum uita (omitto nunc argumẽta ſubtilia) omnia cõcidunt. Vita nulla tam incolumis, quæ uel ſponte uel caſu uel inſidijs: (tribus enim his modis omnes periclitamur) horula nõ abſumatur & decidat. At ſucceßio ſecura? ſtultus es, magnifica promißa omnia, uultus alacres, fides incorrupta amicorum, familiariũ obſequia illo uno momẽto, quo dici poteſt, uerè perijt, in faciem contrariam mutantur. Sed uel ſic etiã aliquid haberemus, ſi bona eſſent aliqua aut ſincera: ſed neutrũ contingit inuenire. opes pericula & ſolicitudinẽ cum commodis & ſplendore, potentia dißimulationem & inſidias cum gloria & uoluptate, ſplendidus apparatus malæ ualetudinis fomenta & tædia: Amicorũ multitudo anxiã curam ac moleſtiã cum ſecuritate & iucũditate: familia multa grauẽ impenſam, turbulentã conuerſationem cum paucis commodis affert. Et ut breuiter dicam, ut nullus fructus ſine parte ſordidiore ac inutili, ipſa uerò melior pars ſanitati aduerſa & incõmoda, ita nullum mortale bonum ſincerũ eſt. Et quæ pars eius melior uidetur, ancipitis ac dubiæ naturæ eſt. Sed uel ſic tam exilis eſt horũ anceps ſubſtantia bonorũ, ut breuitate temporis ſtatim diffugiat, & tenuitate uix percipiatur.

Finge hilaritatem conuiuij, quæ nulla uidetur omnibus gentibus communior, Græcis, Romanis, Gallis, Indis, Scythis, Bactrianis, Aethiopibus, Idololatris, Iudeis, Christianis, Mahumetanis, Philosophis, latronibus, Pyratis, potentibus ac Regibus seruisq;, artificibus atque Opificibus, Patricijs, Sapientibus, Senatoribus, Rusticis, adeò ut in nulla uoluptate, in nulla consuetudine tantum consenserit humanum totũ genus, quam in celebritate conuiuiorũ: seu in funere, seu in nuptijs, seu uictores pugnauerint, seu pugnandũ esset, seu è naufragio euasissent, ut omnium gentiũ & totius mortalis generis autoritate nulla tam constans aut maior sit, tamẽ & hæc momento constat. Omitto modo de generali ratione uoluptatũ, quòd omnes momentaneæ sint. quoniam præteritum abijt, futurum incertum sit, præsens diffluat & magnitudine prorsus careat, instansq; ob id merito dicatur. De conuiuij peculiari natura dico, cuius in prima parte fames uoluptatem non admittit, postrema satietate grauat aut nauseabunda est, media ipso momento circũscribitur, & sine uoluptate effluit, omnibus adhuc conuiuis tacentibus. Ergo potiri hac felicitate filium tuum, absolutumq; esse à tot calamitatibus quarum si prudens esset, particeps necessario foret, tum etiam aliorum commodorum, quibus ob insaniam fruitur, in magno lucro quod ex aduersis quæ filio tuo contigerunt cœpisti, collocare debes.

DE



E Luctu tractaturo, neq; uerius à quo quam mala luctus audire, nec efficacius ac diligentius conquisita remedia sperare licet. Quippe anno ab hinc uigesimosexto penè natus filius inter meas calamitates miser educatus, aduersæ fortunæ meæ impetus atq; incommoda sensit: commoda & felicitatem uix uidit aut attigit. Primum à bona nutrice ob zelotypiam coniugis desertus magno malo suo, misellus cum ob meam paupertatem non esset, mihi nutricum copia ab improba quadam ueteri lacte educatus est, atq; nec eo satis, sed pane manso plusquam lacte. Vnde tertio anno aut quarto tumefacto uentre, & corpore toto, febre sæuiente, anhelitu penè morientis è mortis faucib. ereptus, dextra aure obsurduit. Demittebat enim purulenta per circuitus. Post à me rebus melius se habentibus, quanta potuit diligentia nutritus, nihil incommodi sensit præter eam surditatē. Eruditus interea in perfectum musicum euasit, seu cithara pulsare uellet, aut Cimbalis canere: inde ex Grammatica ad Dialecticā traductus atq; philosophiam, anno uigesimosecundo lauream est consecutus. Inde biennio post in collegium cooptatus. Erat moribus iustus ac probus, quantum quisq; alius atq; patri meo simillimus, ut etiam corpore, ruber ex candido boni habitus, maxima ac rotunda

fronte,

fronte, oculis albis & ualde paruis, quorum pupillæ rarißimo exemplo dextra leuaq; aßiduè mouebantur, statura infra mediocritatem, & meipso paulo minor: in mento fouea, tarda barba, uix enim cum obijt lanugo quædam ruffa apparebat, genæ demissæ & latior uultus ac magnus, collum teres, sed spatulæ dorsumq; craßius à me patreq; meo, alienæ res, illũ deformabant, digiti tertius & quartus dextri pedis iuncti malè fortunati indicium, quòd ego uitium si tempestiuè sciuissem diuisis digitis sustulissem, incessus mediocris & sermo moderatus, nisi cum irascebatur: tum enim adeò frequentabant uerba, ut uix compos esset sui. Quòd uitium exitio illi fuit.

Cæterùm iuuenis ingentis spei, qui et curãdo et prædicendo, quanquam tot præsidijs etiam artis medendi paruæ munitum nonnunquam me superaret. Quiq; ad summum ascensurus esset fastigium eruditionis, & quæ ego non possum perficere, ipse haud dubiè absoluturus esset. Verùm interim cum illius feruens ingenium animaduertissem, inconsuetumq; in actionibus modũ uererer, totis uiribus egi ut uxorem duceret, oblatisq; multis nobilibus uirginibus persuadere nunquam potui. Excusabat enim se quòd oporteret illum prius artis operibus incumbere, meq; adoscentes anagnostas amãdare, meq; enim decore nouam nuptam inter adolescentulos uersari. credidi ego miser & uerisimilia dicenti, & moderato animo atq; pacato. Verùm ut post intelle

dolore lacerare uelim. Fratres etiã 3 nullius artis cõsci os gregarios pedites, nec malos adolescẽtes ut existimo præter paupertatẽ, nã in extrema inopia quis sanctus esse posset? habes affinitatis conditionem, ipsa puella non alio probro contaminata, quam quòd cũ patri ad defensionẽ filij obijceretur filij mei nomine, quòd ut uirginẽ ei despõsasset, negauit pater. Hæc ego animaduertens prædixi, nec filiã nec filium in domũ recepturum. misertus tamẽ filij, sponte dabã illis plusquã mihi esset in reditib. quòd etiã publico instrumẽto ut uocãt edocetur. Interim ipse et illa & toto biẽnio fermè parum ualidi nihilominus filiam primũ, inde filium sustulerũt. Cum uerò quotidie in iurgia deuenirent, erat enim socrus filiæ procax tam ipsa, tum filia cõiugi obijciebant quòd mœcharetur, et filios alienos esse prædicabãt, adijciẽtes etiã adulterorũ nomina. Per eadẽ tẽpora socer annulũ nuptialẽ quẽ ego filio dederã, sericeũq; pãnũ à filia inscio Io. Bapt. acceperat, ut oppigneraret, nihil. n. ut dixi illi erat. Quãobrẽ tot modis ad irã prouocatus cũ uxorẽ infidã etiã cerneret, ut ueneno eã necaret deliberauit: sed ita deliberauit ut cũ cessarẽt iurgia uellet uiuere, cum irasceretur cuperet eã interire. Quid plus? pridie quã uenenũ exhiberetur sublata iussu sindicatorũ pignora et autoritate impetrauit ab illis, et pecunia propria à lictorib. recuperata socero restituit. Ipsam etiã socrũ, socreũ, uxoris sorores et fratrẽ in domo habebat alebatq;. erat. n. admodũ natura clemẽs & gratus.

Habebat adolescentem famulum à quo diligebatur, admonebaturq; impudicitiæ uxoris. Ei ergo uestes ac pecunias pollicetur, ut heram adhuc puerperio laborantem tolleret: annuit ille. uerùm cum sponte uxor eius morbo grauante hipyria febri, scilicet cum frigore extremorum atq; tremore moreretur, & iam ira deferbuerat nihil actum est. Interim socrus infortunio filij mei nata et uxor, quamuis ægra illum iurgijs laceßiuerunt: quamobrem famulo placentæ ut uenenum immisceret imperauit. Septem diebus ante filius alter meus natu minor è Papia, me omnino reluctante discesserat. Cum uerò prohibere nollem ui, persuadere non possem, consului dominum: qui responsum dedit captũ iri filium, & maximis cum molestijs tandem periturũ. Hoc ego de filio qui iturus erat cum interpretarer, illũ monui, futurum dicens non sibi quod pollicebatur aliquando licitum fore, sed detentum in maximo periculo & animi tristitia futurum, ne discederet, de uitæ discrimine agi. hæc coram illo, deinde etiam coram omnibus familiaribus, non rediturum cum uellet quia non posset, palam monebam, adiurabam: at ille non parebat, summo mane discesit, paulum abfuit ne ipsum ob ea quæ acceperam, sed fata eadem quæ urgebant Ioa. Baptistam prohibuerunt, nam poteram ire, erat enim uacatio à munere. Erga placentam illam ut confici curent hic filius meus cum famulo ibat, immiscuit famulus clam acceptum uenenum, datur languenti uxori modicum,

modicum, illa statim reiecit uomitu: accepit & socrus & ipsa similiter reiecit. Vbi Ioann. Baptista uidit, non credens esse uenenum, quod non ex animo iußisset immisceri, quantum sororius dixisset antequam conficeretur. curate ut magna sit, nam & ego edere uolo ex illa: socero partem obtulit ubi ille accepisset, & ipse statim euomuit, sensitq; punctionem in lingua, mouitq; filium meum qui ut puto credens non immissum uenenum, comedit satis auidè: unde & postmodum euomuit, & aliquot diebus decubuit. sequenti die captus est, tum ipse tum frater eius ac famulus. ego monitus statim die dominico Mediolanum me contuli, anceps quid agerem. Id enim mecum reputabam, si comedit non exhibuit nec exhibere iußit? si exhibuit aut exhibere iußit, nulla arte effici poterit ob ingenij simplicitatem ut taceat. deterruerãt etiam me prodigia de quibus in libris de fato diximus. Sed nihil adeò quam quod mecũ reputarem si dedit? mortuæ dedit? Fata igitur omne cõsilium, omnem prudentiam expectorarunt, neq; etiam dum rationem illam quam superius docui de fati contemptu inieram, nec etiam modum illum inueneram reticendi crimina. Itaq; hac in parte & territus rei magnitudine, & imperitia huius negotij defecisse me agnosco. nihil enim est in quo defuißẽ mihi atq; illi persuasum habeam, quam quod nec illum non sum allocutus in carceribus, nec monui.

Plures tamen socij & ipsi captiui illum monuerunt

 ut per-

ut persisteret, sed nulla certè res prodesse poterat, nisi quæ postmodum inueni ac superius scripsi, docuissem eum. Primo examine rectè se gessit: secundo cum famulus dixisset datum sibi puluerem, ut cibis uxoris immisceret ad lactis abundantiã, postmodum adducto eo qui uenenum ei dederat fassus est rem totam: adeò stultè ut adiecerit iam duobus mensibus ante hoc deliberasse, et bis antea exhibuisse pernegante famulo. Itaq; ut ego hoc accepi, causasq; cur id fecisset intellexi, nihil omisi quod ad illius defensionem pertineret: ostendi igitur illius simplicitatem, probitatem, erat enim admodum & nimiũ iusto bonus: quodq; non perijsset ex ueneno. cõstabat enim ut uir apprimè doctus Vicentius Dinaldus Medicus. testatus erat illã lipyria febre non ueneno perijsse. Quod certè uerißimum fuit, neq; enim uiuenti aut mortuæ ex testimonio quinq; clarißimorum medicorum, nec intus nec extra signum ullum ueneni apparuit. Non lingua, nõ extrema, nõ corpus nigrum, nõ uẽter tumẽs, nõ capilli aut ungues decidui, nõ erosio aut quippiã tale. Dolore uictus hæc exaraui carmina in illius laudem:

Quis te subripuit nobis dulcißime fili?
Quis potuit luctus tot nostræ afferre senectæ?
Cui tam dira sit mens (ò crudelia fata)
Nascentem uoluit pulchrum qui excindere florem,
Hæredem nostræ si qua est sapientia mentis?
Non te Calliope, non te seruauit Apollo?
Iam cythara & cantus sileant: elymæq; sonoræ:
Quæ mihi pro charo renouant suspiria nato:

Dũm memini dulci modulantem carmina uoce.
Laurea quid iuuit medicæ artis? Tantaq; rerum
Cognitio? & linguæ facundia rara Latinæ,
Tam subito longi si nunc periere labores,
Clare puer uirtutis imago certa paternæ. Quid seruasse duces Hispanos profuit? aut quid Spectatæ fidei ciues? Sed uideamus quid mali acciderit, aut nobis aut ipsis: nobis quidem aut quòd è nobis fuerit natus, uel ob dulcedinẽ educatiõis, uel ob spem posteritatis, uel utilitatem nostram, aut sumptus qui periere, aut ob gloriã aut infamiã, aut ob hæc omnia simul? certè aliud fingi nequit. Quod è nobis natus sit, primum hoc matri potius si superstes esset conueniret, nemo nouit filiũ imò ne matres quidẽ. permutari cõtingit et pro mortuo proprio supponi alienum: deniq; pater nullus ut nõ potest de pudicitia uxoris certus esse, ita nec de filio quòd suus sit. Sed fac tuus sit, quãtũ seminis in cassũ etiã uolẽs abiecisti & tu nõ doles pro tãta iactura? hãc tã exiguã deflere uis? Sed educatiõe & laborib. factus est charior filius: Si tã paruo æstimas tuũ esse? aliũ educa: in aliũ plus laboris, solicitudinis pecuniarũ in uno mẽse impendere potes, quã in filio per multos an. impẽderis. Deinde nõ putet ob pecuniarum iacturam dolere? auaritia hæc est non pietas. Si ob gloriam satis gloriæ, absq; illo mihi ipsi comparaui, gloria hac tã breuis temporis indigent plebeij homines ac stulti. Raró etiam à præstantibus uiris egregij filij oriuntur, aliás causam diximus,

nunc eam paucis, longo enim usu eam didici referre, nō pigebit. Humana natura ut reliqua omnia certis limitibus continetur, cum quis ad culmen sapiētiæ aut prudentiæ peruenerit, res, consilia, & cogitationes omnes ad summum subtilitatis deducit, quamobrem ea ita disposita sunt, ut cum ab illo regantur & opportunè disponantur, tum euentu tum autoritate mirabilia existimantur, & sapienter ac prudenter omnia facta dictáue. Sed cum paululum ab illis aberraueris in maximos incidere errores necesse est. tū uerò etiā hoc ipso maior uenter, quod actiones illæ à communi more deuiæ sunt. Vnde in adagio uulgari est: Sapiens si errat magis alijs errat. Et illud. Et sapientes errant. cum ergo sapientum filij patribus similes sint, penè ijsdem moribus atq; consilijs sunt, quæ cum nec usu nec ratione propter ætatem regi poßint, sintq; ut dictum est à consuetudine aliena, pro stultis æstimantur plerunq;, ut par est fallente successu. alienus uerò puer aut iuuenis melius doctori acquiescit. At dices tuus præstans erat? Et ob id breui perijt. Immodicis breuis est ætas & rara senectus. Restat ut quod uerißimum est, ut illos potius ames posteritatis causa. At mihi adhuc supersunt tres in eam spem. Et si posteritas, ut dixi, aliquando finem esset habitura, nihil agimus. nam mille anni ut docui pro uno die censentur.

Sin autem omnium sit peritura omnino? tum nihil refert. quod enim omnino aliquando futurum est, aliquando

quando etiam erit: tunc uerò præterita tanquam non fuerint habebuntur. Non mouearis falsa aliorum imagine, res sic habet. obliuiscaris illius interim. Sed dulce est gaudere adolescente filio? multa etiam sunt amara mixta. Sed sit æterna series futura hominum? quod uerum esse non credo, an tua erit, an certus de hoc esse potes aliquomodo? an non nomina familiæ omniáque mutabuntur? In tam longo temporis spatio quale est æternitas: omnino necesse est tuos pro alienis, alienos pro tuis censeri.

Quis tam potens aut diligens aut sapiens, fœlixúe cuius posteritas ultra quadragesimum descendentẽ ad progenitorem suum referatur? Itaq; tenuißima spes rei exiguæ, nec omnino etiam sublata sapientem discruciare non debet? Diximus etiam quod filij patrueliũ, fratrum, affinium, si uiueret is qui nostrum communis fuit author, pro nostris censerentur: cur ergo illius mors coniunctos disiungere debet? At obijcies infamiam & contemptum? Infamem facit causa non supplicium. Si dicas quod unum per se non potest, plura facere ualet? nequaquam, nam cum hæc finem habeant, quòd ex his conflatur finem habet. Sapiens autem non nisi infinito torqueri debet, & optare uehementer, nil nisi infinitum. reliqua ita tractare ut sciat quod non est futurum: & si non futurum sit, nec beatum efficere posse nec infelicem. non igitur mei causa torqueri debeo.

Sed sui causa dolendum est? multo minus, euasit enim

si poßit resurgere, certè nolit, ne iterum mortis dolorē metūq; experiatur. Cū moriturus eßet miserendū fuit certè tunc, sed non magis imò minus quā aliorū, nam uix ullus est qui mortē antea per diem non præsciscat, ille per horam tantum. alij præter metum etiam dolorē experiuntur, ipse dolorem nullum, metum aliquanto maiorem, sed, ut dixi per breuem. Solabatur illum sacerdos, plura pollicebatur quam unquam hic expertus esset bona. hoc illi utile erat quod omnia crederet, quā miseri sunt qui non credūt, & totos se obituros putāt, aut etiam durius quid subeundum facinorum conscij: Nouerat se filiolum relinquere patri pijßimo custodiendum, patrem cuius memoria nunquam extinguetur, amantißimū fratrē, sospitem sororem? Quid cum mortuus fuissem, si nunc in summa pace tritici modius Romanus argenti dimidia uncia emitur, precio iam tanquam cōsueto, & mediocri cum ubere prouētu? Quid cū inopia præmemur, & annus infœlix erit? aut bello agri uastabuntur, quāti expectas ut ueneat duabus aut ternis uncijs, cum modius patrius, id est modij octo Romani uncia argenti uenderentur, & minus etiam lōgè dum essem puer. Et tamē operæ pauperū nō creuerūt. Quid iā in hoc felici seculo operarij ut frumētū sibi solis annuū parēt, operā 5 mensiū ut absumāt necesse est. Quid pro uino, carnibus, uestibus, domus ficto, lignis, oleo sale? deinde quid pro uxore aut filiolis? Quid si miser ægrotet? Si qui repagula et uectes, tū ianuas iniūgūt

lethali

lethali oleo & meritò reposcuntur ad pœnas nouißimas, cur eos qui populum fame enecant tanquã Deos ueneramur? Mors omnia dira duraq; est, sed fame enecare durius ẽ ac dirius. Narrabat mihi Belga amicus tã tã his an. præteritis in patria sua famẽ fuisse, ut pauperes putres pisces magistratus iussu abiectos et sepultos eruerẽt ac comederẽt, proq; his etiã pugnis ac fustib. se cæderẽt. Quid ergo si superuixisset boni sperare potuit in tãta tẽporũ calamitate? hominũ nequitia? potẽtiorũ socordia? Nõ obijsti fili, sed oẽm laborẽ, omnẽ molestiã effugisti & pati recusasti. Existimasti necesse fore ut uel improbus fieres, uel ut extrema patereris. Vnũ ob pudorẽ, alterũ ob difficultatẽ euitasti. Videbas paupertatẽ meã & ætatẽ & hominũ mores, maluisti nõ esse, quã esse infælix, præsentia uix ferre poteras, deteriora expectabas. quid. n. boni expectare licet cũ sub optimo & potẽtißimo Rege in summa omniũ ubertate, in stabili pace nulla quies sit pauperibus? Sed. n. dicis grauis tamẽ est mors filij? imo grauior improbitas & miseria illius quã mors. Suet. in Augusto inquit: Sed aliquãto grauius tulit suorũ dedecora, quã mortẽ, de filijs. C. & L. loquens. Plures longè inuenias qui ob improbitatem filiorum aut miserias miseri facti sint, aut perierint patres quam ob mortẽ. Qui moritur semel fatigat animũ patris, improbus semper torquet: mortuus nõ iuuat patrẽ, sed nec defatigat aut depauperat illũ: improbus fatigat semper, miser depauperat eum. De mortuo

nihil times: abest ab animo maxima perturbationum, solus dolor urget, ut miseris & improbis timor adest, nec tamen dolor deest. De mortuo dolere non potes quod mala patiatur, sperare licet quod fruatur bonis, si quis sensus est inferis? quanto fœliciores sunt uiuentibus: si nullus, quanto nos illis sumus miseriores? Nemo sanæ mentis se uiuum esse cupiat (non dicam mori malle) nisi plus boni in hac uita quam mali experiatur, at quam pauci sint quibus hoc contingat, præterquã stulti omnes norunt. Filiorum superesse cupientium miseremur, uel quia illi se beatos esse putant in improba uita, uel quia nos speramus ad frugem redituros. priorem ob causam misereri nõ solum nefarium, sed etiam stultum est, quandoquidem euentus ostendat tandem illos fuisse, esseq; miserrimos. Posterior causa quanto honestior, tanto minus secura est.

At dices rursus graue uideri tibi debet crudele illius mortis genus, non. nam aut stirps superfutura est in quibusdam perpetuo aut in nullo: si in nullo, iam sæpius dixi, perijsse nihil mihi. tota enim fœlicitas est in perpetuitate reposita. Si in aliquo uel ad illum posteri quicquam pertinent aut non? si non sunt chari nec ad nos pertinent, igitur seu maneat stirps, seu nõ maneat ad nos nihil refert, nihil amisimus. Sed si stirps alicuius maneat, chari sint posteri & ut Virgilius dicebat:

Omnemq; suorum . . . . . .

Forte

Forte recensebat munerum, charosq; nepotes.

Tunc cum perpetua futura sit stirps, quot crudelius & maiore cum iniuria interibunt? At excusabis quòd eos non uidebit? unusq; hic meus pro omnibus illis descendentibus sit. quoniam potestate posteritatem omnem meam continebat? Sed hoc ad interitum non ad genus mortis spectat. Si enim unusquisq; ex meis posteris non sit mihi uelut filius? omnium collectus numerus parum ad me spectabit. Quòd uerò non sensurus sit illorum iniurias atq; tormenta, nil ad rem. quandoquidem in eo quod manet stirps, quamuis non sentiat, statuimus illum esse fœlicem: seu ergo opinione seu re fœlix sit per propagationem, eatenus erit infœlix opinione & re. Ergo genus mortis nihil refert, sed sola priuatio spei æternitatis consequendæ: tum ipsius æternitatis consideranda.

Sed utcunq; modo res cessisset, ipse fœlix esse nō poterat, neq; ego causa illius. cum enim esset tam bonus, multa ut illi inconuenientia & damna acciderent necesse fuit, qui ad fœlicitatem non peruenit, quo tempore moriatur nihil refert, aut omnino ualdè parum. Si utilis, quicquam ergo sperare licebat? à prole erat expectandum. Sed quid si uxorem duxisset sterilem? aut quæ sospites filios non peperisset? aut si in phratriam se coniecisset? aut morbo præceptus esset? Aegrotauerat enim iam triennio hoc annis singulis grauiter.

Sed tamen ob labores, ut existimo quibus non erat assuetus

assuetus. Verum signis longæ uitæ tam in genitura quã in manibus caruit, adeò ut si ante me mortuus fuisset de uorandũ omnino esset catapocium hoc: si superuixisset nam tam bene ut ego de posteris statuere sciuisset. Fortes omnes ui maluerunt perire quam morbo. Hoc enim sæpius morimur, illa semel tantũ. Socrates eã alijs prætulit. Qui Deo grati fuere, omnes fermè ferro aut ex senio periere. Ergo hæ duo diuino iudicio præferuntur. Si hæc mitior est quam quæ ex senio optimo mortis genere absumptus est? si durior? optimo quod sibi contingere posset: cũ ad Senium peruenire non liceret: Quæ uerò ex morbo oriuntur mortes deteriores sint.

Illud etiam dico mecum, si filius meus superest, melióre certe fruitur quam antea uita. Hoc nullus est qui neget philosophus, gratulandũ est illi: Sed si non superest, nullusq; inferis locus, nulla nobis ad superos uia? in quo sue melior aut uitulo fuit? perijt ille, peribũt & omnes: at huic gloriæ suæ ac nominis præco nõ deerit. Illi cum corpore & suis inclytis factis sine gloria interibunt. Si extinctus est, nihil sensit: si sensit; non est extinctus. At ego in Domino spero, antequam moriar eum me uisurum. Potuit, ut refert Maximus Tyrius, uidere non somnians sed uigilando Aesculapium & Herculem, quos nec unquam uiderat dum uiueret, nec ab illis uisus non dilexerat nec fuerat dilectus: at ego dilexi illum, & ille me. Nec sum ego pietate inferior Maximo illo Tyrio. Nihil à deo petij quod nõ obtinuerim,

sed si ab amico honesta petenda sunt, à Deo honestiora petere decet. Vitam filij non sum ausus petere, nec in mentem uenit, sed erant cogitationes meæ tunc ut fulguris. Existimandum est omnia propter melius esse, forsan deterior factus esset, & familiam dedecorasset? Si petere potuissem, ac petijssem obtiuuissem, sed forsan deterius mihi obtigisset, illi nihil melius. Fatis obstare oportebat, libere postulare, contingit tum quod his qui aliquid à dominis bonis importunius extorquent, impetrant, sed maiore cum fœnore. Verum illud mecũ reuoluo, omnia quæ Deus facit bona sunt, si ad uniuersi commodum referantur. Quæ bona mihi non uidentur uniuersi ratione bona sunt: ego propter uniuersum, uniuersum non propter me. Velle debeo quæ Deus uult non quæ ego uolo, ille sapientior est me, melior, potentior, scit quid expediat: Si expedisset, uitã longã aliaq; commoda filio meo largitus esset. Vt sal cõdit cibos, ita mala quædã & austera mundo cõducunt. An pes si in illum decũbat humor cordi atq; toti noxius, toti et cordi irasci debet? & præponere propriam salutem uitæ totius animantis? Quin etiã seruato animãte & corde, seruabitur et pes etiã præter spẽ: mihi crede, nõ totus perijt qui perijt. Et si totus perijt, cui bono superfuturus erat ipse, uel alius quisquam? Si Deum non dilexi nec diligo, cur expostulo ab eo cui merito sum inuisus? si dilexi, an ille mihi defuturus est aliqua in parte? Et non dicam cum Scriptura. Et fuerunt Iobo septem filij

filij & tres filiæ, & ipse superuixit centum quadraginta annis? Quid de Machabea cui septem filij sine crimine propter nomen domini supplicio se obtulerunt? Quid de Taurea illa Capuano qui filios suos occidit, ne in seruitutem Romanorum traherētur? Qui scit ne quando & temporibus nostris eueniat illud, montes cadite super nos? & operite nos? Quòd iustum est etiam si ad te pertineat, æquo animo ferendum est? quod iniustum uindicabit dominus ad quartam uel etiam septimam generationem: quod etiam oracula uerum esse testantur. Quòd autem prodigiosum, non nisi magno malo Reipub. accidit unquam.

Demum si animus eius superest? quam exiguo momento illius consuetudine sum cariturus? pauci enim anni quid ad æternitatem comparati? nónne hoc minus quam si iuxta uulgarem sensum illum Cremonam aut laudem Pompeij misissem, postridie rediturū, quæ mora est quæ me torquere debet tanto tempore futuros coniunctos? At coniunctus non eris etiam si superstit? stultè, probos & amantes se inuicem unà esse oportet. Qui pecunias amat cum illis erit, sed non habebit, quia illæ ibi non sunt: qui honores, qui uindictam, omnes sic discruciabuntur: qui Deum, qui sapientiam, qui suos ac probos, lætabuntur. illi enim præsentes sunt, ne quisquam putet me filium deflere si malum fuisse existimarem.

Quod si nihil est omnino filius meus nunc? fallitq́; me genius

me genius meus ostentatione? nónne perpetuò breui illius consuetudine cariturus omnino eram? Quid in tam longo tempore tam breuis uoluptas? Quid in tantis tenebris tam exigua lux? Fruimini fruimini, uosq; qui feliciores estis liberis uestris quãtum uultis, nónne paulo post illorum consuetudine perpetuò eritis cariturii? Thesauros uestros illis date aut uobiscum deferte, licet atria amplasq; domos, fastum illum quo neminem timetis, ac Romanorum more populum Senatumq; Deum facitis. Reminiscamini uos mortales esse, ac satis infelices? Si præsentia solum respicimus, liberior est & potentior medici conditio, qui quos uult mactat sine iudicio ac metu sindicorũ, imò nec Regis. Efferãtur, insultent, minentur quantum uolunt, uita sua minimo medicorum errore, qui illis undiq; scatent pendet.

Atq; hæc naturali lumine, nunc ad diuinum pergamus, ad religionem, ad fidem Christi: nónne omnia hæc longè magis magnifica, splendidiora, euidentiora, maiora, digniora, certiora? Quid profuit Regibus qui se claustris regno relicto concluserunt? Volentes illi ac sponte tot tantaq; bona reliquerunt? filius meus uel nisi miseriam, ærumnas, solicitudines, in quas semet coniecerat, amisit. Pauper, surdus, una aure simplex, despectus, fœlix esse potuit, noluit: nunc uitam æternam ingressus, uita incomparabili fruitur. Si hæc ita sunt, cur defles? Si non ita? non propriam conditionem sed communem deflere oportet? omitto nunc eas rationes quæ

dolorē non minuunt, sed cogunt nos inuitos cōtinere lachrymas, has enim semper contēpsi: uelut quod necessaria nō sunt deplorāda quia mutari nō poßūt, quid quæ tēpore apud Idiotas deceat sapiētē ratione superare. Illud forsan mouere me magis poteſt, quod ſi ego periJßē existimo modo ampla res relicta foret illi, nō adeo illū fuisse me defleturū, quod cōmune est omnib. filijs erga patres. Hæc pro exēplo cuiq; meditāda proposui qui in luctum inciderit, non ut tanta de me ipso dicerem, sed ut breuius docerem.

Cumque superius de rationibus alijs egerim, quibus dolor immodicus leniri solet, nunc nihil tam profuit quam hæc scribere, emendare, lectitatre. Sed iam de cōmodis agamus. exēplo rursus utēdū quod satis egregiū est, nā ego mihi paro obsonium, & graue nimis uulnus est ac penè intolerabilè. Existimo ex superis aliquē induxisse me ad scribendū hoc ne dolori succūberē, simul & sæuū casum obtulisse, ut omnib. poßē persuadere. Vbi ergo primus allatus est nūcius tā sæui interitus, expectabā enim hæc scribēs, quādoquidē nihil haberē potius ad leuādū dolorē, impatiens tanti æstus surrexi & extra domū exiens in suburbia inde extra urbē me contuli, nihili faciens uoces & iudicia obuiantium, ubi de periculo mortis aut insaniæ agebatur, ubi suspiria & gemitus emisi, cæpi me colligere, & domesticas res ordinaui. paucis post diebus Papiā me contuli cum infantulo quē ex uxore filius susceperat Tacio, ab obitu enim

enim. Ioannis Baptistæ dum è sacro fonte leuaretur sic uocari iußi, in memoriam patris mei. Tum mecum cogitans, cœpi rationes omnes conquirere quibus me ipsum solarer, atque illud primum animo uoluebam: Galenus cum nec fratres nec uxores habuerit, sine uxore uixit, sine filijs obijt, & tum sibi uidebatur admodum fœlix, uixitq; hylariter ut ex scriptis conijcere licet, cũ tamen stirps paterna in eo tota deficeret. Erasmus & Gesnerus (omitto nunc quæ ad religionem attinent) orbi fuere, estq; Gesnerus. Alciatus etiam uxore & filijs caruit, nec conditionem suam cum aliquo quouis commutassent aut commutarent: multi etiã qui orbi nõ sunt illorum fœlicitati inuidebant. Tu uerò etiam filiam habens nuptam, filium adolescentem nepotemq; & filios alios adhuc posses suscipere & uis mærere? Melius ergo esset sterilem te natum fuisse? Tres integri superstant, nec tibi spes deesse potest & doles? Galeazio uicecomiti unus filius est Hercules, qui apud te est, ille literarum & philosophiæ ignarus in eo gaudet ac letatur, quanquam sine spe suscipiendi alios. Si ad rationem res refertur, satis superq; est tibi descendentium: Si ad casum; etiam si tibi sexcenti essent filij, quemadmodum referunt de quodam Rege Molucharum insularum, nulla posteritatis securitas esse potest. Si morbo perijsset consolareris? id enim Dei uoluntate factum arbitrareris? at si semet occidisset modo causam nõ prebuisses tu? etiam;

nam morbo perijsse insaniæ scilicet existimares. at sic perijsse quam parum abesse uidetur à fati necessitate, ob ostenta quæ præcesserunt? à morbi ui qui cum ex insania obierit, prodens nulla causa semetipsum. Si sine iniuria obijt de quo quereris? factum est Dei: si cũ iniuria & dolo & id Dei uoluntate accidit, sed nec inultus erit. Omnia eius arbitrio reguntur, sed iniusta ulciscitur. Apparet autem iudices cupisse seruare illum, quando habita pace pœna commutabatur.

Crudeli morte perijt, tu ne morieris & ipse? & uix fieri potest quin maiore cum molestia non obeas: ipse exegit, tu exacturus es. Si præterita reuocare uis in mẽtem, tragœdiam conscribe. Imaginor momentum illud quo periturus erat? nullus sine spe, et multò minus ipse! nec sine ratione: tu uero imaginare futurum tuum momentum illud, atq; multo longius & obliuisceris sui.

Ille quæsiuit occasionem, tu non: sed repugnanti aduenit. At sustulerunt spem masculinæ posteritatis magna ex parte? Iam fateris si infinita non sit, nihil ad te: omne enim quod finem habiturum est, ac si non fuisset unquam existimari debet: si infinita, declaratum est unius tantum prolem masculinam superesse posse, ut in æternum maneat: sed omnes stirpes aliquando in fœmineum sexum degenerant, inde ad masculos redeunt: hoc autem infinito, uelut in tota æternitate non sunt plures dies quam anni: ita necesse est infinitis uicibus seriem masculinam abrumpi.

Quid

Quid igitur intereſt, an ſexus mutetur in filijs aut nepotibus aut atnepotibus? nam ſi de familia agitur nugaris, nullum nomen familiæ ad mille annos unquã peruenire potuit: ſi de ſtirps naturali continuitate, illa melius ſeruatur in fœminis quã maſculis. Ob id matres magis diligũt filios quã patres. Ariſtot. in Pythiade felicior fuit, quã Nicomachus. Ex ea enim Eraſiſtratũ nepotem ſuſtulit medicum ſuæ ætatis clariſsimum. Ea erat quæ dicere ſolebat pulcherrimum eſſe colorem quem uerecundia in uultu parit. Sed ut ad rem redeam, ſi obieceris mihi diminutam eſſe ſobolem, nil refert, nam temporis ſucceſſu ex uno infiniti prodeunt, eodémque innumeri quamuis ſint omnes abſumuntur. Ruſticus non omnes racemos uitibus relinquit, nec ramos arboribus.

Quid ergo? hæc conſcribens multis ſalutem attuli, mihi ipſi νόμον inſtitui. Inde conuerſus ad curam eorum qui ſupererant, filiolum mutatis aliquot nutricibus uni ſatis, ut mihi uidetur, prudenti & boni habitus commendaui, inuiſens illumquotidie: hoc enim inter ſolatia habeo. Et ut uirga cederem dextram ſuram, nam corporis dolor animi moleſtiam leuat, ſicut & animi intentio corporis dolorem. crocum etiam uino immiſcebam & bugloſſum domeſticum eſitabam. Et quid per ſomnum monitus ſum ut facerem, ſmaragdum quem collo appenſum fero, dẽtibus ſtringens dolorem omnem ac mœrorem animi

ſubito & totum leuo, ac ſi adhuc ille uiueret. Credo Dei indulgentia id factum, certè quoniam naturalem cauſam nullam ſubeſſe intelligo. perſpicuũ eſt autem quod ſine hoc auxilio deſtitutus ſomno fuiſſem, & mortuus exinde, aut in inſaniam decidiſſem: alia enim fata ut uideo me expectant. Alterum uerò filium iam natu grãdem monere, inſtituere, docereq́; cœpi, indulgens plurima ad illius aſperitatem leniendam. Quæcunq; enim poteſt pater filio indulgere debet, modo nõ turpia ſint aut in habitum tranſeant: tribus de cauſis, prima ut ſibi illum reddat obſequentiorem, ſecunda, ut illum amare uideatur, tertia quod earundem uoluptatum particeps fiet quas filio concedit, ſi illum ut parẽ ut ſemetipſum amat. Addo quartam, ne ſi ſiniſtri aliquid euenerit, doleat poſtmodũ & acerbitatis & nimiæ ſeueritatis. Nõ deſino exemplo cõmonefacere illum ut prudẽter ſe gerat, ut litteris operam det. hiſtoria fratris ſemper in ore mihi eſt. Vt uerò diutius huic negotio uacare liceret, uitæ producendæ omni ratione & uictus continentia conſului. hactenus de luctu, nunc de orbitate agamus.

DE ORBITATE.



SVnt autem orbitatis tria genera, ſcilicet cum homo nullos ſuſcepit filios, cum nullus ſupereſt ex his quos genuit, nec ſpes generãdi adeſt, cnm adoptiuos ſibi

sibi aliquis substituerit. Porrò orbitatẽ illã cum quis filios nunquã suscepit alij quidẽ optarunt, nõ ducta uxore, abstinẽtesq; à mulierib. alij uerò cũ suscipere uellẽt non potuerunt. Qui ergo filios nõ cupierunt habere, non est ut persuadeam orbitatem esse meliorẽ sobole. De commodis uerò simul cũ his, qui nõ uoluntate orbi sunt agetur. Hi ergo qui nullos iam suscipere filios potuerũt, & extra spẽ suscipiendi positi sunt: seu qui susceperunt iam, sed omnes mors absumpsit, quod ad cõmoda attinet eadẽ sorte fruuntur. Sed quænã miserior orbitas aut eius qui nunquam filios uidit, aut qui habuit & amisit? memini me generaliter superius tractasse quæstionem hanc. Sed nunc propriè de orbis agitur certè maiorem esse dolorem in orbis qui morte filios amiserunt, quã qui nunquam susceperunt & ratio & experimentum suadet: ratio quidem quod in omnibus uideamus homines magis dolere in amißione partorum, quàm si non adepti essent. Quod cum in omnibus uerum sit, eo magis in filijs. Experimento quod nemo inuentus sit, qui quoniam filios nõ susceperit, uel perierit uel ægrotauerit uel citius iusto consenuerit: atqui ob filiorum obitum imò etiam unius interierint, uel semet occidendo, uel doloris impatientia multi inuẽti sunt. Ab orbitate, ut dixi, amita mea Iomaxina uno edito strepitu ingenti concrepuit ac simul interijt. Omnes autem ab orbitate fermè aut insanierunt, aut consenuerunt aut ægrotarunt.

Sed tamen altius hæc res repetenda est. Qui sperant animos esse immortales, æqualem fermè conditionem sortiuntur, siue filij illis nulli unquam nati sint, seu interierint omnes. Quibus unquam nati sunt minus habent doloris certè: at quibus interierunt duplex est uoluptas, una quidem dum reminiscuntur educationis, & quamuis eam amiserint uoluptatem, cum tamen considerant uitæ huius breuitatem & mundi æternitatem & quod uelut in scena omnes hæc ornamenta deposituri sunt, non solum uitæ spolia, sed honores, opes, ampla atria, coniugem formosam, & prudentem: hic una die, alter sequenti, alij tertia, omnes tamen breui admodum, adeò ut etiam urbium & prouinciarum & regnorum ac montium breuis sit mora, hoc quodcunq; quo frui contigit tempus ad uoluptatem referent. Itaque si cum dormitum imus uestes exuimus, quid refert quòd antea pallium aut tunicam exueris? cum morieris omnia relinquere oportet, quid ergo refert quòd paulo antè horum parte aliqua exutus sis? nil certè, nisi quod mortis minus tedebit te? Sed altera maior est, scilicet quod cum morientur, scient se illis quos adeò in uita amarunt occursuros.

Velut ergo qui in incognitam ciuitatem ueniunt maximè gaudent, si ibi filium aut fratrem aut patrem operiri sperent, longè alacrius in illam ingrediuntur: ita qui aliquem præmiserunt non sua culpa ex his quos diligunt. At quem magis diligere contin-

git

git quam filium? Adeò ut ego qui nocturnas laruas horrere semper solebam, nunc maximè lubens per tenebras ire soleo, quasi dulcißimo meo filio occursurus. Quem tamen scio antequam moriar me uisurum læto animo. Neq; enim filium amisi, sed ille iniquis his integumentis ac tetro pondere spoliatus est, uiuit longè fœlicius. Propè animo est cui prope est corpore, ibi æterna intelligit, inferiora hæc omnia inspicit, despicit mortalia, liber ab omni metu, solicitudine, perturbatione, tyrannorum uiolentia, luce siderum imbutus.

Coëunt omnes in unum beatæ animæ, nosq; uident alta nocte circundari. Et ut Seneca pulcherrimè ait: Nil apud uos, ut putatis optabile, nil excelsum, nil splẽdidum, sed humilia cuncta & grauia & anxia, & quotam partem luminis nostri cernentia. Quid dicam? nulla hic arma mutuis furere concursibus, nec classes frangi, nec paricidia aut fingi aut cogitari, nec fora litibus strepere dies perpetuos, nihil in obscuro, detectas mentes & aperta præcordia, & in publico medioq; uitam, & omnis æui prospectum euentumq;. Iuuat unius seculi fata componere, in parte ultima mundi & inter paucißimos gesta, tot secula, tot ætatum contextam seriem quicquid annorum est licet uisere, licet surrectura, licet ruitura regna prospicere & magnarum urbium lapsus, & maris nouos cursus. Nam si potest tibi solatio eße desiderijs tuis commune fatum, nihil constat loco stabili, & nihil quo stat loco stabit. omnia sternet ab-

ducetq; secū uetustas, nec hominib. solū. (Quota .n. ista
fortuitæ potētiæ portio est) sed locis, sed regiōib. sed mū
di partib. ludet, tot supprimet mōtes, et alibi rupes in al
tū nouas exprimet, maria sorbebit, flumina auertet, et
& cōmertio gētiū rupto, societatē generis humani cœ
tusq; dissoluet. alibi hiatib. uastis subducet urbes, tremo
rib. quatiet, et ex infimo pestilētiæ halitus mittet, et inū
dationib. quicquid habitatur obducet. Necabitq; omne
aial orbe submerso, et ignib. uastis torrebit incendetq;
mortalia. et cū tēpus aduenerit quo se mūdus renouatu
rus extinguat, uirib. ista se suis lædēt, et sidera siderib. in
currēt et oi flagrāte materia, uno igne quicquid nūc ex
disposito licet ardebit. Nos quoq; felices animæ æternæ
sorte cū deo uisum erit iterū ista moliri, labentib. cūctis
in propria elemēta sedesq; redibimus. Itaq; si mō quic-
quā est quo nō lætatur. i. inuictus dolor meus: uerū De
us ipse me solabitur uel illius precib. Nō obijciat quis-
quā, nō suspicetur quod pecunia uitā illius nō redeme-
rim: nā norūt oēs plus petijsse illos quā haberē; nec po-
terā quod extrema hora obtuli polliceri, nisi liberalitas
generi mei Bartholomæi sacci me adiuuisset. dono .n.
200 coro. aureos, mutuo uero 300 alios dabat, iuuenis
egregius certè. Et tamē uel sic oibus bonis exuebar. Sed
ut ad rē redeā: licet qui amiserit filios quā qui nō susce
pit maiore dolore prematur, tamē etiā habet multa so
latia: alius prorsus nulla. Sed mors filiorū, postquā nō
adeò incerti sunt euētus rerū nō optāda ē, ferēda tamē
Pōp. à speculatore occisus, et Cato ad uolūtariā mortē

adactus, et Cic. à milite iugulatus, oēs iā uicti, qui si antea occidiſſēt cū gloria mori poterāt. neſcimus quæ nobis expediāt. Sed nec patrib. Sylla nō prius ſe felicē appellari iuſsit, quā extincto filio ægregio adoleſcēte, quā uis aliū reliquerit. Itaq; felicitati nō exiſtimauit obeſſe interitū filij, nec fractus animo, nec malitiā in ciues aut in hoſtes uirtutē quarū neſcias utra maior in illo fuerit cōtudit. Miſeri ſemper ſumus, ut etiā beluæ oēs immodico iſto filiorū amore ſi mali ſint, nobis ab illis timemus, et diſcruciamur: Si boni, illis ne ægrotēt, ne iniuria afficiātur, ne caſu aliquo intereant. noli optare orbitatē, ſi tamē cōtingat ſcias infinitis moleſtijs cariturū. At cito erepti ſunt? cogita omnes homines cū naſcūtur interire: ea enim cōditiōe naſcūtur, ut eo fato, eo tēpore ſint obituri. Si meus nō nūc obijſſet, certè paulo poſt alio caſu, licet forſan nō adeò acerbo, quoniā mortē nō uidiſſet tam præſentē, periturū exiſtimandū eſt. Obid egregij Aſtrologi ſolēt mortē eodē an. ſub duob. aut trib. tēporib. prædicere, quaſi et genus mortis et ann. nō tamē dies nec ſpecies certi ſint. cū quæris filios, cū optas etiā oīa illa tibi propone quæ cōtingere nō ſolū poſsūt, ſed etiā ſolēt. abortus dico, interitus in infantia, in pueritia in iuuētute cū maximè illis gaudere ſperas (ut. n. infantia magis delectat, quoniā ſemper amplior ē ſpes ſucceſſib. ita iuuētus uera gaudia affert,) caſus aduerſos, ſolicitudines, morbos, miſerias, improbitatē, contumaciā, ſtultitiāq;. Si igitur horū unū aut plura euenerint, cur à pactis, à conditiōe qua illos ſuſcipere decreuiſti rece-

dere uis? Quot funera uidit Augustus? Tiberius etiã orbitatem? Cornelia ex duodecim filijs publica iniuria duobus etiam interemptis orbata est, & fortiter tulit: sic Liuia Drusi mortem eam egregij iuuenis, ut cum etiam hostes uenerarentur. Cæsar ipse orbus remansit, nisi quod filium non legitimum ex Cleopatra Aegypti regina sustulerat nomine Cæsarionem. Noli fidere fortunæ, quamuis enim multos casus, multáque pericula euaseris, cogita te pro scopo peti. antequam Ioan. Baptista in casses hos incidisset, forsan sex antea mensibus narrauit cecidisse iuxta illum ollam terra plenam è fenestra, parumq́; abfuisse quin eo casu interierit. Ille tum euasisse & ego simul magnum periculum arbitrabamur, sed non erat id lethale spiculum; quare orbitatis consolationem retulimus. nunc ad adoptiuorum filiorum solatia transeundum est.

Qui ex hoc mundo filijs relictis discedunt magis solliciti, minus miseri abeunt, ob id solatium quoddam lege inuentũ est, ut adoptiui filij crearentur. Qui ob quatuor causas plerunq; eligi solent, aut priuigni ob uxoris dilectionem, uelut Nero à Claudio adoptatus, quod infœliciter cessit tam, quam etiã stultè factũ est: ut cui legitimus ac naturalis esset Germanicus. Et certè hæc adoptiõis species ac ratio uilissima est, ac quasi turpis. Augustus si Tiberiũ adoptauit, creditũ est non solũ Liuiæ sed ipsius Augusti fuisse filiũ, unde uulgatum illud à nuptijs statim. τοῖς εὐτυχοῦσι τρίμηνα παιδία.

Quanquam

Quanquam & hoc malè cesserit, destructa ab illo naturali stirpe patris Germanici scilicet filijs, atq; inde in Nerone prorsus extincta, adeò ut hoc auxilium parum utile esse putem his, quibus naturales filij aut nepotes supersunt. Secundum genus est, cum infantulos fortuito in domum receptos adoptant: uel etiam obscœnæ libidinis causa, cuiusmodi apud comœdos plura exempla, & apud Samosatensem. Quod planè stultum est, uel etiam execrabile. Dici enim potest cum filio cōcubuisse, atq; hæc electio prodigiosa est & plerunq; infœlix. Tertia est ob affinitatem, cuiusmodi à Tyberio facta est & à Domitiano. Ea proxima est ueræ soboli. nam ius ciuile patris in filium adoptio præstat, & lex naturale uinculum agnationis aut cognitionis. Qui enim sic coniuncti sunt tanquam filij, in uno unaue ascē dentium iuncti olim erant. Quartum genus est, cum ob uirtutem filij eliguntur: cuiusmodi adoptio fuit Neruæ in Traiano, Antonini Pij in Adriano. Est etiam adoptionis elegantissimum genus. cum quis filiam emancipat, iuuenem è familia adoptat insigni uirtute, aut affinem filiæq; iungit, quòd genus adoptionis neminē melius absoluisse Antonino Pio, cum Antoninum Philosophum adoptauit, locata illi in matrimoniū filia, nec fœlicius inuenio. Non tamen Philosophus ex Pij familia fuit. Ergo hac adoptione omnia implentur munera. Vera coniunctio ordoq; posteritatis cum qui ex filia nascitur, non minus nepos sit tuus, quam qui ex filio, & nomen

nomen familiæ ob generum aut adoptionem: nihilominus nepotes ex filijs magis quam ex filiabus, quãuis minus certos diligere solemus. quoniam perfecta magis diligimus ac nobis magis similia: atq; ita plus filiabus filios, atq; ob id descendentes ex filijs etiam magis quã ex filiabus. Plusq; potest etiam perfectio similitudine, nam & matres magis diligunt masculos filios, quamuis sexu dißimiles quã fœminas. Multa enim sunt quæ rationẽ non obscurã habẽt, uelut cur ego longè magis doleã ereptũ filium à iudicib. quam si morbo, quã si casu obijsset, nec tamen promptũ est cuiq; diuinare. Quidam enim dicerẽt ob dedecus, falluntur satis sibi est decoris ex sua uirtute & eruditione probitateq;, neq; enim melior aut magis pius ac officiosus illo fuit. Illius integritatem facile conijcere poteratis ex acerba ultione in reliquum filium, quamuis nec ille malus sit. arceant illum modo ex suo albo medici, damnent iudices: nostri etiam labores illum quo ad uixero illustrabunt, nõ necis crudelitate, nulla enim mitior, nulla breuior. ostendimus enim celerrimas & lentißimas (si ita dicere licet) solum dolore uacare, & si aliquis fuisset, breuißimus fuit. Quid ergo mihi dolorem auget? non ereptam esse uitam ab eo qui dedit, qui seruauit: casus enim & morbi in Deum referuntur. Quæ à Deo eripiuntur nõ ui, non iniustè auferuntur. ipsę enim & optimus est iudex, & eripit quod dedit. Itaq; sapienter Sen. Venetus hominẽ qui Deo in sacerdotio castitatẽ uouerat, mona-

chum

chum uocant, pötificis cum authoritate ut pium genus Iustinianorũ instauraret, è claustro extraxerũt, cõiugioq́; ornarũt. Ex quo nunc qui florẽt in ea familia omnes orti sunt. Rectè quidem miserebat Senatũ illũ tot illustriũ maiorũ, qui beneficijs in Rempub. floruerant quòd stirps eorum decederet ac extingueretur. Nuper Franciscus Gallorũ rex insignis, uel hoc solo inter diuinos uiros (tametsi suæ uirtutis exempla non desint) numerãdus, quòd Episcopo Magalonæ urbis in insula olim nũc dirutæ & trãslato titulo Montispesulani, quia uir esset eruditißimus, uxorem ex qua ille nunc lætus filijs susceptis uiuit, conceßit & impetrauit, quãuis Græco potius quam Ro. more, ne stirps sapientis uiri orbi & Galliæ suæ eriperetur. Quòd si quis prolem nũquã suscepit? forsan iuuenis eruditus & uirtute præditus insigni, cõsanguineis nõ ualde cõiunctis, quiq́; nõ egeant, nec generosæ indolis sint honestè præferri poterit, maximè cognatis: semper aũt si filiæ iũgere cupias, melius enim est nepotes præstantes sperare, quam duplici uinculo cõiunctos. Eadẽ aũt ratione instituẽdi sunt adoptiui quam naturales, minoreq́; cũ indulgẽtia, quòd adoptiuorum copia defutura non sit. Cauere etiã oportet ne adoptiuos efficias quo tempore naturalis adhuc sperare potes. nam impedient illi uel propinqui sui, ne suscipias filios: aut si id faciat nemo? susceptis illis in litem deduces rem. uelut contigit Angelo Cardano qui Andream quendam adoptauit.

Inde

Inde ducta uxore & filijs natis pater contra filium sub iudice fuerunt: laudo autem ut præstantem deligas puerum aut adolescentem, quem uni ex agnatis puellæ iunges. sic enim familiæ ob ius adoptionis, agnationi ob puellam, uirtuti ac animi tranquillitati, ob iuuenis egregias dotes satisfacies. Sed si è familia masculus præstanti indole sit, hunc alieno etiam cum coniugio illo præferemus.

Cæterùm si naturales, spurij, incertiùe filij sint, quid agendum? adoptioni ne locus erit? Sic inquam distinguemus: naturales & spurij quod ad hoc pertinet propositum legittimis æquiperantur, tametsi lex iubeat illos sequi matris familiam. Parum tamen hæc referunt nobis, ut dictum est, leges naturæ ac æternitatis studiū sequentibus: nam nomina, ut dixi, cum commutari necesse sit, nec semel & breui, familiæq; & maiorum memoriam interire, quantumuis serò id accidat? certè tamen nec serò, sola stirpis ratio naturalis obseruanda erit. Quomodo ergo liber filius appelletur, quanquā nec mos hic uigeat, filius ille pro legitimo etiam habendus est, nec erit adoptioni locus. Quod etiam alia lex de Decurionum electione censet, quæ spurios non reijcit ab hac dignitate quanquam non uulgari, adijciens non debere naturalium obscuritatem uirtuti nocere, nec ad gloriam uiam præcludere.

Ergo nil superest in his, quam ut auxilio Cæsaris per legem legittimus reddatur, seu spurius sit seu natu-

ralis tantum. circumferuntur autem plurima huiusmodi priuilegia per eos quos palatinos comites i. è palatio uocãt. Nec uerearis quod dici solet tales scilicet esse malorum morum: nam hoc contingit solum, quia nothi non apud utrunq; parentem simul, sed apud alterũ tantum educantur. quod & si legittimi sic educantur, tantundem deprauati euadunt. De incertis autem alia ratio est: nam hos si plures sunt tanquã ueros habere oportet. Modo enim unus sit, manet stirps. Sed si unus tantum, secum alium cũiunctum adoptare licet. Vtcũq; sit præstat stirpis suæ sententia relinquere ob hoc, ni unus alteri sit impedimento & contumaces & improbos & stultos, & spurios ac incertos filios ac filias amplexari debemus. Et si tales sint ut non sine infamia uiuere poßint, quã citius suscipere nepotes. Similiter & in filijs fratrum naturalium naturalibusq;. Quãquam Moses matrimoniorum commodo ac fauori consulens è templo spurios ad decimam usq; generationem excludat: Alibi usq; ad quartã: nihilominus illæ singulorum utilitati per publicã consuluit, nos publicæ per id quod unicuiq; optimum est. Quibusdam autem contingit ut legitimos filios suscipere nequeant, quare his expedit ut naturales quouis modo & incertos amplectantur. Atq; hæc de luctu & orbitate.

Sed uideri oblitus esse possum principalis intenti, si quidem ut docerem commoda quæ ex huiusmodi necessitatibus decerpi possunt. Quæ tamen quantumuis

numerosa sint ampla atque magnifica: nemo tam amens sit, ut nostris temporibus nisi uilis lictor qui orbitatem cum illis commodis, aut ornamentis aut luctum filijs quantacunq; in paupertate enutritis præferat. Si tamen sors quod absit cuiquam tam praua obtigerit, ea enumerare uelim. satius enim est aliquid habere quam nihil, & in quauis causa quod optimum sit eligere: uirtutisque beneficio uti quam more uaccarum uoce lamentabili dolorem animi ac luctum declarare. Sunt autem quædam generalia utriq; auxilia & commoda ob quæ distulimus hanc tractationem quæ libro propria est. quædam peculiaria singulis eorum. In unoquoque genere etiam sunt auxilia aduersus dolorem animi, commodáque ipsius calamitatis. Auxilia uerò generalia, quamuis plura superius docuerim, ipsa tamen infelici experientia didici nullum esse præclarius auxilium mutatione loci, ac profunda & firma cogitatione. Dum enim animus illi insistere cogitur, cogitur & luctus obliuisci. Quòd & si hac cogitatione causas doloris minuas, itaque repræsentes ut docearis, nil melius esse potest.

Concludo igitur tria oportere in unum cogere: discessum è loco in quo casus accidit, ne obuersando species amißi filij illic ei occurri, ibi morabatur. renoues dolorem, quoniam sis imparatus ad auxilium: Secundum, ut cogitatio intenta sit quæ te auocet à causis doloris: Tertium, ut rationes auferendi uel minuendi do-

loris

loris inuenias. Sunt autem maximè in patre duæ causæ doloris, misericordia propter illum, spes ob te & sobolem stirpisq; continuationem. Misericordia non uexaberis, si illi non defuisse certò tibi poßis persuadere, atque etiam credere, quòd ille minimè te amabat. De spe tibi satisfacies si tibi alias proposueris. Sed uirum nobilem animoq; præstantem longè plus uexat misericordia quam spei casus atq; amißio, maximè ubi luctus sit non orbitas. Verùm hanc intentionem animi quàm necessaria sit in his casibus insinuauit Plato in Phœdòne, dum Socratem inducit adeò acriter iugiterq; disputantem: atq; in re maximè ad propositum pertinente, scilicet de animorum immortalitate. Parum enim etiã si plebeiæ sortis nõ elati illius animi fuisset Socrates talia meditando, docendo, disputando: interim affici poterat metu mortis. Sed maior est difficultas in introducenda cogitatione, quam introducta illa in eijciendo luctum, aut propriæ mortis metum. Vnde non eandem existimo fuisse utilitatem in reuoluendo Platonis Phœdonem, ut Cato ac Iulianus Imperator fecit, ac legẽdo quæ fuit in Socrate disputãdo. Secũdum auxiliũ est, cogitare quòd in dies quanto propior sis morti, tantò propior sis occursui filij. Expectatio mortis omnibus naturaliter grauis est, occursus filij grata ac dulcißima. Ita quod acerbißimum est in uita nullo meliore auxilio quam luctu mollitur atq; dulcescit: adeo ut quidã non tam ob desperationem quam ob spem filios asse-

quendi atq; cōueniendi illos se uel morti obiecerint uel eam asciuerint. E quorū numero fuit Octauius Balbus, & Blauus & Arantij coniux & Gordianus senior imperator, qui cæso filio in prælio laqueo in cubiculo se suspendit. Verùm scio quod dices? Si modo occurres filio mortuus ut supra dixi? at:

Hoc opus hic labor est?

Sed premium hoc est bonorum, scire atque cōsequi. neq; enim qui rectè uixit de hoc dubitare debet neque potest, sed eum occursum expectare, ut triplici felicitate beeris, quod à morte superstis superstitq; ille, eiq; iungaris, & quod hos his reliqueris quos expectes. Itaque animi parentum in filios tales esse debent quales in seipsos, filiorum quoque in parentes. ita dulcißimus erit conuictus, nec sic illos ama, ut cuiquā ob illos obsis: aut ut nostris temporibus infanda omnia facias, ut illos diuites relinquas. Tertium auxilium est ut mediteris omnia quæ ad solatium filij sunt. Id fiet si quæ illum si uiueret uelle scis, quæ honesta sint peragas: illos tueri, amare, fouere, qui illum beneficijs affecerūt. Ita ego illius filiolum supremis tabulis commendatum curo ut ipsum. Et multo diligentius, quòd fortuna permittat et casus filij auxerit miserationem. Ita singula meditari decet quæ illi si uiueret placitura existimaueris. Hac ratione etiam libros illius, ut æternum monumentum redemi. Quod propositum non solum dum efficis, sed etiam dum speras, dum etiam citra tuam operā euenerit, plurimum

plurimum te delectat. Sic illud:

Vlta uirũ pœnas inimice à fratre recœpi.

Fœlix Et nimium fœlix.

Itaq; si moreris liberaris à pœna: Si superuixeris, necesse est ut multa etiam te nihil agente uideas per quæ soleris. Ob æs alienum, filias, uxorem quæ mortem filij mei longè diutius grauiusq; luxerunt quã ego. Sed & illa tecũ reuolue per quæ Cice. semetipsum solabatur in morte Tulliolæ tẽporum calamitates præsentes, & maiorum expectationem. Nihil est quod placere possit nũc: si Romanus patritius quod Cæsar regnaret hoc solo se infelicem arbitrabatur? nam illi præsentẽ habebant principẽ & unum & pacis securitatẽ, nos plures & ipsum qui præest longius disiunctũ, & multos principes in orbe potẽtes. Vt tametsi tranquilla pace fruamur, non tamẽ adeò secura ut olim sub Cæsare. In priuatis etiam rebus consydera molestias, casus fortunæ, improbitatem omnium, tot mala, tot metus, tam infirmam conditionem nostram. Inuenies si non nihil omnino, tamen parum saltem amisisse. Tot mihi in hoc argumento dicenda occurrunt, ut uererer ne principes mihi silentium imponerent. adeò multa per quæ esse nolis & magna, tam pauca exiguaq; per quæ uelis. Quintũ est, ut illud tecum cogites quã indignè se gesserit erga Deũ, erga te. Laudo nõ parũ tria illa extrema carmina sub nomine lucretiæ uxoris Bruti ab Alcyonio facta.

Qui id probasse cæde uel mea graui

Lubet, statim animum purum oportere extrahi
Ab inquinati corporis custodia.

Facto illa comprobauit quanti pudorem faceret: at nostro tēpore hæc negligūtur. Equidē cū flagitiosus sit filius aut tu, nec speres rependere pro flagitijs, si Deum quicquā curas, cur uiuere uelis aut cupias? obæratus ære alieno, uinculis debetur, obærati scelerib. Deo libera aura frui permittūtur? Illud etiam ad rem facit, quod si ex filio nepotes suscepisti, illos pro filio amplexare, diuiniores enim sunt quia mundi fini propinquiores, securiusq; posteritatis argumentum præbent. Si nullos, cogita quacunq; uia potes non esse filium tuū qui è uiuis excessit, licet fallere se, iniuriam uxori sola cogitatione afferre, non facto, non uerbo ullo, ut te ab immodico amore, à uitæ & insaniæ periculo uindices, omnia decet experiri ne Gordianum, ut dixi, seniorem imiteris: quamobrem & inter ultima præsidia hoc recensui. Sicut & illud quod leue est, ut cogites quoniam aliquando omnino fati necessitate moriturus erat. Finge tempus illud præterijsse in illo te consistere. iam gaudebis longiore tua ætate, de illius interitu utpote necessario non dolebis.

Ne irrideas hæc auxiliares. cogitatione constat nō natura, nam equæ & uaccæ paucis diebus & iacturā & iniuriam finiunt, mares omnino non curant: solus homo hanc molestiā ratiōe in immēsum extēdit: quod igitur uitio ratiōis deperit nobis, quod mali est si fallēdo

ratio-

rationem in integrum restituamus? Atq; hæc quanquã pleraq; intacta ab antiquis: ex eo sunt tamen genere in quo quam potuit diligẽtißimè uersatus est Crantor scribendo consolationem sibi pro morte filiæ, quam Plutarchus maxima ex parte ad se transtulit, quæ sequuntur & specie & genere ab alijs intacta prorsus sunt, & ad hanc propriè pertinent tractationem. Scribemus autẽ primo de luctu.

Primum igitur didici luctũ reddere hominẽ ab alijs molestijs, ni ex eodem genere sint tutũ, nam adeò ingẽs est dolor ut illud Hippocratis bellè ei conueniat. Duorum dolorum qui non in eadem arte fiunt maior obscurat minorem. Itaq; ex eo quod antea non faciebam, contemnere paupertatem, infamiam, contemptum, leues morbos, superiorum minas, aliaque huiusmodi quæ hominem perpetua solicitudine tenere solent didici. Deinde quantus sit amor patris in filium, atque ex eo animos reliquorum hominum in suos filios æstimare, neq; enim antea scire aut potui aut licuit. Si enim sciuissem hauddubiè omnib. alijs postpositis solũ huic negotio intendißẽ. Solet dici: Vbi intenderis ingenium ualet. Itaq; uos ô lectores admoneo ut meo malo discatis hoc, quod incomparabilis est amor patris in amissum filiũ, ei quem dũ filius uiuit præsentit. Cognoui etiã ex eo quantã curã superstitib. adhibere oporteat, ut nihil prætermittendũ. laudo sentẽtiã illius qui dixit, nihil debere præponere filio, nec filiũ quicquã rursus

patri. nam ad fœlicitatem egregium certè præceptum est. Optimatū uerò quanta sit gratia, misericordia, quāta humanitas, quam parui faciant nos nostraq;, uirtutē, eruditionem, quam exiguo suo commodo aut studio conseruandi inanem illam gloriosam, quæ nec anno uno ab obitu manet. Quamobrem nulli rei fidere iam oportet, nisi potētiæ atq; pecunijs & opibus, ô quam benedixisti Horati?

O ciues ciues quærenda pecunia primum:
Virtus post nummos
Imò malè, sed rectè sic:
O ciues ciues quærenda pecunia solum
Virtus despicitur.

Itaq; consilium hoc non mutauit (nam oportunè, si quid tale opportunè aduenisse dici potest? aduenit exactis laboribus) sed temperauit: Non oportere eum qui philosophiæ operam dederit hominū mores existimare suis similes, sed ut hominis suos: ita eorum qui à philosophia sunt alieni, uelut apud circē, leonum, luporū, draconum, ac uiperarū dira facta, immania, expertia prorsus omnis humanioris exēpli, atq; eo sæuiora quo magis imbuta literis. Etenim eruditio si philosophiæ iuncta non sit, est uelut uinum uenenis, quod ea longè deteriora reddit. nam & uelare malè facta docet eruditio, & ambitione & auaritia magis replet corda hominum, & spem minuit immortalitatis animi ac premiorum à morte. Non credis hæc? compara Tiberium,

Claudium,

Claudium, Caligulam, Neronem, Domitianum, Traiano, Antonino Pio, Alexandro Seuero. Solus Antoninus Philosophus ex his qui eruditi fuerunt laude dignus, quia philosophus. In uniuersum omnes eruditi principes mali ni philosophi sint, pleriq; imperiti boni. Quis melior Ferrando Gonzaga? Naturali ratione ductus dicere solitus erat, qui adulteram occidit nunquam ex deliberatione id fecisse dici potest, quoniam perpetuò maritus iniuria afficitur? seruatus est plenè Moretus ad mortem damnatus, alijq; multi ex eadem damnatione missi ad triremes? Quid obstat? nil: Sed tamen clamabant pater & mater publice. Quare sinebatis? satis intellexi, miser quod uelum his clamoribus obtenderetur saluti filij mei. Sed ira, indignatione, misericordiaq; simul commouebar. ipse enim filius meus hoc poculũ sibi parauerat, ipse sibi intriuerat. O saxa ô terra, mare, cœlum cur not sustinetis? Chironis formam pulchrè Alciatus magistratibus tribuit. Didici blandis sub uerbis atrocia facta latere, quantum malum latus inuidiæ habere detectum, quantum absint odia satrapum, incõstantiam humanarum rerum, fortunæ uolubilitatem quæ unico momento omnem humanam fœlicitatẽ euertere solet. Itaq; illud dicam:

Nemo confidat nimium secundis

Sed non illud

Nemo desperet meliora lapsis.

Sed omnibus ualedicens in paucis & ad pauca stu-

dia mea retraham. auxi mirum in modum scripta commentariaq; mea, dum hoc solum tranquillitatis tempus imò potius remißionis à luctu inuenio: quod ut dixi intenta cogitatione scribendo incumbo. Intellexi decreta astrorum, ostentaq; supra naturam plurimũ poße. non tamẽ cedam in posterum ostentis uel fatis: adeò ut necesse sit illis horũ autorib. uel ea celare, uel maiorẽ imponere necessitatẽ: ne quod forsan decreti uiolentia cõtigit, id ego dum negligentius ago mea culpa accidisse arbitror, ob quod forsan factũ atq; cogitationẽ, nam et cum genijs ut uideo pugnare cogor, euenit ut horũ qui supersunt, dico descendentium aut mei nullum prodigium extet. diffidunt enim posse me in futurũ suis ostẽtis decipere. Nunquã tam bene auaritiã ministrorũ, hominũ dolos, ambitionẽ, perfidiã, rapinas multorũ cognoui, idq; etiã plus posse longè inuidiã quã uirtutẽ, odiũ quã innocẽtiã, promissa magnifica ultra labia nõ extẽdi, quamobrem in posterũ mercabor omnia fide Græca. Nullum esse crimen deterius stulticia, filiosq; qui parentibus non obediunt infelicem plerunq; habere exitum. Vnde quod nunquam antea intellexeram, nec satis explicatum ab aliquo animaduerti. nũc uideo quorsum tendat dictũ illud scilicet Mosis: Honora patrẽ tuũ & matrem tuam si uis esse longæuus super terram. Ille lõgæuus est qui implet annos sibi à natura decretos, etiam si 1 anno intereat: qui præripitur ui, ante tempus, etiam si 70 annum superauerit, non est longæuus, quoniam

niam naturæ decreta tempora percipere non potuit. Ad uiolentiam igitur potius præceptum illud pertinet quam ad uitæ temporis breuitatem. Quanquam sub uelamine hæc, quemadmodũ & reliqua oracula proferri solent Moses docuerit. nã postq; ut dixi nullũ uitæ spaciũ nostræ lõgũ esse potest, id solũ longũ appellare licebit, quòd à natura concessũ, breue quod interrũpitur. Illud etiã ostẽdi quod quãuis corde essẽ tenerrimo, misericordiaq; illa immensa filij quem supra me ipsum diligebam detinerer, rationibus tamen superius adductis atq; auxilijs tantum profecisse, ut pauculis lachrymis, pluribus suspirijs ac gemitibus clam editis, ne omnino disrumperer, cõstantissimè munus legendi obiuisse, autoritatemq; adeò integrè retinuisse, ut nunquam aliàs frequentius habuerim auditorium. Atq; hæc de luctu, nunc de orbitate agamus.

DE ORBITATE.

Habet enim præter hæc orbitas seorsum alia cõmoda, atq; in primis securitatẽ et libertatẽ. dicebat Cæselius cũ decretis Cæs. Aug. unus subscribere nollet, illeq; minaretur, magnã libertatẽ & securitatẽ exhibere ipsi senectutem & orbitatem. Simili fermè audacia imò lõgè maiore Plebeius quidam aduersus Pompeium usus est, exprobrans illi quæ nec perferre posset Galba ille in Satyra agitatus, nec mirum. nihil enim adeò ad securitatem facit, quam quod desit materia, in quam ira

ira desæuiat orbitas filijs metuere prohibet, senectus uitæ nostræ. Aliud est utilius sanè emolumentum, quod orbi ab omnibus obseruantur, dona recipiunt, omne rarum, omne pulchrum, preciosum, magistratus, honores, scorta, delitiæq; orborum sunt. Fœlix est si ad hæc respicimus, orbi conditio iam trita res est & ab omnibus tractata oratoribus, enarrata historicis, poëtis decantata. Vnde illud Epigrammatici:

Scis te captari, scis hunc qui te captat auarum
 Et scis qui captat, quid Mariane uelit,
Tu tamen hunc tabulis hæredem stultè supremis
 Scribis & esse tuo uis furiosè loco.

Et rursus:

Orbus es & locuples & Bruto consule natus
 Esse tibi ueras credis amicitias?
Sunt Veræ, sed quas iuuenis quas pauper habebas.
 Qui nouus est mortem diligit ille tuam.

Ad illud etiam alludit Iuuenalis.

Nec meliora ac plura reponit
Persicus orborũ laudatißimus.

Et illud Ciceronianum.

Quem nutum locupletis orbi senis non obseruant!
Simile illud Luciani, dum fingit orbum captatũ à pluribus, uelut piscem lupum deuorasse hamum, id est, dona recepisse & officia gratuita: uerum domesticum adolescentem hæredem reliquisse. Itaq; eius orbi qui nũquam habuit filios hæc uenatio non contemnenda est,

maximè

maximè si ut oportet artem meretricam calleat. nam sic illum omnibus blandiri oportet, ut omnes præponi se ab eo existiment. Aliorum igitur munera libēter accipiat, alijs mittat, alios inuitet ad cœnam, ad alios etiā non inuitatus accedat. errare non potest, etiamsi sordidiusculus sit, diues modo sit & ad piscatores eat, salutet hos, illos ueneretur, ab alijs mutuum petat, alijs cōcedat: quosdam hilariter excipiat, alijs occurrat, alios amplectatur, cum quibusdam ad ludos, cum quibusdā ad uenationes accedat: trahat cum alijs longos sermones, cum alijs secretos agitet, oculo altero suppresso cōniueat his, illis tacitus arrideat: huic domus die semper pateat, alteri noctu, alium dum exonerat aluum, alium dum in lecto cubat etiamsi cū scorto sit admittat: quosdam aßidere prope iubeat, huius uxorem illius filium requirat: quorundam etiam gnatos in domo alat, aliorum curet institui. Quibusdam ministeria publica & administrationes & stipendia dari curet, omnes officijs iuuet, blandis uerbis salutet, læta fronte excipiat, sua secreta committere simulet, consiliumq; petat & quanto sunt stultiores. Habebit orbus facile diues magistratus & principes, proconsulesq; prouinciarū nō solum familiares sed & amicos. nec tantum ob eam spē sed etiam potentiam, quod obseruentur à pluribus.

Atq; hac causa scilicet tot commodorum antiqui nō solum orbitate utebātur, sed & illam, ut Seneca refert, simulabant, abscōditis, abdicatis eiectisq; filijs, ut simul

utroq;

utroq; commodo fruerentur & posteritatis & munerum honorũ ac potẽtiæ, quib. postmodũ captatis lupis maiores relinquebãt opes. Sed Catilina ostẽdit quã parũ curaret orbitatẽ qui pubescẽtẽ unicũ filiũ sustulit, ut nuptijs Orestillæ prædiuitis fœminæ potiretur. Dignus sanè uir tãto supplicio, tali fine & interitu stirpis qualẽ habuit. Sed hæc forsan parũ in uiris uideamus: in matrib. Cleopatra Antiochi Assyriæ Regis uxor, cũ duos haberet filios Seleucũ & Gryphũ, Seleucũ ut regnaret sola interfici curauit Gryphũ, inde ueneno conata sustollere detectis insidijs coacta est suo ueneno perire. Itaq; uides quã parui sit soboles etiã apud matres precij, atq; orbitas contempta? Et quod ultro sibi quærebat mater filiorũ certa, tu uir & incertus oblatum ferre non potes.

Quis maior, quis felicior, Sultano Solymano illi mortuus est filius, aliũ occidit Mustafa nomine atq; ex eo nepotẽ annorum 12: mortuus est & alius. ita nihil præter tuto regnare dulce putat, nec filios ad beatã uitam quicquam referre existimat. Huius pater Selimus aliquanto sæuior ipsum qui nunc regnat tentauit occidere, ut fœlicitatem orbitate definiret. Ad rem tamẽ redeo. nostris temporibus captatorũ loco solent religioni ac pietati dicata loca pro hæredibus institui, atq; id certè melius. sed sic plerunq; agitur, ut omne bonũ exẽplũ dũ modus nõ imponitur corrũpatur: multi nepotes & propinquos pauperes nulla ab illis iniuria lacessiti hæredi-

hæreditatib. quæ ad illos peruẽturæ eſſẽt lege, ſpoliãt. Sed ut dixi hac ex cauſa non ſunt, ut olim tanto in precio apud omnes orbi. Nec tamẽ adhuc deſunt clientes illis amici adulatores, ut eorum domus principales uideantur, uocenturq́; ad ludos, pompas & nuptias diſcũbantq́; inter primos, ſalutentur ab omnibus: alij illos uenerentur etiam, gratulenturq́; eis ac ipſos obſeruẽt. Præter hæc Rondelletius uir egregiæ eruditionis inter commoda orbitatis, cum ei unicus filius morte ereptus eſſet, numerabat ſplẽdidioris ac lautioris liberaliorisq́; uitæ curſum. Verum omnia hæc his qui filios non ſuſceperunt abundè pulchreq́; conueniunt: At in his qui illos modo huius noſtræ fœlicitatis expertes eſſe, quodq́; ſi uiuerent eodẽ modo obſeruarentur ab omnib. eadẽq́; eſſẽt accepturi munera, imò potiora melioraq́;. quod tamẽ falſum ẽ, ut dixi, abblãdiũtur. n. propter ſpẽ potiũdæ hæreditatis, nõ amicitiã uerã cõſiderãt etiã tũ cõmoda: nõ aũt illorũ ſcilicet filiorũ incõmoda, quæ rectè reputãtib. lõge maiora ſunt, ut dixi, cõmodis. nã ſi quis reputet quã rara fuerit gloria noſtra, uidebit nos fuiſſe ſatis beatos. Et tamẽ uix unquã potui uitæ huius ingreſſus ac curſus non pœnituiſſe. At dices nunc in luctu hæc? minimè: nam dimidium tertiæ partis ereptum eſt: & ſi rectè numeras relictum eſt ex hac parte filiorum & poſteritatis quantum fermè ſatis eſt, ut uno uel ad ſummum gradu ſim inferior. Sed obijcies quod antea uigintiſeptem numeris potior eſſem, amiſi ergo 28.

Sed ad

Sed ad eum non adeò spectat qui iustè commoda fœlicitatis metitur, tam subtiliter res metiri. nam si natus non fuisset & numerus inde maneret, me infœlicē non possem existimare: sed parum à felicitate abessem. At dices adest cum hoc contemptus & odium superiorum, ego ista non magnifacio, quia nota sunt: si antea præuidere potuissem, aliter rebus meis consuluissem. Ergo stat sententia illa Sileni:

Homini, inquam.

Non nasci esse bonum, aut natum cito morte perire.

Alijs ergo potius quam nobis nascimur, maioribus scilicet nostris ac Deo, nobis ac posteris nequaquam feliciter aut ex usu. Propterea non est increpandus Iobus cum dixit: Pereat dies in qua natus sum, nam si nobis nascimur, nullus ut nascatur optare debet. Eorum igitur qui præstanti sunt animo optima conditio est, prolem bonam suscepisse ac seruasse: proxima non suscepisse. Aliorum uerò non suscipere, proxima suscepisse & seruasse. post illorum qui orbitatis commodis uti norunt.

DE FILIO SVPPOSITO.



Eterrima uerò est eorum qui cum non susceperint suppositos aluerunt, tanquā suos, inde rescíscunt non esse suos. Vide quot incommoda? cura tot annorum & impensæ

impensæ periere, aluisti filium iniqui adulteri, perfidæ uxoris, filium amisisti, dedecus, irrisio, memoria iniuriæ tot annorum atq; contumeliæ, amissa occasio proprios reparandi, contemptus dolor, omnium rerum cõfusio, Mœcha uxor, filius alienus, tot proditores domestici qui unà cum uxore & adultero consenserunt. Luctu hæc res deterior est, quòd in luctu proprium amisisti, sed sine dedecore contumeliaq;, hic cum dedecore & contumelia. In luctu perdidisti pecunias & labores insumptos, cum iusta ratione ac ampla spe: in supposito impensæ & labores fraude periere, sine ulla spe si resciuisses.

Sed hoc tamen magna indiget consideratione, primum, si non resciuisses quod ad fœlicitatem attinet æquè fœlix esses, ac si tuus fuisset. nam fœlicitas est uoluptas animæ ex ratione cognoscente professionem iucũdi. in deffinitione nihil uariatur. Sed tamen illud non est uerè iucundum, non est æternitatis surculus. Quid ergo? laudabimus ne absurdam consuetudinem Lacedæmoniorum, qui uxores suas adamato adolescenti subijciebant, filiosq; susceptos pro suis aiebant? Certè stulta prorsus est consuetudo: neq; enim re neq; opinione iucundum tunc possidetur. Quamobrem nõ est hæc fœlicitatis, sed stultitiæ ansa. Magis probandũ quod Iudæi faciunt (Nihil enim incognitũ maiorib. nostris, tametsi rationẽ nõ addiderint) uxori defuncti fratris alter frater iũgitur, & qui nascitur filius cẽsetur prioris

coniugis,idq; iustè, parū enim abest filius à nepote,est etiā,ut ita dicā,priuignus,sed caret nomine,ē aūt quasi è regiōe oppositus ὑστερογένης Græcè dici potest,quasi post genitus. Indi præferūt etiā filijs & in hæreditate & amore filios sororū,iustè id etiā ac sapiēter, siquidē illi filij sunt certi sororis, quia illa eos peperit, soror rursus certa quia eadē matre genita, nihil ergo certius affinitate,seu matris potius cognatione. Ergo optimi hi post suscepti Hebræorum more. At dices, nobis hoc licet,simplicius idem habemus scilicet nepotes ex fratre genitos in quib.etiā familiæ nomen seruatur. Post sunt suscepti Lacedæmoniorum more suppositis præstantiores,quòd citra fraudem geniti sint, non ut illi, & ex amico non inimico:uerum melius erit ex amico & agnata cognataúe non ex propria uxore natos admittere. Vltimum locum obtinent qui suppositi sunt non resciscente alumno,quoniam felices quoquomodo sibi uidentur,alijs non ita. Atq; hæc felicitas stultorum felicitati persimilis est. Sed stultorum felicitas omnino nulla est,quoniam certum est illos decipi:eorū qui suppositum alunt incerta,neq; enim fieri potest ut quis sanæ mentis aliquem filium aliquādiu existimare possit esse suum,inde certo cognoscat suum non esse. Sed dubitare poterit,aliter ab initio demens fuisset. Iam ergo ubi resciueris,apud Christianos optimum est inuentum auxilium,ut in phratriam aliquam conijciantur,amittunt ibi ius hæreditatis,unde etiam mortui mundo appellantur,nec tamen pereunt,sed iugiter seruiūt domino:qui-

no: quidam etiam eruditi euadunt, alij ad dignitates descendũt sacerdotum, usq; adeò ut nonnulli in summos Põtifices euaserint. Scio plures matres in exomologesi coactas à presbyteris, suasisse coniugibus ut filios quos ipsæ norant non ex coniuge susceptos, phratriæ amandarent. Quidã stupidi non intelligebãt cauillationem, alij paruerunt: seu intelligerent, seu non. Sed & alij rursus cum resciuissent maluerunt retinere ob unã trium causarũ, scilicet uel quia nunquã poterant tam esse certi quod filij sui non essent, quã quod certi essent certos esse non posse. Et quanquam spes exigua esset, tamẽ quia si amitterentur & essent proprij longè plus amittebatur, quã si alienus retineretur. in his sola impẽsa et exigua iam peritura est, quando maior pars effluxerit quæ recuperari nequeat: in ueris si pereãt impensa, labor & filius quod maius est perit. Itaq; melius est lõgè retinere alienũ, quam propriũ amittere, atq; perdere. Sed circa hæc dubitatio, an centum atnepotes ex decem filijs mixtis etiam inuicem abnepotibus plus referãt totidẽ ex uno filio procreatis: uidetur enim in priorib. plus esse seminis tui atq; substãtiæ. Verùm id nõ referre puto: quoniã cũ ad infinitũ numerũ generationũ refertur, differẽtia nulla euadit, si enim impreßio est tã ex uno quã ex 10 perfecta similitudo seruabitur, sin aũt substãtiæ discrimẽ rursus nullũ. tam bene igitur modò totidẽ pro securitate generẽtur, ut nepotes ex uno quã 10 filijs similitudo tua integra seruabitur in illis.

Gaudeant igitur & qui unicum filium filiamúe relinquunt. Sed quisnam charior atnepos uel filius? Sensu quidem filius, experientia enim deprehendi: maior etiam est nostri pars cum atnepos tot sit aliorum, filius autem tui tantum & uxoris. at ille maiorem præbet perpetuitatis spem, atq; in eo filij nepotis & abnepotis imagines relucent? Et si in eo amor minueretur non esset perpetuitati coniunctus, quoniam deficeret paulatim: ideoq; nec filij amor esset & nostri, quamobrem uerè charior atnepos modo certus. Vt ad rem redeam, retinendorum filiorum altera & secunda causa est quod ipsa per se educatio dulcis est, & tot propter illorum exacti labores, piget omnia amisisse. Vbi ergo proprij desint, iuuat hos loco filiorum retinere, maximè si res ipsa non adeò manifesta sit populo. ob id uidemus multos sponte educatos cum alienos esse scirent, & tamen hæredes uniuersales institutos. Scio principem quendam cogitasse ut ex uxore iuuencula & grato adolescente hæredem regni susciperet, sed morte præuentum.

Tertia causa, si accedat uirtus, probitas, mansuetudoq; alumni, quam facile tunc & tenaciter retineri solet: Sed si iam tibi proprij sint filij, alienus improbus sed adultus nolit se eijci è domo? Vt contigit in urbe nostra in duobus familijs patritijs, in quibus quamuis mater marito testaretur non ex illo conceptos, neq; iure neq; persuasionibus hæreditati renũciare uoluerũt.

Vnde

Vnde magna inter fratres, quos saltem uterinos esse cõstabat conflata inuidia est. Tunc ergo emolumenta hæc captare ex calamitate licet, instrues illos ut filios, seuerius ac securius, licet cum in eodem periculo non sis si pereant: habebis adiutores fidos atq; auxiliatores, modo non illi sciant se esse subdititios, ac ut ita dicam nothos, tunc enim nec tutum esset tibi si alios habeas filios educare in domo atq; habere, neq; si habeas illis. periculum enim ingens est ne spe hæreditatis, naturæ improbitate, metúue eijciantur aut post habeantur, atq; iniuriarum ac contemptus irritatione, aut tibi si solus fueris, aut illis scilicet proprijs filijs insidientur. Ceterùm bona merx si scias uti. nam labore seruos, amore filios sese præstabunt. Quinetiam proprij filij hoc exemplo meliores euadent. Erunt etiam per tutela filijs naturalibus, ac uelut cortex nucleo nucũ & castaneæ malo. Laboribus igitur citra contumeliam omnem exercere illos conuenit, industriosq; reddere. Circa hæreditatis uerò portionẽ postquam, ut dixi, neq; si mater etiã fateatur scire potes non esse tuos, parum aberrabis si suam illis partẽ relinquas. Curabis autem ut primum tantundem suã diligentia ac labore sibiipsi acquirant, aut saltem non exiguam eius portionẽ. Deinde etiã naturalib. clã plura subministrabis, sic ut id partũ suo labore mẽtiantur, sed nõ mentiẽtur. suũ enim si dicant ac propriũ, nõ à ueritate lõgius discedent, nã quæ sunt patris etiã filij proprij ueriq; sunt. Stultũ .n. cũ scias? plus

uelle posse errantẽ legẽ quam naturã: Curabis etiã omni studio incertos (sic enim malo appellare dubios quã suppositos) ut agnatæ tuæ copulentur. Sicq; sensim trãsibũt in coniunctionẽ tuã? Sed si omnino nolint, innupti maneãt, illisq; proprios filios inter secundos hæredes subrogabis. Quod etsi in hoc non pareant, sed aliã ducere uelint uxorem, curabis ut eorũ filiæ filijs propriorũ filiorũ iungantur, & filij filiabus. Quod si lex diuina obstiterit, supremis uerbis ut obseruetur tanquã gentilis mos imperabis. Solẽt .n. filij. hæc suprema mãdata patris, has ultimas uoces diligenter obseruare. Nil pensi habeas ut omnia hæc absoluãtur, uxori tuæ si superfit nurib. affinibus, cognatis, agnatis, quosq; magis idoneos existimaueris, hæc dicito. Sum. Põt. supplicato, nam à 2 gradu aut 4 ciuili solet indulgere. omnia cõsultè facito, sed caueto ne cuiquã prodas causam, imò nec filijs proprijs. stultum enim esset etiamsi certus fores, hæc semina inimicitiæ inter illos serere, quanto magis cum incertus fueris.

Claudere librum iam decreueramus, atq; cum eo simul opus. Sed obtulit se scrupus quidam forsan nõ adeò læuis, ut prima fronte uidetur, scilicet an præstet filios nobis undequaq; dißimiles moribus, aut nepotes in quibus nulla sit spes emendationis, superesse? Video enim & Aristippum & alios philosophos non probare illos qui nec sibi nec patriæ utiles futuri sint, nec decori parentibus aut familiæ.

Quis

Quin etiam alios perdere poßint, seu stultitia sua, seu impatiētia, seu scelere. His enim peccatis si prorsus spes non sit quòd corrigantur, necesse est filios se non solum, sed etiam suos coniunctißimos tandem perdere. At uerò, ut dixi ex aduerso est illud, nihil esse deterius quā nō esse. hoc .n. naturæ peccatū est, illa morū ac gētiū. Et sicut ex sapiēti uiro oritur persæpe stultißimus filius, ita cōtra ex stultißimo patre sapiētißimus filius nasci potest. Quocirca distinguere rem, non uniusmodi multis modis oportet, si improbitas cū stulticia cōiūcta sit, præstat quam celerrimè duobus aut tribus filijs susceptis illum interire, aut uinculis perpetuis detineri. Si solum stultus, aut improbus, aut impatiens, diutius proferre oportet rem, donec plures oriantur: si plures habeas filios, tanto pauciores suscipere nepotes oportet ex his qui unà ex his tribus animi perturbationibus detinentur. Semper autem studere debes, ut ubi periculum est ne semetipsos euertant, ut celeriter copules illos, & nepotes ac prolem suscipias, & cum pauci aut ægri fuerint filij. Et ubi times ne sint suppositititij, ut descendentes inter se misceantur.

Circa institutionem aūt cauere, ne tam leuis sit ut ob noxij sint legibus, ne tam grauis ut inutiles reddas filios. Grauißimus ergo in malis & dum pueri sunt mollior in bonis & dum adolescunt: quosdam uelut in cauea continere conclusos pane & aqua modicè sustentare. Vbi leges fauent bonis habitare, leges bonæ

sunt qui ius naturæ sequuntur, quæ ubiq; seruantur, quæ lucrosa solum crimina inter flagitia ponunt. Hoc uerò est ultimum beatitatis humanæ argumentũ, & ultimus etiã finis stirpem in æternũ protendere. Virtus aũt tum in teipso, tum in illis perfectiõis humanæ. Sicut uitium quasi corruptio est. Sapientia uero aliquid plus humana conditione obtinet, & ad diuinam prope accedit. Auxiliorum uerò inopia, ut breuitas uitæ, paupertas, contemptus, morbi, iniuria, dolor, carcer atq; similia sunt uelut opes apud auarum, qui omnino illis negligat uti. Porrò est etiam aliud felicitatis genus, de quo in θεονόσῳ *dicemus nunc: aliudq; multò præstãtius quod perpetuum est atq; sempiternum, paratum his qui piè solum ac rectè uiuunt. Diximus autem de illo in beata uita, quæ in illo illustriore mundo atq; complicib. sempiternis luminibus atq; primis substantijs, tum etiã his qui extra hunc orbem circumferuntur, in quibus sensim adaucta felicitate ad absolutam puritatem mens deuenit. Vnde illis obliuio horum, sed non similium atq; charißimorum.*

Hæc igitur sunt Oc. Cusane quæ de Vtilitate capiẽda ex aduersis in hac ingrata calamitate scripsi, ut intelligãt homines oẽs fermè qui de miseria sua cõquærũtur, iniustè sortem, iniustè accusare fortunam, sed imprudẽtiam ac desidiam in tractandis rebus, uitiaq; nostra uitæ, quibus quasi funibus deuincti explicare non aduersus impendentes procellas negligimus in causa esse. Vt

nemo

nemo, nisi peccato suo, sit infœlix. Quod & ego satis plusquam uellem experior, dum pro publica utilitate priuatæ oblitus sum, & toties monitus iniuriarũ quas acceperam, sperabam integritate succedentium magistratuum tranquilliorem statum, & tamen opinio mea uelut Ciceronem de Octauio fefellerit. Cum quos patronos mihi arbitrabar longè deteriora sim expertus quam à ciuibus, quamuis æmulis & de commodo suo agentibus passus fuissem. Apertè enim declarant studia medicorũ causam filij mei, etiam si infensissimo illorũ collegio demandatũ fuisset filium meum non periturũ omnino. plusq; pudorem et honestatem quam propriæ utilitatis rationem momenti apud illos ac ponderis habituram, quam frequenti experimento didici: plura enim ab illis etiam iratis sum consecutus quam à blandientibus magistratibus. Moderare huiusmodi affectus sæpe non possumus, sæpius negligimus quia potiorem partem amisimus. intelligent rationem uitæ cum præceptis in reliquis omnibus conuenire. Rogo autem trinum illud numen, ut si è re sit tam dirum exemplũ genti illi remittere uelit, quòd paucorum oscitantia multo pauciorum peccato admissum sit. Intelliget tamen Rex mitissimus, quot et quãtorũ malorũ succedentiũ prodigium fuerit hæc mors in perpetuum, donec ab illo uindicetur. Septima enim Aprilis anni M. D. LX. ea cædes peracta est, atq; antea nos id impressis libellis ne fraudi M.S. aut illis esset testati sumus, cum etiam libel-

li illi fuerint publicati, quorum causa ne mētiri uiderer illos etiā Senatus mandato denuo imprimi curauimus.

Cæterum quod ad libri usum attinet, scire oportet eū qui uelit fructū huius colligere, nō ut ego feci studijs literarum & disciplinarū incūbere oportere, sed huic uni contemplationi agendo, exercendo, meditando, & maximè ea in parte qua maximè sibi opus esse intelligit, die noctuq; insistere, ut non solum quod didicit ad opus traducat, sed ut aßidua exercitatione facilem omnium præceptorum usum efficiat, & quæ legendo subterfugere quæ quam multa esse necesse est, ipsa meditatione & exercitationis frequentia deprehēdat. Valedictis igitur omnibus naturalibus & eloquentiæ ac literarum studijs, quærat tempus mensuramq; rerum, atq; initiū & decorem, quæ quatuor difficillima sunt, nec ulla arte scribi potuerunt, sed solertia, iudicio, moderatione, constantia atq; aßiduo, ut dixi, usu parantur atq; inueniuntur, ad optatamq; perfectionem ac finem deducuntur. Quantum uerò necesse est propriæ artis studijs, si arti alicui incumbat, singulo die tribuat, ut Deo satisfaciat. reliquum omne tempus, exercitationem, studium, meditationem, laboremq; in hoc uno argumento cōsumens, donec ipsum in digitis, ut dici solet, habeat. neq; enim paruum lucrum ei propositum est feliciter uiuere.

FINIS LIBRI IIII. & ultimi.

Desru-

DEFENSIO. IOAN. BAPTISTAE CARDANI FILII MEI PER HIEronymum Cardanum Medicum Mediolanensem.

Illustrissime præses Senatusq́.



N causa miserabilis huius adolescentis filij mei septem cõsideranda sunt, quæ fermè etiam à Claudio Saturnino describuntur: Exemplum publicum, Factum instrumentum, causa facti, Modus faciendi, Persona & quæ circunstant. Exemplo primum publico fermè pœnæ omnes ordinatæ sunt & grauiores aut leuiores factæ, non enim lex ut hunc puniat, sed ne cæteri delinquant punit. Ita factũ est ut si quis in foro ante ædes principis, in templo hominẽ occidat, grauius punitur, aliter leuius. Atq; hac ratione sanè cõstat, quod & si uxorem interfecisset, uos autem illum capite plecteretis pessimo exẽplo illud facturos esse, nam non solum uxoribus mœchari licebit, sed de adulterio, de filio supposito atq; ex adulterio procreato gloriari. Equidẽ hanc & quòd mœcharetur, & quod suppositos partus ediderit gloriatam, tum socrũ cum ea atq; corã ea palam est ex testibus, adeò ut etiam sit publicũ.

Quid

Quid hoc est ergo aliud quam connubia dissoluere, quæ secus tam grauia sunt his temporibus, ut pauci etiam cum honestate subire uelint? nónne hoc erit tollere omne humanum genus, omnem tranquillitatem domuum? omnémque securitatem filiorum, omnem etiam dulcedinem educationis sobolis, si quis eas que omnia publica priuatáque bona euertunt, quæ lege Iulia de Adulterijs mortis publicæ pœna dignæ sunt ulcisci uolunt, plectantur? At contra si absoluatis plenè, cui malo exemplo esse poterit? Mœchas semper habebitis, sed quæ adulterium marito obijciant; quæ filium ex adultero suscepisse coram marito fateantur, uix unquam habebitis. Et si habere contingat tales quibus non sufficiat adulterium perpetrasse, nisi et hoc curent ut resciscat maritus, ut filios natos ex adulterio coram marito & publicè profiteantur, maritique tantum dedecus, tantum dolorem ulciscantur. profectò iniustißimè (fortiter mihi pro bono publico loqui apud uos liceat in tam enormi scelere) feceritis si eos puniatis, quandoquidem tot solum in adulterio deprehensas, qui uxores occiderint maritos liberaueritis. Instrumentum forsan displicet uenenum. hoc quidam ex uestris doctoribus (mihi ignoscite uera dicenti) minus in philosophia experti, grauius esse putant quàm ferrum, adijcientes in ueneno adesse proditionem, difficiliusq; uitari.

Et ita ipsi de suo capite (ita mihi dicere liceat) leges

ges contra leges interpretari audent, atque hic error in plerisque artibus uiget. non hoc ueritas & ratio, non exemplum, non lex uult. De exemplo permittite licentiam hominibus, ut sine pœna homines occidant ferro uel ueneno inuenietis pro uno, quem ueneno occidere inimici aggrediantur centum quos ferro interemerint. Cur Sylla non milites Romanos sibi infensos ueneno sustulit sed ferro? Cur omnes leges, omnes populi, sontes ferro non ueneno occidunt? demptis solum Atheniensibus.

Qui apud Platonem in Phœdone, quanquam publicè comparatum, quanquam datum pro arbitrio, quanquam subtractis omnibus uxilijs, sæpe tamen bis aut ter repetere uenenum cogebantur. Vnde idem Saturninus inquit: Nonnunquam euenit ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimium multis grassantibus personis exemplo opus sit, quis ergo dubitat quod ad exemplum attinet deterius esse homines occidere ferro quàm ueneno? ob id optimè scripsit Callistratus: Venenarij capite puniēdi sunt, aut si dignitatis respectu agi oportuerit, deportandi. Velut in his habendam rationem dignitatis ac minuendam pœnam, non autem in siccarijs, quanquam etiam in siccarijs leges mutent pœnas, sed non tam seuero legis autore, qualis est Callistratus. hoc igitur est quia ueneno interficere quenquam licet, facto sit idem quod ferro, minus tamen mali exempli res est.

Sed

Sed dicetis non tibi non tibi credimus filium hac subtilitate tueri conanti atq; defendenti, nisi euidentem afferas rationem: licet enim quod ad publicum exemplū attinet deterius sit homines ferro occidere quam ueneno, quod longe plures occiderentur: quia tamē uenenū habet rationem proditionis minusq; uitari potest, & difficilius uenenarius deprehendi, ob hoc par est leges magis in hos sæuire quam siccarios. Ista sunt hominum qui sine legibus, sine philosophia, sine naturali sapiētia res bene inuētas peruertūt. dicatis mihi quæso cur Martianus scribat in hūc modū (Furta domestica si leuiora sint, publicè uindicanda non sunt, nec admittenda est huiusmodi accusatio. Et in his connumerat seruos, libertos & mercenarios. Et tamen constat à domesticis facilius fieri furtum posse quam ab alienis, & difficilius factum detegi & habere rationem proditionis. Nihilominus externos fures lex grauius puniri uult & accusari, & de eis haberi quæstionem. Eædem rationes in ueneno militant siccarij comparatione, & longè plures atq; euidentiores quam in furto domestico, comparatiōe facti ab externa persona. Causa pœnæ dicite quæso nonne est cōtemptus legis. Si lex non esset de uenenario, etiāsi filius meus esset sons, in carceribus iniustè detineretur à uobis procul dubio. Qui ferro occidit spernit ac cōtemnit palam legē, unde & qui corā iudice occidit aut principe grauius punitur, qui ueneno fallit legē, aut fallere conatur: at deterius est longè cōtemnere

nere

uere leges quam fallere & subterfugere. nam qui contemnit legem latro est, contemnit Principem, Magistratum, euertit Rempub. qui fallunt leges nunquam exempla desunt, & plura quam uellemus. omnes magis se amant quam alios, aut leges ipsas, hoc enim amare leges ex disciplina est, seipsum amare naturale est. Abest etiã in ueneno uiolentia & petulantia ex quibus iniuria oritur, quæ aggrauant factum lege: Aut facta in ferro est ui iniuria adiũgitur. Qui etiam ueneno occidit aliqua quasi necessitate occidit, atq; iusto quodam dolore: qui ferro ex impetu & ira, atq; ambitione licentiáq;, ideo his magis lex infensa est. Qui etiam ferro occidit uolũtariè occidit atq; occidere uult: qui ueneno quasi medius est inter eum qui uult, non certum mortis telum accipit, non præsentaneum, sed uelut fustem modo uult, modo non uult, inter iram & iustum dolorem ac misericordiam uersatur, illum scit curandum medicis, relinquit illum casui, relinquit præsidijs astantium. ob hæc uenenarius est quasi medius inter eum qui occidere uult ac non uult, ideo minore pœna dignus est quam siccarius. Quem uidistis unquam qui statim ueneno perierit, ut ferro quotidie uidetis? Ex 50 qui uenenũ bibũt uix unus moritur. si lex uenenarijs magis parcit quã siccarijs, ut domesticis furtis quam externis, & hoc ubi par sit causa. nam si uenenarius ob lucrũ, siccarius ob iniuriam occidat, uenenarius dignior est supplicio & maiore etiam quam siccarius, sed non ob instrumentũ:

Qui

ius.

Qui etiam sumit uenenum potest non sumere, qui uulneratur non potest euitare uim. At dicetis, imò ob hoc ueneni exhibitio est magis infamis? non, quia licet sumatur à domestico, debet ille qui sumit animaduertere an illum iniuria tali læserit, ut non poßit fidere & dignus sit capitali uindicta. apud hos enim edere atque his fidere non est nisi temerarij, imò improbi, non illius est ut proditor dici mereatur, at qui exhibet pecuniæ gratia, certè ille proditor est. At dicetis facilius est occidere ueneno quã ferro? Falsum est id maximè: tum quia oportet ut uenenum sit ualde lethale, ut ille totum assumat, ut non deprehendat, ut desint auxilia, ut confidat in eo quem iniuria capitali læserit, quorum nullum est necessarium in ferro. ideo assumptum, ut dixi, ex toto falsum est. Sed latebit magis? hoc uerum est: sed lex non curat hoc, sed ne in exemplum transeat. Et maximè cum non agitur de his qui precio id agunt. nam si de his ageretur, certè maior esset pœna irroganda in exemplum suijpsius. Duas enim ob causas punimus delicta, ne transeant in exemplum proprium & aliorũ. aliorum non curat lex si sint occulta, ut in ueneno, suijpsius punit si poßint transire in exemplum, quia causa manet: ut qui pretio id egerit, hoc autem non est uerisimile ut transeat in exemplum sui ipsius, scilicet ut aliam ducat uxorem quæ adeò sit amens, cum socru ut glorientur se adulterium patrasse, atq; ex adultero filios suscepisse.

Quid

Quid enim magis inexpectatum aut inauditum? For san quis dicet non loqui de his qui uenenum exhibent? Respondeo quod clarum est, quòd de his loquatur cum statim subijciat: Grassatores qui prædæ causa id faciunt(scilicet ut uenenum exhibeant)proximi latronibus habentur, ideo lex est tam clara ut nullo modo pœnam poßitis infligere corporalem, sed solam deportationem ubi & sine causa etiam illam ●teremisset. Si quis dicat per uenenarios intelligi solum qui exhibent uenenum, non si mors subsequatur? falsum est: ut enim à sicca siccarij, quia sicca occidunt, ita propriè uenenarij non qui exhibent uenenum, sed qui ueneno homines occidunt, quod etiam ex subsequentibus uerbis legis planè clarum est. quod si quis obijciat statutũ quo sancitur capite puniendus: dico quòd cum non loquatur de dignitate, debet intelligi iuxta legem communem.

Cur rogo non eos qui tutelæ causa hominem occiderint, aut patrem filiam occidentem non punitis capitali pœna? nam statutum generale est & constitutio? dicitis quia à lege excipiuntur. at & in dignitate positi in ueneni causa. si quis obijciat cõstitutionem etiam exurendos dicere? Respondemus primo illam non esse in usu: tabellarij enim falsi conuicti de quibus principaliter agit, non exuri solent nisi frequentibus fraudibus flagitium auxerint: loquitur igitur constitutio de his qui pretio id agunt, ut apparet ex coniunctis de qui-

bus non est dubium. lex etiam Cornelia de siccarijs uenenarios humilioris conditionis, tametsi bestijs subijciat honestiores, tamen solum deportat insulas. at non minus supplicium est bestijs subijci quam exuri. Ideo maximum discrimen in dignitate reponitur. Rursus si dicat qui legem Corneliam de Siccarijs hos sine discrimine damnare pœna capitis? Respondeo quod lex Cornelia est generalis siccarijs, alijsque sontibus: hæc autem Callistrati est specialis & postposita ad declarandum, quod in casu uenenariorum debet haberi ratio dignitatis, non in alijs. aliter ad quid Imperator illam posuisset, si noluisset excipere hos cum in priore contineretur? Imò in eadem lege Cornelia dicitur idem in fine.

Humiliores solent bestijs subijci. Altiores uero deportantur in insulam. Et si quis quærat causam dico quod est illa quæ dicta est, quia cum tales offendant magis priuatum quam publicum, ideo tales à lege mitius puniuntur: ei tamen quem offendunt maiore odio & merito esse debent, quod ad factum attinet non ad iniuriam quam si gladio occidissent. Hócque est quod lex alia dicit, plus est hominem occidere ueneno quam ferro: est enim uerum de priuata iniuria non publica pœna. Ideo iuxta rigorem legis nullo modo potest iniungi pœna aliqua corporea in dignitate constituto. Et si quis dicat hoc transiret in malum exemplum? Respondeo quod non. nam subijcit statim,

tim, si causa lucri uenenum exhibuerint, tunc pro latronibus habeantur. Ideo certißimum quod non uiolando legem nullo modo ultra deportationem in hoc casu sæuire licet. Est autem deportatio nostris temporibus exilio transmutanda, neque enim decet Christianos idololatriæ in infligendis pœnis acerbiores esse, nec ratio dignitatis labori corporeo congruit. Exercere nobiliorē partem in animo his fuit, liceat & in quãcunq; fortuna. Itaq; habuit lex hunc respectum quod in dignitate cōstitutis ubi publica iniuria nō adsit, debeãt plurima dignitati et tot laborib. condonari. Quod etiã apparet in his qui testamenta uiuentium apparuerint, aut indicauerint: ubi etiam à pœna mortis honestiores liberat. Dicetis forsan, cur ergo tam exosa sunt uenena propter Principes qui ab armis tutos se existimant. Sed & in hoc (cum uenia dictum sit) falluntur, plus enim est periculi ab armis ob tot causas iam dictas, quod etiã experimentum quotidie comprobat ex uiginti Principibus qui aliena ui pereunt, imo ex centum uix uno ueneno periisse legimus: aut etiam uidimus, ut inusitatum fermè sit tam nouis quam antiquis exemplis. Ergo cum filius meus in dignitate constitutus laureatus in medicina & è collegio, & filius laureati & ex eodem collegio, & nepos Iurisconsulti, & è collegio pronepos & abnepos & atnepos nobilium. constat etiam si sons esset, si sine causa id egisset, si non adolescens, non simplicis adeò naturæ non esse pu-

puniendum pœna ordinaria, sed solum in exilium mittendum.

De facto concludo non obijsse ueneno, tribus assumptis mortua est ex partu, quia ab initio apparuerunt febris frigus extremorum, & tremor ut Medici affirmant: & non apparuit signum ullum ueneni ut iudicatum fuit per quatuor aut quinque excellentissimos Medicos à Senatu deputatos, ut in processu neque ante mortem, neque intus, neque extra, & non moriuntur homines ex ueneno sine signis eius, ut apparet ex consuetudine iudicandi & iusdicendi: & frustra inspiceremus cadauera si homines ex ueneno morerentur absque signis, & etiam adest decisio Medicorum à Senatu deputatorum. Et fundatur in textu Gale„ ni Sexto de locis ubi scribit hæc uerba: „ Nam qui maxime uidentur super hac ambiguitate disputasse, hi „ eosdem fieri affectus concedunt, & à lethalis uene„ ni potione & corruptione quæ à corpore ortum ha„ bet. uerum facile discerni posse eos qui uenenum sum„ pserunt ab his qui aliunde affecti sunt. Cum enim homo suapte natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus de repente moritur, ut lethali assumpto ueneno fieri solet, deinde corpus aut liuens aut nigricans, aut uarium est aut diffluens, aut putredinem molestam olet, hunc uenenum sumpsisse aiunt. Itaque constat non solum apertè deprehendi posse, sed etiam discerni.

Accedit

Accedit quod uenenum illud erat in exigua quantitate admodum, adeò ut uncia una in tres partes diuisa fuerit & illorum partium exiguam sumpsit quantitatem quam etiam euomuit. Ex quo patet quod non est mirum, si nullum uestigium ueneni unquam deprehensum est. Etsi columbus qui ex placēta comedit cum non euomuerit superuixit. adeò ut nec uigintuplū eius quod assumpserat suffecisset ad hominem occidendum. Et etiam quia sponsa euomuit, & constat quod si euomatur uix una libra arsenici interficit hominem, sicut apparet in circulatoribus qui magnam quantitatem eius deuorant quotidie & nihil penitus læduntur. Potest etiam fieri experimentum in cane, quia uncia non occidet illum, etiam quòd sit longè debilior homine quo ad uitam: & hoc quia canes euomunt. ad hoc autem ut debeat dici mortua ex ueneno, oportet ut fuerit tantum in quantitate & qualitate & quod retentum fuerit & in cæteris conditionibus ut hominem occidere posset, sic enim statuunt leges. at hic uenenum qualitate leuißimum, quantitate exiguum, uomitu reiectum: quomodo potuit dici mortua ex ueneno? De placenta etiam non constat, quòd uenenum ei sit inditum iussu filij mei, hoc enim negat, imo erat pœnitentia iam ductus, quod apparet ex rationibus claris quas ipse filius meus adducit. inquit enim si sciuissem non dedissem alijs, non ipse comedissem: & etiam cum intellexissem me detectum aufugissem, maximè cum

multi me ad hoc hortarentur. Sed ipſe eram innocens & inſcius huius facti, & iam ut dixi pœnitentia ductus: ſed famulus fecit ſpe præmij, ut exiſtimo. Conſtat etiam ex teſtibus Medicis tribus qui eam uiſitauerunt uno conſenſu mortuam ex puerperio & morbo. E quorum numero unus non uulgaris eruditionis eum declarauit qualis eſſet, ſcilicet lipyriam febrem dictam, in qua fuit refrigeratio perpetua extremorum & tremor. Inquit enim Galenus in Epidimijs frigus extremorum in febre acuta ſignificat abſceſſum aut ſanguinem contractum ad uiſcera. hæc autem lethalia ſunt generaliter, quanto magis in puerpera. Manifeſtum eſt etiam id ex hoc, quòd nullus aliorum qui ſumpſerunt de placenta mortuus eſt, imo ne læſus quidem: ſed omnes die ſequenti conualuerunt perfecte & ſurrexerunt omnes, niſi ſi qui alio morbo antea detinebantur. Atque hæc ſufficerent ad demonſtrandum omnino mortuam eſſe ex morbo, non autem ex ueneno. Quod autem abſurdè conati ſunt falſis teſtibus oſtendere, aut non concludentibus ſaltem apparet quam ſit falſum, non ſolum ex medicorum teſtimonio ex experientia facta de ſignis ueneni aſſumpti, ex ipſa rei natura, cum decimum die à partu uenenum in placenta aſſumpſiſſe illam affirment: interim autem non potuerit ualere cum eſſet in puerperio, imo iam ut affirmant uenenum bis ſumpſiſſet, ideóque ipſi ſibi aduerſantur: aut enim falſo probant bene ualuiſſe interim

aut mor-

aut mortuam esse ex ueneno, quòd bis sumptum non nocuerit, aut ex pinace pharmacopole in actis descripta, ex qua apparet uno morbo dieb. ante partum undecimum scilicet uigesimumquintum Ianuarij usque ad mortem laborasse. unde patet quanta fides alijs testibus aliquorum adhibenda sit. cum in manifestis talia audeant.

Sed quia quidam dicunt sufficisse uenenum ad interficiendum iam ægram licet non ad sanam: ideoque teneri de homicidio. Et non sumus primo in casu de eo qui uulnerat iam uulneratum lethali uulnere, quia hoc uenenum sub ea quantitate lethali non est. Sed si quis de quacunque causa auxiliante ad interficiendum intelligat, primum hoc incertum est, & in casibus ubi dubium est de interpretatione legis aut facti ueritate pœnæ potius molliendæ sunt, quam ex asperandæ lege interpretatione legum & in lege pro- Proxime in : & multis alijs in locis. nihil enim tritius.

Sed omißis his dico, quod uenenū quod est simile causæ morbi facit ad interitū, si etiam nō per se sufficiat, si sit contrariū iuuat. adeò ut demus carnes uiperæ in elephantiasi, euphorbium in paralisi, sed arsenicū seu auripigmentū album cum sit calidum & siccū, et causa lipyriæ frigida et humida, ideo tale uenenū potius iuuit quā nocuerit, & distulit mortē. Ideo patet quod neq; per se, nec propriè perijt ueneno, nec etiam illo adiu-

uante & ut medici dicunt tanquam mortis concausa.

Sequitur modus faciendi, scilicet ut sit propinatum saltem ex animo deliberato. Et licet hoc sit absurdißimum, nihilominus difficile forsan fuerit persuadere esse falsum. Quomodo potuit esse deliberatio ea quæ quotidie renouabat causas doloris? ipse etiam in processu fatetur se repetisse propter iurgia: parasset etiã uenenum multo ante & non statim. quod si fecisset non fuisset deprehensus. lex etiam quod ait lex, inquit: Sed dum alterum occidit, profugit filia & interpositis horis apprehensa est à patre, qui persequebatur incontinentem uidebitur occidisse. Quæ igitur fiunt uno impetu non renouantur, non possunt dici ex deliberatione. Sed si interposita uenia aut pace reconciliatus, uel post longum tempus id agat, ex deliberatione id egisse uidebitur. lex etiam cum mitiorem partem ut dictum est sequatur, cum qui uxorem habet adulteram, perpetuo renouetur, dolor fingere nõ potest deliberationem. ideo præsupponendum est ira factum. Ortus est hic error solum ex interpretatione huius nominis deliberatio. Deliberauit enim, id est, uehementi affectu decreuit, non autem confirmato nec perseuerante, sed impetu magno eam occidere concupiuit. Cuius declarationis manifestum est argumentum. Sed hac in parte philosophiæ plus debemus quam legibus, quæ mendacio & iræ tanta præmia statuerunt. negantibus enim crimina indulget inconsulto

peccantibus

peccantibus, atque ideò etiam plerunque sine causa ignoscunt. uera fatentes puniunt & acrius qui sine causa, sed ob stultitiam solam peccasse uidentur.

Ante etiam quam hoc ageret filius, rogauit ut uxorem socrus abduceret, ne aliquid mali contingeret: quis autem deliberatus alium occidere rogat ut ab oculis subducatur? Nolim ergo ut de deliberatione suspicemini in eo quem facti iam pœnituit, quique repetijt, quia illa prodigiosa uerba repetita sunt: si repetita non essent uerba non facturus erat, quomodo ergo deliberationem in ea fingetis qui iam nolit occidere? At scio uos dare manus, sed dicitis illi qui reus est credendum non est: non pœnituit eum facti, non ex nouis iurgijs ad hoc reuersus est, sed ex antiquo odio quo interficere eam destinarat. aliter si standum esset sontium dictis, nemo condemnaretur criminis excogitati.

Hæc certè uera generaliter esse fateor, sed in filio meo etiam uos falsa esse deprehendere potestis. simpliciter fecit, simpliciter ueritatem omnem fassus est, sine tormentis, sine minis, simplicißimum esse adolescẽtem testibus productis demonstrauimus, res hæc notißima est. si qui uestrum nouerunt eum, scit me non mentiri. interrogate etiam accusatores suos, si ego in re manifesta mentior, quomodo de dubijs rebus apud uos fidem impetrare potero? Simplicitate ductus uxorem accepit sine dote, ab affinibus contra me indu-

ctus est, infinitos errores, scelus nullum fecit.

Est enim natura tanto melior quanto simplicior. Iurat in confessione tanquam ei credituri sint criminum iudices, ut uxores maritis, parentes filijs. Itaque scitote uera prorsus esse quae fassus omnia, licet pro ueris ea habere non cogamini.

Causa facti est maior & potior ipso fragranti crimine. Inquit lex si maritus uxorem in adulterio deprehensam occidat, quia ignoscitur ei dicendum est non tantum mariti, sed etiam uxoris seruos liberandos, si iustum dolorem exequenti domino non restituerunt. Sed & in l. si adulterium haec habet Papinianus Imperatores, Marcus Antoninus & Commodus filius rescripserunt. Si maritus uxorem in adulterio deprehẽsam, impetu tactus doloris interfecerit, non utiq; legis Corneliae de siccarijs poenam excipiet. nam & Diuus Pius in haec uerba rescripsit Apollonio: ei qui uxorem suam in adulterio deprehensam occidisse se non negat ultimum supplicium remitti potest, difficillimum cum sit iustum dolorem temperare, & magis quia plus fecerit, quam quia se uindicare non debuerit puniendus sit. Sufficiet igitur si humili loco sit, in opus perpetuum eum tradi: siquidem honestior in insulam relegari. Haec igitur habent leges, in quibus non ob crimen uxoris parci marito iubent Imperatores, cum eam occiderit, sed ob iustum dolorem.

Si ergo ita est, an non maior est dolor mariti qui au

dict

audiat fatentem uxorem crimen, quam si eam in ipso crimine inueniat quæ inuenitur multis modis se excusare potest, ut etiam apud Boccatium multis exemplis docetur: quæ fatetur nullam prorsus habet excusationem.

Idem uos obseruatis, nam quotquot sint testes cuiusuis criminis non peruenitur ad pœnam crimini meritã nisi expressa confeßione aut conuicto nocente: quæ fatetur etiam sine ullis testibus supplicio afficitur. nónne igitur multo maius est fateri crimen quæ in fragrãti crimine deprehendi? nónne maior dolor est audire socrum coram filia & filiam contra socru, ne testis fide dignus desit adulterium fatentes, quam si in ipso crimine filia deprehendatur? at deprehensam licet occidere ob iustum dolorem, quanto iustius eam quæ fatetur crimen? Sed non ob hoc lex dicit? inquiunt. dicit autem de deprehensa? O hominum stuporem? nónne uident hoc legem non proposuisse, quia in mentem uenire non potuit tam stulta cogitatio, tale amentiæ monstrũ, tam scelerata impudicitia.

Referunt interrogatum Solonem, cur paricidij nullam legem fecisset? respondisse se non potuisse cogitare futurum, ut quis adeò immanis esset ut parentem occidere uellet, an ergo hac ratione qui primus paricidium admisit impunitus esse debuit? quin potius noua lege insutus corio cum serpente, gallo, simia & cane in flumen proijci?

At quid

At quid quæso rescripturos imperatores eosdem existimatis, si quis ita ad illos præses prouinciæ aut Senatus scripsisset. Adolescens honesto loco natus, in dignitate etiam constitutus, cum audisset uxorem non semel sed sæpius, non ui coactam sed sponte, non confitentem sed obijcientem marito, non solam sed cum socru, & socrum cum filia adulterium: nec solum adulterium, sed duos filios iam natos ex adultero, non ex eo conceptos uxorem ueneno occidit, non animo deliberato, sed deliberatiore sed deliberatißimo, sic ita liceat dicere, an non omnino indignum pœna pronunciasset hunc adolescentem? etiam si socrum simul cum ipsa uxore sustulisset? Sed defuit tam graue monstrum, tum scelera, tum exemplum, tanti facinoris historia, non considerant Imperatores crimen sed iustum dolorem, qui in hoc adolescente quinque gradibus maior esse debuit, quam si uxorem in fragranti crimine inuenisset. primum quia certus erat, qui inuenit non adeò certus esse potest, qui inuenit nolentem inuenit hic sponte se offerentem: ut acerbitati facti maior acerbitas contemptus adderetur. tertio qui inuenit, semel inuenit, hæc sæpius fassa est admisisse.

Qui inuenit, cum uno inuenit, hæc quotiescunque occasio se obtulerit admißuram obijciebat. Denique qui inuenerunt plures in hac ciuitate, quamuis occidissent, tamen spem sobolis ac fidem intactam

sibi

sibi seruarunt, unde charos habuere filios, neque enim adulteræ illæ sobolis securitatem uiolarunt. at hæc ægregia & sapiens mulier nescio quo dæmonio malo non solum filio meo de sobole fidem, sed etiam mihi sustulit, utque nepotem putat unum dicere possim efficit. uultis ne ut horum amentia apud omnes gentes & in omnia secula legantur hæc? Sapientißimus, iustißimus, æquißimúsque Senatus Mediolanensis sub clementißimo Rege Philippo maioris partis orbis domino, Iohannem Baptistam Cardanum Medicum, filium Hieronymi optimæ spei adolescentem capite puniuit hoc ipso, quòd uxorem obstinatissimo animo ueneno necauerit, quoniam illa cum socru sæpius obijceret adulterium se perpetraße: atque etiam filios duos genitos, masculum & fœminam ex adulteris, non ex ipso procreatos. Quid dicent gentes? Quid dicturi sunt posteri? an hunc adolescentem iustè damnatum, nequaquam? qui tantam causam, & tam atrocem habuerit seipsum ulciscendi? an Senatum iniustè egisse aut minus prudenter? multo minus quandoquidem tanta sapientia tam confirmatus æquitatis animus uno actu uitiari non poßit? Quid ergo dicent dicturiq; erunt? ut monstrosus hic casus est, ita fuiße prodigiosam (quam Deus auertat) hanc damnationem.

Sed quid si superaddatur non occidit ueneno, certum id est, nec obstinato animo, aut ex deliberatione

sed

ſed ira prouocatus? Simile quid ſi minima maximis conferre licet haberet hæc damnatio ei, qua Iacobus qui iuſtus dicebatur damnatus eſt. cuius cauſa Ioſephus affirmat exciſam eſſe Hieroſolymam. *prodigioſas enim has pœnas (quas tamen abſit etiam ſi millies diris cruciatibus necaretur filius meus) ſequi publicè graues calamitates. Sic etiam Socrates* Athenis, *neque enim unquam poſtmodum* Reſpublica *illa ſine magnis ærumnis fuit:* Romæ Naſica Scipione Spartæ *Scedaſo interfectus. forte mirum uidebitur iuſtum me appellare filium meum quem palam ſit, ſi non morte dignus ſit, eſſe tamen exilio? Non loquor præter leges ueſtras qui iuſtum dolorem uindicat. poſterior inquit lex, facit quod facere debet, ſed excedit in ultione, cuius cauſa pœnam aliquam lex etiam ſtatuit.*

Quod enim ad priuatam iniuriam attinet occidere poſſet: at nemo poteſt iniuſſu Principis *hominem illi ſubditum occidere. quoniam pars eſt ciuitatis & Principis quaſi patrimonium, ſicut non licet occidere equum alienum, ita neque tuendi ſe cauſa, neque ob adulterium pater aut maritus occidere poſſunt impunè. offenditur enim* Reſpublica *ac* Princeps: *licet tamen ſe tuenti, quia aliter non eſt ſecurus ut ſe tueri poßit: licet ob adulteriũ, ob iuſtum dolorem. ideo tales à morte abſoluti ſunt, quia cauſam iuſtam habent. crimine etiam carent & ſi leuiter puniantur,*

hos

hos igitur constat qui à crimine absunt ab ultimo supplicio etiam abesse debere. nec ergo tales infames sunt nec capitali pœna puniuntur, nec iniusti dici possunt, quia nihil præter rationem egerunt, licet modum ultionis excesserint. Fingite illam ob hæc *uerberatam, uulneratam: quis dicat male egisse? at excesit, læsit* Rempublicam. *uerum est, ideo aliqua pœna dignus est. Si hic alienus esset, dicerem cum tam graui iniuria prorsus absoluendum, quia filius est non audeo dicere, ne dolori meo satisfacere uelle uidear.*

Si Brandonia *filia mihi esset,* Ioannes Baptista *autem gener. constaret autem ut constat per duos testes de eiusmodi impubica confeßione* Brandoniæ*, generumque occidisse illam ueneno iam antea etiam per annum parato scirem. iuro per thronum* DEI *si me postridie uocaret gener meus ad cœnam, ad illum uenturum. quid enim fœdius excogitari potest? adulteros & adulteras quotidie fieri non dubito, sed quæ se sponte prodant maritis, quæ ius etiam sobolis ultro uiolēt, nullo supplicio non dignas esse iudico. Sed quid mirum est patrem matremq;* Brandoniæ *tantis conatibus quærere sanguinem filij mei? cum ijdem causæ fuerint filiæ omniū horum malorū, ut literæ sub filiæ nomine scriptæ testesq; producti testantur. quæ forsan nec sponte peccauit, nec digna fuit tantis malis? At lex ut dixi hūc nō absoluit? duo omittunt leges minima & quæ*

ut cue-

ut eueniant uix fieri potest, quoniam maiora sint humana omni expectatione, uxorem fateri adulterium filiúmque suppositum, an minimum sit crimen quod furtum continet lege uiginti annorum fermè solum non aboletur cogitate? Quid ergo reliquum est ut tam sit inauditum, ut etiam sit inexpectatum? At etiam quærunt ut testes adulterij producantur. nimis scitur, sciũtur tempora & personæ, nouit si noscere uult Senatus. nimium est quod scitur. Scimus Lenones lenásque & totam tractationem. atque utinam non scirem? grauius est hoc forsan quam ut non eßet, iustéque damnaretur adolescens.

Quid agendum erat & in tam breui tempore? Euertenda fuit Respublica tota nostra ob hoc unius mulieris scelus? nimis inimicitiarum, nimis odij conflatum est, comminati sunt palam testibus. Queruntur uel sic læsam existimationem suam, quandoquidem tam temperanter egimus ut parceremus illis, ut causam nostram deteriorem fecerimus. Indigemus uèstra sapientia, uestra æquitate in tam difficili casu. Si non probassemus perfectè, periculum imminebat iniustè misero adolescenti quod timuerimus: cum probauerimus contra tot milites suscepit togatus inermis, implicitus tot negocijs inimicitijs. an hoc causa mea acciderit uos nouistis? an filij Deus nouit, nisi quod inconsulto illam duxit uxorem: ex connubio tanta sunt orta mala.

Nónne

Nonne hi met faßi sunt qui facinus admiserunt? negant tamen ut in iudicio id dicturos, neque ego postulo, nec æquum etiam iudico, tametsi è re mea esset. scitis tamen & res uulgata est. Trucidabimus ergo hunc adolescentē quasi ex legibus, etiā si non publico iudicio res constaret, sed priuatis iudicijs? & contra leges simul, si eas ad unguem non seruandas alia ex parte pronunciaueritis? Sed & Io. Petrum de Meda qui & ipse uxorem non infragranti crimine deprehensam, sed ob adulterij supitionem uigintiquinque uulneribus confodit, ut in hoc processu ostendimus, liberastis plenè & absoluistis? an animi deliberatio minor in illo fuit? an certius hæc ex ueneno obijt quā illa, quæ statim perijt ex uigintiquinque uulneribus? an ille nobilior filio meo, aut honestiore loco natus? quem ferūt lenonē fuisse, & ætate perfecta? deniq; an ille certiores cōiecturas habere potuit propria cōfessione? A pœna etiam ordinaria, ut in his actis apparet, imò ut pater planè fatetur, si uellet filius semetipum illi subijcere. ab omni liberatus est filius Diui Ioanni Petri, Solarij etiam Spurius, qui lucri causa patrem, tres sorores, & nouercam simul ueneno necare tentauit hoc solo, quòd pater ut prudens cautúsque uir curauit filium iudici sisti. an hæc tanta cautio plus prodesse debuit tàm impio iuueni, quàm tot causæ iustæ filio meo? Num puniendi sunt errores aut scelera?

cerent. Saltem illius dicti Iuliæ meminissent, quæ cum esset impudicissima, obijcerentq; familiares quidã incertos partus, respondit illa, non enim nisi plena naui uectorẽ suscipio. quamuis enim luxuriosissima esset, pigebat tamen marito tantam iniuriam facere, ut alienum filium alere cogeretur, & hæredem habere. Itaq; non demiror abruptam esse tandem patientiam filij mei, sed illum eousq; tulisse tanta flagitia. & certè cogitate quis sanus perferre posset.

At nec hoc solùm perferre cogebatur, sed si perferre perseuerasset, nec ipsa interijsset, aut ferro occidere illam tentasset omnino pereundum sibi esse filius meus, quamuis simplicissimus (adeò aperta res erat) intelligebat.

Fingatis primum illum spreta omni infamia retinere uoluisse, nónne omnibus primum honoribus collegio, alijsq; omnibus uitæ decoris, quibus infames excidere solent priuabitur? Dinde eo socrum cum uxore reprehendente (quis enim nisi omnino excors talia patienter perferre potuisset) quis dubitatur, uel ueneno, uel ferro, uel ipsarũ opera aut cõsilio: uel etiã ipsis nesciẽtibus ab adulterijs, ut liberius adire possent, ut reprehensionẽ iustam, quæ tamen cor urere solet improbis nõ amplius audirẽt sublatũ iri filium meum? Si ad iudices iuisset, quãtus risus excitatus? odiũ affiniũ, uulgi fabula, irritusq; conatus? nõ est ut laborẽ circa hoc.

 Si dimi-

Si dimisisset manifestius & præsentius periculum incurrebat. Affines questi essent læsam mulieris existimationem: deploratam inde dimissam, aleret, uestiret? Denique ut liberius uiuere posset, ut alium ducere maritum prætextu læsæ existimationis illum occidissent. Cuius rei exemplum, ut audio, nunc accidit, uel saltem euenisse coniectantur plerique in adolescente, qui se ab uxore abdicauit ad mortem his diebus, uulnerato demum paulò pòst mortuo. At poterat ferro necare? hoc est, in quo insistunt plures: minimè, imbellis ipse doctor qui nunquam arma tractauit. ipsa cum tribus fratribus legionarijs militibus, qui etiam priuatim multa quæ modò prætereo (cum non accusare illos, sed filium tueri propositum sit) exercuerunt non legibus ipsis permissa. quos constat aliquando etiam mihi minitasse clam, cum non sufficeret plus dare filio meo ad alendam sine dote eorum sororem quàm esset in reditibus, ut ex publicis monumentis constat. Ipsi uerò (ut in actis est) filio coram me minitatus est Sfortia ex sponsæ fratribus unus: quid me non præsente fecisse credendum est? cum me præsente nec timuerit, nec puduerit.

Quæ lex ergo potest esse tàm Scythica quæ eò homines trudat, ut siue agant, seu non agant, & mortem & infamiam subire cogantur? Certè luce clarius id apparet esse necessarium, si filius meus ad suppliciũ damnaretur.

naretur. Cauit etiã quantũ ex ipso fuit honori proprio uxoris, parẽtúmque illius & sororum quas multas & innuptas habet. atque utinam illi non spe quadã hæc in lucem perduxissent. Reliquum est igitur ut cum nec retinere, nec dimittere, nec ferro perimere citra manifestum & præsens periculum mortis eam posset, ut coactus sit eam ueneno tentare, quòd etiam ratio dignitatis, honoris affinium suadebat: quòd tamen cum non successerit, omni prorsus pœna indignus uidetur. Nec mouere uos debet acerbitas inimicorum insonti huic iuueni: cum Suetonius dicat in Caio Cæsare.

Nibil tàm profuisse Caio Rabirio perduellionis ac- „ cusato ad populum prouocanti, ut ab eo fuerit absolu- „ tus, quàm Cæsaris ipsius accerbitatem. Solent enim ac „ debent iustißimis iudicibus inuisæ esse tàm sæue insectationes accusatorum, cum quod factum est honestiorem quandam ob causam factum esse constat. At non acerbos futuros illos constat, si mihi quantum ad largitionem in animo erat pro salute filij tantum in arca fortuna dedisset. sed cum peterent quantum haberem: antea uerò etiam plusquam haberem, manifestum esse existimo non ob iniuriam, cui solum abolendæ fortuna mea non animus, uel meus, uel illorum defuit deteriorem esse debere causam filij mei. sed tanquam remißio sit subsecuta habendum, tùm maximè quod ego qui infantis legitimus sum administra-

tor, atque ob id quem remittere spectat publico monumento, ut in actis apparet remisi.

Eia igitur patres, postquam in Dolabellæ mentionem incidimus, illius exempli mementote. Is enim Asiæ proconsul cum ad eum delata esset mulier quæ coniugem, & filium necauerat (existimandum etiam quod dolo aliquo) nec illa inficiaretur, sed excusaret coniugem occidisse filium suum unicum ueneno, ut illius bonis potiretur. rem hanc ad Areopagitas sapientißimos totius Græciæ uiros relegauit. Athenis autem proximè degebant. his neque misereri, nec legem mutare, nec affectus commoueri licebat.

Et tamen hi ipsi, ut Valerius Maximus author est, cum iudicium hoc inter legem & iustum dolorem positum uiderent, sisti iterum ea tunc dimissa post centum annos coram tribunali ipsum iusserunt. At uester sapientißimus Senatus Areopagitis sapientia non inferior, potestate liberior, christiana pietate melior: in causa, non uulgaris fœminæ, sed filij mei, non una ratione ad hoc irritati, non dolore iniuriæ tantum, sed honoris & existimationis, ac uitæ conseruandæ neceßitate, in quo & dubius mortis successus, si quod uerum est, certè non esse mortuam ex ueneno quisquam fateri nolit: & pœnitentiæ contestatio, signáque euidentia, & ætatis labilis fluxus

xus, & ingenij leuitas, tótque acerba tamdiu perpessi non poterit plenè liberare? tum maximè quòd in filio prorsus innocentem patrem crudelißimi hostes ob auaritiam potius & ambitionem (quod satis uobis notum est) quàm quod inim iam acceperint (nam & scientes rerum suarum quæ tegere poterant in lucem per uim traxere, ut inditium sit manifestum non honorem quesisse, sed causis supradictis motos) iugulare contendunt.

Forsan quispiam dicet filium meum etiam inter causas huius facti numerasse miseriam, quod inimici in malam partem, quod optimè dictum est trahere conantur: nam aliud est lucri causa aliquid facere, hoc enim latronum est: res autem suas (præsertim pauperem) tueri adeò honestum est ut lex dicat. Furem nocturnum si quis occiderit ita demum impunè feret, si parcere ei sine suo periculo non potuit.

Itaque prorumpere in iram ac uindictam eorum qui bonis proprijs spoliant, omnibus consuetum est honestis uiris: multo magis cum ex horũ amißione, ornamento commodisq; uitæ, ac denique ipsa uita spoliamur. quòd unquam in aliquo contigit exemplo, in hoc misero contigit, qui auaritia soceri paupertate sororiorum petulantia socrus & uxoris eò deuenerat, ut pedes per summam æstatem hyeme cũ æstiuis uestibus ire cogeretur. Cogitet modo Senatus ipse

quænam fuerit patientia? Porrò hæc omnia confirmāt etiam argumēta doctoris in processu adducta, tum uerba, nam partim quæ diximus fatetur, partim non negat, nonnulla solis uerbis aggrauat atque exaggerat. quòd nihil uel ex iure, uel ratione haberet quo tueretur quæ illi fecissent: aut damnaret eum qui uindicasset nisi purum factum. remedia etiam quæ pro filio meo in tanto malo docet, partim in impoßibilia, partim adeò absurda sunt ut confeßione etiam aduersarij facile deprehendere poßitis filium meum coactum ad hæc fuisse, postquam tantus uir quantum se ex scripto esse ostendit, nullum auxilium contra illorum improbitatem ac dementiam inuenire potuit. sed cum multa tentasset, semper in absurdiora commenta decidit.

Et quorsum tanta auxilia docuit? nisi quia publicos illorum errores & nepharia facta, dictáque negari aut tegi, aut defendi posse diffidebat? nam si horum unum facere se posse confisus esset, sufficiebat id agere, non tanquam confessum crimina illorum tot quæ potuisset filius meus facere, melius quam uenenum propinare proposuisse. itaque ex processu sui defensionis clarè apparet filium meum solum exceßisse uindictæ modum, non crimen ullum admisisse.

De persona nunc agendum est qua nulla dignior est excusatione ac uenia. Adolescens primum simplicis naturæ

cis naturæ ingenijque, si quis alius in hac ciuitate? doctor & ex collegio nobilis, ut iam dixi ab atauis. Ignoscit Imperator maledicenti sibi ob leuitatem. Quod ad ætatem attinet, dicit Sacra Scriptura: Delicta iuuentutis meæ ne recorderis.

Quam pauci sunt uiri sanctißimi qui in iuuentute, atque hac ætate non delinquant, erroresque committant grauißimos? gratias agere debemus, atque ego inter cæteros DEO ago perpetuas, quòd non ea ætate similem occasionem dederit, neque enim scio an melius an deterius me essem gesturus. Ingrati certè animi erga DEVM est, etiam cum ad senectutem peruenerimus, si quicquam nostro consilio, nostræ prudentiæ tribuamus. Multa potest casus, plurima occasio. omnia debemus ei gratiæ, eique sapientiæ quàm à DEO in momenta accipimus non accepimus. Errauit tam turpiter, forsan non ob peccata sua tantum, quantum ut illud impleretur quod scriptum est: plagarum uibices & in uiscera penetrantes ictus emendant malos. ego Deo gratias ago qui me castigauit in filio, forsan ut aliquando maiore lęticia replear.

Nam adeo simplex est ut puerum uix decem annorum prudentia æquet, tametsi ad eruditionem non ineptus, aure una surdus, miser multa tolerauit & omnium meorum malorum particeps factus est. uera o-

mnes quibus ex facie notus est, quæ testibus etiam docuimus dicere me norunt. Et si falsa aliqua ex parte comperiatis non inficior, quin eum summo supplicio etiamsi immeritus sit afficiatis: aut si mihi tantum non licet uobis permittere, ut me pro illo subijciatis, an si puer decem annorum hoc admisisset pœna capitali eum dignum censeretis? at hic aliquando bene cogitat & ratione utitur ut uir? fateor. sed non constat nec perstat in ea ob naturam & ætatem. an furiosum qui per interualla resipiscat, quòd hominem occiderit capite punietis? quin lex potius eum hæc admisisse fingit cum desiperet, quum cum saperet. in mitiorem semper partem inclinat, tum præsertim cum illud abfuerit Ciceronianum. Cui bono? at hic non solum lucrum omne, sed etiam suspicio lucri abest. esse etiam talem inauspicatæ nuptiæ illæ, et si non misertus esse illius medicitas subsequẽs nuptias uxorem, ducendi consiliũ tam absurdum, ut ego maiore cura calceos emere soleam quã ille uxorem acceperit. Inde quod potuisset nullo negotio efficere cum peritura esset alioqui, ut ex signis artis medicæ, quorum erat apprimè gnarus & à me etiã monitus sine utilitate ulla criminis reum se fecit, ut uerè quod in adagio est de illo dici posit: tentasse iugulare mortuum. Et cum posset absq; ueneno id agere, si concupiscet cum ueneno frustra tentauit. Et quali ueneno? quod uix occidit mures, nam si aquam inuenerint, ferunt

runt eos euadere, nec quantitate nec modo ei quod uti le iracundiæ suæ fuisset satisfecit. Et cum ipse solus facere posset acciuit testem, & testem puerum: E re detecta nec aufugit, nec ut ille aufugeret curauit. Inde captus sine tormentis, sine minis, omnia fassus est. Et plura quã de quibus interrogaretur: & omnino etiã præter propositum. His euidentibus indicijs, alijsq; illius actionibus uerbisq; satis constat, quã simplici ingenio, & plane puerili sit. Nuper cum princeps noster pugnam repræsentaret ante arcem, misit ad generum meum ut me rogaret, ut pro decem millibus aureis coronatis fide iuberem, ut ludos ea die spectare posset. Et neq; periculum in quo erat constitutus illum mouebat, nec rei ipsius difficultas, nec quod, si torculari exprimerer duo millia coronatorum efficere possem. at ipse unius dieculæ, imò duarum horarum uoluptate fideiubere postulabat me pro decem mille coronatis. Quod uerò ad dignitatem nobilitatemq; attinet, cum hæc tribus habeantur, uirtute, gratia principum. unde illud Virgilianum:

Pauci quos æquus amauit.
Iupiter aut ardens euexit ad æthera uirtus.

Tertiaq; maiorum stemmate singula postulant, ut ratio in pœnis habeatur, modo ipso crimine priuilegio suo non deroget: ut si ob lucrum, si contra Principem aut religionem egerit, ut qui spoliant templa

sed ira prouocatus? Simile quid si minima maximis conferre licet haberet hæc damnatio ei, qua Iacobus qui iustus dicebatur damnatus est. cuius causa Iosephus affirmat excisam esse Hierosolymam: prodigiosas enim has pœnas (quos tamen absit etiam si millies diris cruciatibus necaretur filius meus) sequi publicè graues calamitates. Sic etiam Socrates Athenis, neque enim unquam postmodum Respublica illa sine magnis ærumnis fuit: Romæ Nasica Scipione Spartæ Scedaso interfectis. forte mirum uidebitur iustum me appellare filium meum quem palam sit, si non morte dignus sit, esse tamen exilio? Non loquor præter leges uestras qui iustum dolorem uindicat. posterior inquit lex, facit quod facere debet, sed excedit in ultione, cuius causa pœnam aliquam lex etiam statuit.

Quod enim ad priuatam iniuriam attinet occidere posset: at nemo potest iniussu Principis hominem illi subditum occidere. quoniam pars est ciuitatis & Principis quasi patrimonium, sicut non licet occidere equum alienum, ita neque tuendi se causa, neque ob adulterium pater aut maritus occidere possunt impunè. offenditur enim Respublica ac Princeps: licet tamen se tuenti, quia aliter non est securus ut se tueri poßit: licet ob adulteriũ, ob iustum dolorem. ideo tales à morte absoluti sunt, quia causam iustam habent. crimine etiam carent & si leuiter puniantur,

hos

hos igitur constat qui à crimine absunt ab ultimo supplicio etiam abesse debere. nec ergo tales infames sunt nec capitali pœna puniuntur, nec iniusti dici possunt, quia nihil præter rationem egerunt, licet modum ultionis excesserint. Fingite illam ob hæc uerberatam, uulneratam: quis dicat male egisse? at excesßit, læsit Rempublicam. uerum est, ideo aliqua pœna dignus est. Si hic alienus esset, dicerem cum tam graui iniuria prorsus absoluendum, quia filius est non audeo dicere, ne dolori meo satisfacere uelle uidear.

Si Brandonia filia mihi esset, Ioannes Baptista autem gener. constaret autem ut constat per duos testes de eiusmodi impubica confesßione Brandoniæ, generumque occidisse illam ueneno iam antea etiam per annum parato scirem. iuro per thronum DEI si me postridie uocaret gener meus ad cœnam, ad illum uenturum. quid enim fœdius excogitari potest? adulteros & adulteras quotidie fieri non dubito, sed quæ se sponte prodant maritis, quæ ius etiam sobolis ultro uiolēt, nullo supplicio non dignas esse iudico. Sed quid mirum est patrem matremq; Brandoniæ tantis conatibus quærere sanguinem filij mei? cum ijdem causæ fuerint filiæ omniū horum malorū, ut literæ sub filiæ nomine scriptæ testesq; producti testantur. quæ forsan nec sponte peccauit, nec digna fuit tantis malis? At lex ut dixi hūc nō absoluit? duo omittunt leges minima & quæ

ut cus-

ut eueniant uix fieri potest, quoniam maiora sint humana omni expectatione, uxorem fateri adulterium filiúmque suppositum, an minimum sit crimen quod furtum continet lege uiginti annorum fermè solum non aboletur cogitate? Quid ergo reliquum est ut tam sit inauditum, ut etiam sit inexpectatum? At etiam quærunt ut testes adulterij producantur. nimis sciitur, sciũtur tempora & personæ, nouit si noscere uult Senatus. nimium est quod scitur. Scimus Lenones lenásque & totam tractationem. atque utinam non scirem? grauius est hoc forsan quam ut non esset, iustéque damnaretur adolescens.

Quid agendum erat & in tam breui tempore? Euertenda fuit Respublica tota nostra ob hoc unius mulieris scelus? nimis inimicitiarum, nimis odij conflatum est, comminati sunt palam testibus. Quæruntur uel sic læsam existimationem suam, quandoquidem tam temperanter egimus ut parceremus illis, ut causam nostram deteriorem fecerimus. Indigemus uestra sapientia, uestra æquitate in tam difficili casu. Si non probassemus perfectè, periculum imminebat iniustè misero adolescenti quod timuerimus: cum probauerimus contra tot milites suscepit togatus inermis, implicitus tot negocijs inimicitijs. an hoc causa mea acciderit uos nouistis? an filij Deus nouit, nisi quod inconsulto illam duxit uxorem: ex connubio tanta sunt orta mala.

Nónne

Nonne himet faßi sunt qui facinus admiserunt? negant tamen ut in iudicio id dicturos, neque ego postulo, nec æquum etiam iudico, tametsi è re mea esset. scitis tamen & res uulgata est. Trucidabimus ergo hunc adolescentē quasi ex legibus, etiā si non publico iudicio res constaret, sed priuatis iudicijs? & contra leges simul, si eas ad unguem non seruandas alia ex parte pronunciaueritis? Sed & Io. Petrum de Meda qui & ipse uxorem non infragranti crimine deprehensam, sed ob adulterij supitionem uigintiquinque uulneribus confodit, ut in hoc processu ostendimus, liberastis plenè & absoluistis? an animi deliberatio minor in illo fuit? an certius hæc ex ueneno obijt quā illa, quæ statim perijt ex uigintiquinque uulneribus? an ille nobilior filio meo, aut honestiore loco natus? quem ferūt lenonē fuisse, & ætate perfecta? deniq; an ille certiores cōiecturas habere potuit propria cōfessione? A pœna etiam ordinaria, ut in his actis apparet, imò ut pater planè fatetur, si uellet filius semetipum illi subijcere. ab omni liberatus est filius Diui Ioanni Petri, Solarij etiam Spurius, qui lucri causa patrem, tres sorores, & nouercam simul ueneno necare tentauit hoc solo, quòd pater ut prudens cautúsque uir curauit filium iudici sisti. an hæc tanta cautio plus prodesse debuit tàm impio iuueni, quàm tot causæ iustæ filio meo? Num puniendi sunt errores aut scelera?

cerent. Saltem illius dicti Iuliæ meminissent, quæ cum essent impudicißima, obijcerentq; familiares quidã incertos partus, respondit illa, non enim nisi plena naui uectorẽ suscipio. quamuis enim luxuriosißima esset, pigebat tamen marito tantam iniuriam facere, ut alienum filium alere cogeretur, & hæredem habere. Itaq; non demiror abruptam esse tandem patientiam filij mei, sed illum eousq; tulisse tanta flagitia. & certè cogitate quis sanus perferre posset.

At nec hoc solùm perferre cogebatur, sed si perferre perseuerasset, nec ipsa interijsset, aut ferro occidere illam tentasset omnino pereundum sibi esse filius meus, quamuis simplicißmus (adeò aperta res erat) intelligebat.

Fingatis primum illum spreta omni infamia retinere uoluisse, nónne omnibus primum honoribus collegio, alijsq; omnibus uitæ decoris, quibus infames excidere solent priuabitur? Dinde eo socrum cum uxore reprehendente (quis enim nisi omnino excors talia patienter perferre potuisset) quis dubitatur, uel ueneno, uel ferro, uel ipsarũ opera aut cõsilio: uel etiã ipsis nesciẽtibus ab adulterijs, ut liberius adire possent, ut reprehensionẽ iustam, quæ tamen cor urere solet improbis nõ amplius audirẽt sublatũ iri filium meum? Si ad iudices iuisset, quãtus risus excitatus? odiũ affiniũ, uulgi fabula, irritusq; conatus? nõ est ut laborẽ circa hoc.

Si dimisisset manifestius & præsentius periculum incurrebat. Affines questi essent læsam mulieris existimationem: deploratam inde dimissam, aleret, uestiret? Denique ut liberius uiuere posset, ut alium ducere maritum prætextu læsæ existimationis illum occidissent. Cuius rei exemplum, ut audio, nunc accidit, uel saltem euenisse coniectantur plerique in adolescente, qui se ab uxore abdicauit ad mortem his diebus, uulnerato demum paulò pòst mortuo. At poterat ferro necare? hoc est, in quo insistunt plures: minimè, imbellis ipse doctor qui nunquam arma tractauit. ipsa cum tribus fratribus legionarijs militibus, qui etiam priuatim multa quæ modò prætereo (cum non accusare illos, sed filium tueri propositum sit) exercuerunt non legibus ipsis permissa. quos constat aliquando etiam mihi minitasse clam, cum non sufficeret plus dare filio meo ad alendam sine dote eorum sororem quàm esset in reditibus, ut ex publicis monumentis constat. Ipsi uerò (ut in actis est) filio coram me minitatus est Sfortia ex sponsæ fratribus unus: quid me non præsente fecisse credendum est? cum me præsente nec timuerit, nec puduerit.

Quæ lex ergo potest esse tàm Scythica quæ eò homines trudat, ut siue agant, seu non agant, & mortem & infamiam subire cogantur? Certè luce clarius id apparet esse necessarium, si filius meus ad suppliciũ damnaretur.

naretur. Cauit etiã quantũ ex ipso fuit honori proprio uxoris, parẽtúmque illius & sororum quas multas & innuptas habet. atque utinam illi non spe quadã hæc in lucem perduxissent. Reliquum est igitur ut cum nec retinere, nec dimittere, nec ferro perimere citra manifestum & præsens periculum mortis eam posset, ut coactus sit eam ueneno tentare, quòd etiam ratio dignitatis, honoris affinium suadebat: quòd tamen cum non successerit, omni prorsus pœna indignus uidetur. Nec mouere uos debet acerbitas inimicorum insonti huic iuueni: cum Suetonius dicat in Caio Cæsare.

„ Nihil tàm profuisse Caio Rabirio perduellionis ac-
„ cusato ad populum prouocanti, ut ab eo fuerit absolu-
„ tus, quàm Cæsaris ipsius accerbitatem. Solent enim ac debent iustißimis iudicibus inuisæ esse tàm sæue insectationes accusatorum, cum quod factum est honestiorem quandam ob causam factum esse constat. At non acerbos futuros illos constat, si mihi quantum ad largitionem in animo erat pro salute filij tantum in arca fortuna dedisset. sed cum peterent quantum haberem: antea uerò etiam plusquam haberem, manifestum esse existimo non ob iniuriam, cui solum abolendæ fortuna meæ non animus, uel meus, uel illorum defuit deteriorem esse debere causam filij mei. sed tanquam remißio sit subsecuta habendum, tùm maximè quod ego qui infantis legitimus sum administra-

tor, atque ob id quem remittere spectat publico monu-mento, ut in actis apparet remissi.

Eia igitur patres, postquam in Dolabellæ *mentionem incidimus, illius exempli mementote. Is enim Asiæ proconsul cum ad eum delata esset mulier quæ coniugem, & filium necauerat (existimandum etiam quod dolo aliquo) nec illa inficiaretur, sed excusaret coniugem occidisse filium suum unicum ueneno, ut illius bonis potiretur. rem hanc ad Areopagitas sapientissimos totius Græciæ uiros relegauit. Athenis autem proximè degebant. his neque misereri, nec legem mutare, nec affectus com moueri licebat.*

Et tamen hi ipsi, ut Valerius Maximus author est, cum iudicium hoc inter legem & iustum dolorem positum uiderent, sisti iterum ea tunc dimissa post centum annos coram tribunali ipsum iusserunt. At uester sapientissimus Senatus Areopagitis sapientia non inferior, potestate liberior, christiana pietate melior: in causa, non uulgaris fœminæ, sed filij mei, non una ratione ad hoc irritati, non dolore iniuriæ tantum, sed honoris & existimationis, ac uitæ conseruandæ necessitate, in quo & dubius mortis successus, si quod uerum est, certè non esse mortuam ex ueneno quisquam fateri nolit: & pœnitentiæ contestatio, signáque euidentia, & ætatis labilis flu-

xus, & ingenij leuitas, tótque acerba tamdiu perpessi non poterit plenè liberare? tum maximè quòd in filio prorsus innocentem patrem crudelißimi hostes ob auaritiam potius & ambitionem (quod satis uobis notum est) quàm quod iniuriam acceperint (nam & scientes rerum suarum quæ tegere poterant in lucem per uim traxere, ut inditium sit manifestum non honorem quesisse, sed causis supradictis motos) iugulare contendunt.

Forsan quispiam dicet filium meum etiam inter causas huius facti numerasse miseriam, quod inimici in malam partem, quod optimè dictum est trahere conantur: nam aliud est lucri causa aliquid facere, hoc enim latronum est: res autem suas (præsertim pauperem) tueri adeò honestum est ut lex dicat. Furem nocturnum si quis occiderit ita demum impunè feret, si parcere ei sine suo periculo non potuit.

Itaque prorumpere in iram ac uindictam eorum qui bonis proprijs spoliant, omnibus consuetum est honestis uiris: multo magis cum ex horũ amißione, ornamento commodisq; uitæ, ac denique ipsa uita spoliamur. quòd unquam in aliquo contigit exemplo, in hoc misero contigit, qui auaritia soceri paupertate sororiorum petulantia socrus & uxoris cò deuenerat, ut pedes per summam æstatem hyeme cũ æstiuis uestibus ire cogeretur. Cogitet modo Senatus ipse

quænam fuerit patientia? Porrò hæc omnia confirmāt etiam argumēta doctoris in processu adducta, tum uerba, nam partim quæ diximus fatetur, partim non negat, nonnulla solis uerbis aggrauat atque exaggerat. quòd nihil uel ex iure, uel ratione haberet quo tueretur quæ illi fecissent: aut damnaret eum qui uindicasset nisi purum factum. remedia etiam quæ pro filio meo in tanto malo docet, partim in impoßibilia, partim adeò absurda sunt ut confeßione etiam aduersarij facile deprehendere poßitis filium meum coactum ad hæc fuisse, postquam tantus uir quantum se ex scripto esse ostendit, nullum auxilium contra illorum improbitatem ac dementiam inuenire potuit. sed cum multa tentasset, semper in absurdiora commenta decidit.

Et quorsum tanta auxilia docuit? nisi quia publicos illorum errores & nepharia facta, dictáque negari aut tegi, aut defendi posse diffidebat? nam si horum unum facere se posse confisus esset, sufficiebat id agere, non tanquam confessum crimina illorum tot quæ potuisset filius meus facere, melius quam uenenum propinare proposuisse. itaque ex processu sui defensionis clarè apparet filium meum solum exceßisse uindictæ modum, non crimen ullum admisisse.

De persona nunc agendum est qua nulla dignior est excusatione ac uenia. Adolescens primum simplicis naturæ

cis naturæ ingenijque, si quis alius in hac ciuitate? doctor & ex collegio nobilis, ut iam dixi ab atauis. Ignoscit Imperator maledicenti sibi ob leuitatem. Quod ad ætatem attinet, dicit Sacra Scriptura: Delicta iuuentutis meæ ne recorderis.

Quam pauci sunt uiri sanctißimi qui in iuuentute, atque hac ætate non delinquant, errorésque committant grauißimos? gratias agere debemus, atque ego inter cæteros DEO ago perpetuas, quòd non ea ætate similem occasionem dederit. neque enim scio an melius an deterius me essem gesturus. Ingrati certè animi erga DEVM est, etiam cum ad senectutem peruenerimus, si quicquam nostro consilio, nostræ prudentiæ tribuamus. Multa potest casus, plurima occasio. omnia debemus ei gratiæ, eique sapientiæ quàm à DEO in momenta accipimus non accepimus. Errauit tam turpiter, forsan non ob peccata sua tantum, quantum ut illud impleretur quod scriptum est: plagarum uibices & in uiscera penetrantes ictus emendant malos. ego Deo gratias ago qui me castigauit in filio, forsan ut aliquando maiore letицia replear.

Nam adeo simplex est ut puerum uix decem annorum prudentia æquet, tametsi ad eruditionem non ineptus, aure una surdus, miser multa tolerauit & omnium meorum malorum particeps factus est. uera o-

runt eos euadere, nec quantitate nec modo ei quod utile iracundiæ suæ fuisset satisfecit. Et cum ipse solus facere posset acciuit testem, & testem puerum: E re detecta nec aufugit, nec ut ille aufugeret curauit. Inde captus sine tormentis, sine minis, omnia fassus est. Et plura quã de quibus interrogaretur: & omnino etiã præter propositum. His euidentibus indicijs, alijsq; illius actionibus uerbisq; satis constat, quã simplici ingenio, & plane puerili sit. Nuper cum princeps noster pugnam repræsentaret ante arcem, misit ad generum meum ut me rogaret, ut pro decem millibus aureis coronatis fide iuberem, ut ludos ea die spectare posset. Et neq; periculum in quo erat constitutus illum mouebat, nec rei ipsius difficultas, nec quod, si torculari exprimerer duo millia coronatorum efficere possem. at ipse unius dieculæ, imò duarum horarum uoluptate fideiubere postulabat me pro decem mille coronatis. Quod uerò ad dignitatem nobilitatemq; attinet, cum hæc tribus habeantur, uirtute, gratia principum. unde illud Virgilianum:

Pauci quos æquus amauit.
Iupiter aut ardens euexit ad æthera uirtus.

Tertiaq; maiorum stemmate singula postulant, ut ratio in pœnis habeatur, modo ipso crimine priuilegio suo non deroget: ut si ob lucrum, si contra Principem aut religionem egerit, ut qui spoliant

templa

templa, in templis tuti esse non debent. Nam qui uirtute clarescunt multis laboribus in literis, contemptu uitæ in militia gloriam sibi parant. Qui gratia principum ut Magistratus, in eorum sunt custodia. Qui stemmate participes sunt auitæ uirtutis. Vnde merito Augustus, cum quendam ad mortem ob crimen damnasset, intellecto quod esset reliquus ex Braside descendentibus hoc solo ei pepercit. Hæc omnia in filio meo sunt, laurea uirtutis, collegium gratiæ principalis, nobilitas quanta à tritauis repeti potest. nullum enim artificem aut ignobilem, aut sordidæ constitutionis, aut seruilis ex progenitoribus nostris inuenietis. Hæc autem quod legibus confirmata sunt? ut .ff. de uentre inspiciendo, in fine legis Temporibus diuorum. Et .ff. de Suspectis tutoribus & curatoribus. l. Tuto quoque in fine, & in codice multis in locis. Et certe id iure. quis enim ultro literis aut militiæ operam dabit, si eadem pericula, eædem pœnæ maneant laureatos senatores, magistratus, duces militum, quique toto tempore in sudoribus & laboribus honestisque rebus uitam suam attriuerunt commodo etiam Reipublicæ manifesto, quæ cauponibus qui solum turpi lucro addicti sunt.

Quare rogo uos sapientissimi uiri, ne quod tam prudenter à maioribus institutum est in filio meo nouo exemplo uiolare uelitis, noui ego, nouistis &

uos

uos quanta in studijs incommoda, quantos labores perpetiamur. ubi premia tot noctium, si eodem casu cum uili plebe concidimus?

Moneat etiam uos exemplum M. Aemylij Scauri, qui ut Valerius Maximus refert cum esset adeò nocens ut prouinciæ quam rexerat, necessario tamen 20 uiros exhibere posset quos uexasset, sola nobilitatis antiquitate & patris recenti uirtutis memoria à seuerißimis iudicibus liberatus est.

Quæ uerò circumstant tot & tanta sunt, ut his solis ueniam promereri poßit senectus mea, quæ orba tanta spe relinquetur: cum adeo alioqui bonus esset, erga alios ut sibi esset malus. testantur hæc fida officia in omnes tam ciues quam exteros, nec innocentia mea ac fides, quibus si pereat filius meus imputari potest mors illius, cum ego nihil tale uoluerim docere, quo tuto ulcisci posset tam acerbam & publicam iniuriam. ita ut eximia illa integritate (cuius tamen etiam si periturus sit nunquam pœnitebit) orber unica spe stirpis propagandæ, quicquam proderit. Omittam tot exactos labores publicæ utilitatis causa, ut pater non solum de Republica, sed de orbe benemeritus innocens iuguletur in filio. non ob scelus (etiam si damnare uelitis) sed excessum ultionis, seu mauultis errore atq; stultitia.

Iuuabitque nos tam tetrum exemplum, ut alioqui

etiam

causis legittimis priuatis obstantibus, Reipublicæ tranquillitati consulere. at uos planè regios esse ministros tot documenta declarant: Regisq; mansuetißimi Senatum illius exemplo commoueri.

Demum cum hæc indulgentia manifesto Dei miraculo confirmata sit, decet etiam, quamuis sapientia & iusticia uestra, certè supra humanum fastigium emineat: maiorem tamen Dei & sapientiam & iusticiam fateri necesse est. ut qui multa circa hos casus recondita sciat ac præsciat, quæ nulla hominum solertia cognosci aut in lucem erui possunt. Porrò res sic se habet. Cum Flauius unus è sponsæ fratribus de uomitu domesticorum audisset illos omnes mori existimans, accurrit (est autem ueteranus miles) occisurus ambos filios meos. erant autem ibi ambo inermes præsentes, & qui nunquam arma tractauerant, maior morbo quo antea laborabat & uomitu detinebatur, minor sexdecim annorum & omnino imbellis. socer, socrus, cognatæ omnes aduersæ, nullus pro filijs meis, quis dubitat illum (ut ita dicam) iusto dolori indulgentem ambos non fuisse occisurum? imbelles territi sine armis, nullo auxilio reclusi, ut nullibi pateret fuga: contra alter miles armatus gladio iratus pium facinus admißurum existimans. ubi gladium educere cœpit, corruit, iacuitq; mortuus per duas horas. Et cum tandem medicorũ præsidio respuisset. trib. alijs horis sui impotẽs, ac quasi immemor, iacuit

iacuit in lecto. ita filij ambo omni humano auxilio destituti sunt reor, ut diuino palam seruarentur, nam & Respublica est & in actis expressa testibus, & omnibus admirabilis uisa, tum maximè quòd ille alias nunquam ceciderat, nec ex placēta gustauerat: sed uia in domum redierat.

Quod si hæc uera sunt & testibus ac publicis monumentis demonstrata, pro Dei nomine regisq́; tum Reipub. filiorumq́; uestrorum salute obtestor ac deprecor uos, ut miserum hunc adolescentem filium meū tot modis afflictum, à tam horrendo spectaculo cum patre ipso manibusq́; sæuißimis inimicorum nostrorum eripiatis. Existimo enim diuinamq́; Maiestatem deprecor, ut felix faustumq́; sit omnibus actionibus, atq́; animabus uestris salutare.

RESPONSIO EIVSDEM ad criminationem D. Euangelistæ Seroni.



ABSOLVERAM iam defensionem hanc, cum allata est criminatio quædam sub nomine. D. Euangelistæ: re autem ipsa à Iureconsulto facta, cuius initium quod ad futurum seculum attinet omitto, tanquam minus congruum illis quam nobis. Et quoniam generaliter dicit Dauid in Psal-

in Psalmis:non iustificabitur coram Domino omnis uiuens. Et rursus:Si dicimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus,& ueritas in nobis non est. Inde exaggerat atrocibus uerbis,sed sine probatione intentatam ueneno mortem, tótque falsa paucis ueris miscet,ut prorsus fide indignus haberi debeat. Quod si falsi criminis accusatio reos & infames & pœna dignos facit,nullus nostrum tutior est quouis scelestißimo latrone,nam cuiuis multo maiora obijci possunt quam etiam latrocinium,si solum accusasse sufficiat. Quid aliud enim hoc est, quam si quis aurea uasa & regias opes nominando,se ob id ditißimum uideri uelit? Quinimo hoc apertum est testimonium quòd filius meus omnino condemnari non mereatur, postquam ad falsa crimina refugiunt.

Quis enim est tam amens qui si speret uerã accusationem damnare posse hominem,uelit eum de manifestè falso crimine insimulare,in quo & fidem de uero crimine poßit infirmare, & accusator falsus puniri, & si condemnetur qui est accusatus iniustè condemnatus censeri poßit?Sed ut ad singula deueniam.

Primum obijcit occidisse filiam. Perijt puella scelere nullius,matris eadem amentia qua miserum hunc filium meum coëgit in hanc ultionem. namque cum colaphum nutrici impingere uellet,nutrix ut eum uitaret super filiam cecidit & ita oppressa,nec diligentius curata postmodum repente obijt. tum maximè

quòd diu comitiali morbo ex quo à me liberata est laborauerat. cuius indicio fuit fouea in capite mortuæ puellæ, ut in actis apparet. Quid foueæ cum ueneno.

Secundum uenenum uxori dedit: diximus satis de hoc. Adijcit medicus: & Hippocratis parens aut auus medicus & ipse ueneno aquas infecit, ut hostes qui urbem in qua erat obsidebant, interimeret. hocq; illi ab omnibus laudi tributum est: quanquam ego nec hoc nec illud probem, consulo tamen inspiciendam causam quæ fuit iustus dolor: euentum quod non occidit, hominis conditionem: adolescens, simplex, imbellis, dolor: finem, ut uitam propriam quæ aliter seruari non poterat tueretur. Quòd uerò non necauerit, certißimum est atq; inter reliqua argumenta etiam illud facit, quòd arsenicum coctum nõ amplius est uenenum nec occidit homines. atq; id experimento deprehẽsum est, & alias ut audio à medicis iudicatum.

Tertium quod uxorem. si hoc est per se malum, quare & patri licet, & marito permissum est in adulterio necare filiam & uxorem non tamen alios? Quæ adulterium admittit non amplius est uxor, sed mœcha & morte digna. sustulit omnia iura coniugij, unde etiam separare commertium licet: Et secundum Diuum Ambrosium aliam ducere, licet non secundum præcepta patrum.

Quartũ corrupit promißionibus seruũ. at hoc ser-

uus

nius ngeat. ita omnia incerta aut prorsus falsa sunt. Sicut & illud repetijt, nam negat hoc famulus, ideo cũ de facto non constet confeßio nulla est: at sola uoluntas dicit lex puniri non debet.

Animo deliberato declaratum est supra quomodo intelligi debeat, & quid ille hoc nomine intellexerit. Venio ad constitutionem. dico ibi clarè uoluisse Cæsarem & Senatum intelligere eos qui lucri causa faciunt. nam cum connumeret latrones monetæ adulterinæ fabricatores, tabelliones falsos, certum est non factum, sed causam facti ibi spectari: aliter eos qui dolo & insidijs aut inermes interimerent non latrones connumerasset, nam hi palam occidunt & ui non dolo: sed quia ob lucrum, ideo inter hos connumerantur. Manifestum est enim non minorem debere sapientiam in Iurisconsultis quam medicis aut philosophis: at hi singulis capitibus suam subijciunt materiam, quæ hic est eorum qui ob pecuniam aut lucri spe flagitia admittũt.

Dixi etiam quod cum lex dignitatem excipiat, constitutio specialiter non deroget excipi procul dubio in dignitate positos. Et ut dixi humiliores lex Cornelia bestijs subijcit, quod minus acerbum non est quàm exuri, & tamen digniores solum relegat. Et Senatus non solum potest, sed debet has leges quæ sunt ad bonum publicum conseruare in usu, saltem pro his quos diuturni labores & uirtus nobilitarunt, ut proprie sunt doctores.

Repetit de uxore. iam dixi non amplius esse ueram uxorem quae fassa est adulterium, fateor non minus esse flagitium probam uxorem occidere, quam patrem aut matrem, quamuis parētes occidere lege naturae sit longè horribilius: nec leges culeum instituerunt pro poena in uxoricidis, ut in parentibus. Quod ad leges alias quae adducuntur attinet, existimo esse eatenus ad propositum ut quae in facto adducit. In hoc tamen sapientißimis meis consultoribus me remitto. non enim uolo ponere falcem in messem alienam. unum dixisse sat fuerit si non magis uerax sit in recitandis auauthoritatibus quam in facto, nihili faciendam esse eam allegationem.

Ad id quod uirgo fuerit. Hic consultus, & pater ueritate ductus fatentur, quod nunquam probari poterat capitulū illud uoluntate credo diuina: ut quae probari testibus nunquam poterant, postquam defenduntur ueriora appareant, quam antequam defenderentur. Sancte uero ego iuro, quòd quamuis tot iniurijs lacceßitus, tot damnis affectus nihil intentaße nisi quòd ad salutem filij mei pertineret, multa ex his quae probare potuissem in actis noluisse ut deponerentur, nec odio quamuis dignißimi sint illos persequi, sed iniuriam hanc Deo iusto iudici uindicandam relinquere.

Quòd ego illis non succurrerim falsa dicunt. constat habuisse ex fide publica lib. 500. in primis decem septem mensibus qui sunt reditus omnes mei uigintiseptem

ptem mensium, ita ut nihil reseruauerim nec pro me, nec pro alio filio. Ex quo patet & illud quam sim diues, cui non plus sit in reditibus ducentis uiginti libris quæ non attingunt æstimationem quadraginta aureorum coronatorum: & hic fuit error, hinc dolor, hinc lachrymæ, hac enim uia cum incautum iuuenem irretisset, credebat grandem cœpisse mulum, & macram sardam cœpit: causa aũt quia nõ potuerit uestire filius meus eam, ut uera fatear credo, quod fuerit partim defectu ipsius qui adeò simplex erat & tanta nugabatur ut non multum posset lucrari. Et soceri uita prodiga (ut modesto utar nomine) quem palam est & lucra & patrimonium, quod ut audio satis honestũ erat & multò plus decoxisse. Et socrus & sororij filium illum meum miserum nihil negare scientem usque ad ossa erodebant. Oh dicetis parum erat hoc? fateor: sed illud parum pauperi parum lucranti, magna cum familia uiuenti maximum fuit.

De suspicione & coniectura tam pulchra conscientiæ meæ. certe facietis bene, si hunc bellum cõiectorem iudicem criminum, aut fisci procuratorem constituatis. Videte quam pulchra coniectura satagit me conscium esse huius culpæ (reliquit hoc anno tantum urbem hanc cum tanto lucro, ut Papiam concederet minore cum lucro? quasi meum esset ire cum uellẽ Papiam? & & quasi non satis honesta sit, ut ita dicam, mox reuocanti munus conditio recipere primo loco sub maxi-

mo inter multa secula & optimo Rege 600 coronatos aureos licet mutilos, & deserere laborem hunc pedarium imò uelitarium. sed audite ut filium insultum permitteret, qui uxorem suam arsenico per puerũ dato necaret? Sed ut uera fatear, credo potius has esse ampulas D. Euangelistæ irati quàm sui consultoris coniecturas. fuisset enim admodum rudis.

Dicit me crudelem: sum si odium scelerum est crudelitatis non seueritatis opus. Dicit inter epulas præcidisse auriculã alteri filio. Ebrietatis ergo potius quàm crudelitatis esset argumentum. odi non solum malos, sed etiam qui uiam eã ingrediuntur ut mali euadant. Et ideo maiorem filium odio haberem, nisi intelligerẽ uel ex legibus ipsis non flagitium admisisse, sed iustæ uindictæ modum excessisse.

Quod dicit confeßionem adulterij & suppositorũ filiorum in ira esse factam absurdum est, nam in ira obijciuntur aliena crimina non propria. sed hoc fuit ex magnitudine & multitudine peccatorum urgente diuina prouidentia, cum hunc miserum iuuenem tot modis pessundassent.

Quod ad reliqua attinet, adeò sunt insulsa, falsa, enormia atq; etiam reprobata in defensione, ut semetipsum & suum clientem cõfodiat his suis commẽtis egregijs. Solum restat de collegio. ipse adducit incerta, nos certa nouimus. Nam sub conditione peracta sunt. ideo quare non in actis hoc perduxit, sed extra iudicium? quia intelle-

intellexerat. D. Euangelista consultorq; eius potius ob futuram suæ causæ hanc collegij sanctionem quàm pro futuram. Sed decuit Cæsaris uxorem non solum culpa, sed omni culpæ suspitione uacare. Ergo ex LXIIII. causis quibus pœnæ mitigandæ sint, cum constet ex Tiraquello XX inesse filio meo scilicet primam, VI. IX. XI. XVI. XVII. XVIII. XXIIII. XXX. XXXI. XXXII. XXXVI. XLI. XLIII. XLVIII. XLIX. tit. 1. LI. LVII. LXI. LXIIII. Et quælibet causa mitigandi mortem aufferat. nam omnis mors, ut Seneca ait, æqualis est, liquet omnibus his simul iunctus debere plenè absolui.

Animaduertite etiam patres conscripti, quòd nullo modo potestis iustè damnare filium meum morte, nec triremibus etiamsi decuplo magis peccasset, quia in utroq; magis me insontem quam filium meum punitis. De morte patet, quia Plutarchus & Seneca in libris de Consolatione in morte filij declarant apertè longè maius malum esse in morte filij ipsi patri superstiti, qui remanet in perpetuò luctu, quam ipsi filio quem mors simul tam à malis quam à bonis eximit. De triremibus est sola impensa maior mihi immerenti: quanto satius ergo est (si modo animus est illum castigare, & ius uos cogat) illum mittere in exilium, ubi mille incommodis torqueatur. ego qui immerens sum penè nullo: atq; ita lancem rectè æquabitis, ipse peccauit luat pœnas: ego innocens non puniar.

Scio nihil hic obstare nisi quòd dicetis, ergo omnium filiorum scelera hoc modo remanebant impunita? Respondeo quod ubi talis causa adsit criminis, ut & si uobis non uideatur iniustè plecti, patri tamen probo uiro & qui non exemplo illum corruperit, & prauitate uitæ condonandos patribus tales filios ut ipsi (non patres magis filijs castigentur exilijs. aut si non placet (liceat mihi ob necessitatem sine suspitione uanitatis) dicerem eorum saltem filij qui lege ad bestias à mortis supplicio excipiuntur. Hoc solum fundamentum si rectè consideraueritis facit, ut nullo modo iustè (ignoscite mihi fortiter pro filij salute loquenti) possitis filiū meum me uiuente etiam, longè si maius flagitium admisisset occidere. nam sontem uirum præcipuum si peccauerit punire uobis licet & Principi liberare, at me insontem in filio si clarus essem, nec uobis, nec principi (cum uenia rursus dictum sit ob imminens periculum & doloris magnitudinem) affligere non liceret; at quanto minus humaniter uobis agentibus? de me autem & principi & uobis æstimatio relinquitur.

Dico igitur quod cum quinque hæ causæ concurrerint, scilicet ut non sit crimen læsæ maiestatis, nec factum sine causa, quæ patri iusta tametsi legibus non adeò iusta uideatur, nec pater criminis conscius fuerit, nec exemplo suo filium ad talia induxerit, aut ob auaritiam necessitate ad id compulerit: pater uerò publicæ utilitati consulat, patre uiuente iniustè agi si filius morte ple-

te plectatur, cum plus puniatur pater quam filius. an uerò horum quicquam desit in hoc casu, & an hæc uera sint, uos qui sapientissimi estis considerate.

IOAN BAPTISTAE CARDANI MEDICI, DE NON EDENdis cibis fætidis, à medico ad Hieronymum Cardanum Medicum Mediolanensem.



Ontradicebas mihi heri in cœna dicenti Galenum cauisse, ne medicus fœtidis ullis cibis, prout sunt allia & cœpe uteretur. existimabam te ioco dixisse, nec quicquam te suterfugere, quoniam tamen constanter negabat hoc apud Galenum uidisse, mitto uerba illius ex quarto in sextum Epidemiorum commento nono iuxta finem, sunt autem hæc: Porrò totius corporis odor & oris præcipuè fit, cum medici nihil errare se putant, si cœpas & allium redolentes ægros inuisant. Quinto sanè conterraneo nostro Rom. medenti id cõtigit. à prandio diuitẽ quendã ac præpotentẽ hominẽ uini odorem uehementer spirans uisitauit: æger itaq; cum capitis dolore febrim magnam habens, atq; ideò uini odorem exhalantem ægrè ferens. Quintũ ut longius aliquãto recederet orauit, quoniã uinũ immoderatius redolẽs ipsum cõtristaret. Et hæc quidẽ ægrotus

modestè admodũ dicere uidebatur. Quintus ipsi stolidius respondens, odorem ut æquo animo ferret, præcepit, nam & se quoque ægrotum ex febri malè olentem sustinere dicebat. Multum aũt interesse febrim ne an uinũ quis redoleret. Inde subiũgit duos alios quibus alæ fœtebãt & os ipsum. Quãobrẽ palã est, tũ ob hoc tum ob malũ alimentũ non expedire medico, ut cœpas aut allea comedat. Galen. enim 2. de alimentis cap. ultimo dicit, abstinendũ esse ab aßiduo usu ciborũ acriũ, præcipuè si natura homines qui edunt fuerint biliosi. Et quãuis ibi uideatur laudare hos cibos, laudat tamẽ ut medicamẽta. Et quãuis excellẽtia tua dicat quod utitur his cibis absq; dãno, dico quòd tamẽ corriperis podagra sæpius, & si non tã sæpe id accidit propter abstinentiã cibi in prandio. Propterea isti cibi uel sumi debent per se, & sic parũ nutriũt. & Hippocrates dicit: quòd cibaria quæ parũ nutriũt, abbreuiãt uitã sextam Epidemiorũ. Et si sumãtur cũ carnibus corrũpent cõcoctionẽ, tùm ob uarietatẽ, tùm ob contrarietatẽ naturæ: tùm ob diuersitatẽ temporis, coctionis, nam omnes radices tardè concoquuntur. Et Galenus 2. de facultatibus naturalibus cap. 9. dicit, quod lactuca tardius coquitur & conuertitur in sanguinẽ quam caro. Præterea cœpæ nocent intellectui, faciunt subet, ut Auicẽna docet. Subet uerò seu lethargia ut in alia litera est, timẽda senibus, & obscuritas intellectus, præsertim tibi qui scribis non est utilis. Præterea allia faciunt dolorẽ

capitis

capitis. Et similiter hi cibi damnantur ab Auerroe in quinto collectaneorū. Præterea tales cibi sunt calidi in tertio: tales aūt cibi inflammant iecur & adurunt sanguinem. Aristoteles etiam dicit, quod allia tabefaciunt corpus. Est etiam aliud quod ualde est indecorum medi co edere allia & cœpas, qui dat regulā alijs, & est quasi contemnere medicinam. Et etiam quia uidetur apud populum, quòd fiat auaritiæ causa. Est autem auaritia non cōueniens homini ciuili, ut Cic. ait in libris de officijs. Neq; sufficit ut edas allea & cœpas, sed edis radiculas seu raphanos, qui & genere suo sunt difficilis coctionis & mali alimenti. Et specialiter nocent uentriculo et mouent eructationes. Edis cichorium, quod in uentriculo uix unquam concoquitur, & est pauci alimenti & multorum excrementorum. Nihilominus forsan te mouēt causæ quos ego ignoro. Sed certè in casu de cœpis oritur apud me magna difficultis, cuius causa uellem iudiciū tuum. nam Rasis tertio ad Almansorē in capite de oleribus dicit, cœpas calidas & siccas medicinas quarti gradus. Et tamen dicit quod est calida et humida, & Auerroes ponit calidā cum substantia crassa. Et Auicenna & Galenus dicunt quod generat alimentum pituitosum. quæro ergo quomodo esse poßit quòd sit calida & sicca, & generet alimentū frigidū & humidū, dicit enim quod generat alimentū pituitosum. itē dicit quod est crassæ substātiæ. Si ergo generat pituitam, ergo generat alimentū frigidum & humidū.

itē si est calida & sicca, nō potest esse crassæ substātiæ. Hildegaris mulier dixit, quod nō erat calida, sed acris & humida: & hoc probat ex effectu. et etiā quia dicit nutritur ex rore cœli sub aurora, quia illo augētur & luxuriāt. Rinaldus de Villanoua in li. de Simplicib. et si ponat cœpas calidas & siccas in 4. gradu, ponit tamē etiā calidas et humidas in 3. gradu, et adijcit secundum aliquos. Sed magna mihi uidetur differentia inter siccū in 4. gradu et humidū in 3. gradu. Est etiā magna ratio quia ponitur medicina caustica ideò nō humida. nā caustica urūt & quæ urunt sunt etiā sicca. Et si quis refugiat ad id de duab. substantijs, ut Galen. refert de caule & lentibus. Ego nō uideo quomodo esse poßit. nam de caliditate admitto, sed de humido et sicco quomodo poterit esse sicca si substantia crassa & humida excedit substantiā calidā & siccam? Forsan dicendum esset, quod substātia calida & sicca est copiosior & maior calida et humida, sed tamē substātia quæ nutrit sit tota calida & humida & crassa. & hoc mihi nō displicet, quia quod debet nutrire secundū dicta tua in libris de subtilitate est humidū. Sed tamē inueniūtur cibi calidi et sicci, ut mel. Forsan dicendū esset quòd nullus sit cib. calidus et siccus, sed substātia quæ nutrit sit tota calida et humida, licet sit cōiūcta ei substātia sicca, sed illa nō nutrit: uerū mel cum parū nutriat, quia calidū et siccū ergo deberet facere multa excrementa, quia mel multum ponderat, & plus quā aqua, uel uinū, uel olera. et

authores

authores cum ponunt mensuras, ponunt quod pondus mellis sit maius. Et ideo dici posset, quod esset sicut de uino & aqua quae parum nutriunt, pauca tamē reddunt excrementa, intelligendo per excrementa mām duram quae gignit feces. sic mel cum liquescat sit humidum & tenue, ita etiam in corpore humano, & ideo parum nutrit & residuum transit in urinam, & excrementa liquida. Sed uinum non uidetur esse siccum, nec etiam parum nutrire, quia dicit Hippocrates quod facilius est impleri potu quam cibo. ergo uidetur multum nutrire. Et etiam quia dicunt, quod coepae coctae plus nutriunt quam crudae, si ergo in coquendo extrahitur humidum illud quod nutrit, quomodo possunt magis nutrire? Dicunt enim quod caro assata magis nutrit elixa, quia humidum quod nutrire debet in elixatione extrahitur? Et ideo haec uidentur apud me facere difficultatem. forsan posset dici quod pars caepe quae nutrit ante coctionem sit durior, sed cocta reddatur melior. attamen patet quod post coctionem caepa redditur frigidior, tum ob admixtionem aquae, tum ob humidum aëre quod extrahitur.

Dicerem ego quod caepa cocta magis nutrit, quia est dulcior & suauior: homo autem nutritur à dulci ideò ob id magis nutrit caepa cocta quam cruda. Et si praeparentur modo Rasis uidentur caepae esse melioris alimenti: dicit enim lauentur caepae cum aqua & sale, inde dicit, cum aceto acri. Et patet quòd ista

lotio debet fieri cum aqua calida non frigida. quia aqua calida magis aperit poros cœpæ & facit exhalare acuitatem, & magis ingreditur uis salis & aceti & ideo redditur suauior, & ex consequenti melioris alimenti. quæ enim grata sunt uentriculo, sunt etiam melioris alimenti. In ista ergo lotione non uideo utilitatem magnam, sed audire uellem ab excellentia tua, & uellem etiam intelligere, quomodo sal conueniat cœpis. nam exsiccat & calefacit, uritq;. Forsan quod siccat humidũ illud acre & ita minus mordet, & hoc experimento respondet. acetum etiam extinguit feruorẽ illum & dissecat substantiam illam lentam, ut minus adhæreat atq; ita minus urat. Multa tamen & mirifica tribuuntur huiusmodi rebus tam fœdis, uelut quod cœpe remoueat corruptionem aquarum, ac resistat pestilentiæ. Porrum curet carbunculum in uentriculo, et aperiat sanguinem hæmorrhoidarum. Multum facit qualitas una & maximè caliditas una, & maximè caliditas ad resistendum corruptioni, dum quæ corrumpuntur & putrescunt ab alieno calore superantur. at quæ calorem proprium habent, aut magnum aut efficacem cum difficulter uincantur, ideo non putrescunt. magnum tamen est quod propriè cœpæ resistant corruptioni aquarum, nisi esset ob causam dictam. Certũ est quod nõ uidi cœpas, nec allea quãuis putrefacta gignere uermes. an ergo quoniã nõ perfectè putrescãt, et si nõ perfectè putrescãt, cur id nõ fiat quærendũ est. Et

cum

cũ nõ putrescãt, cur tamẽ feteãt admodũ, cũ multa sint quæ putrescãt & nõ fœtẽt, ut poma & cerasa, quæ etiã generãt uermes? Etenim cum malus odor, ut Auerroes uult, fiat ex proprio calore superato, quæ maximè fœtẽt ut stercus & urina et carnes corrupta sunt, et putrida & ideo inde generãtur uermes. at cœpæ non generãt uermes, ideò nõ perfectè putrescere debẽt, quare nõ deberẽt admodũ fœtere ut faciũt. Quinetiã illud mirũ quòd cũ edũtur & extra nõ fœtẽt, neq; enim homines adeo talia tam libẽter ederẽt, spiritus tamẽ eorũ qui ederint nobis adeo fœtere uidetur. Sed si fœtent, quomodo resistunt putredini aquæ, & pesti? Zinziber enim quum corrumpatur & exedatur carie manifeste, bene tamen semper olet, & tamen non generat uermes. At cœpæ & allea nunquã eò perueniunt ut exedãtur à carie, et tamẽ ante hoc male olent. Zinziber tamẽ nũquam uidi concepisse uermes, et tamen concipit cariẽ an ergo aliqua caries sine uerme? Cœpæ etiam exterius exurit corpus & intus uincitur à calore, & tamen exterius non adeo fœtet ut intus sumpta. Videtur etiã mirum de scilla, quæ tam parũ differt ab ipsa cœpa qualitate. neq; enim uidetur posse esse multa calidior illa, cũ sit calida in quarto ordine, & est similis illi & tamen scilla adeo salutaris est, & tot conuenit morbis quorum nulli conuenit cœpæ. Imò quod plus est, scilla cum melle facit illud medicamentum nobile contra comitialem morbum, qui solet creari ex esu cœparum.

Et me-

Et medici prohibent esum cæparum & taliũ patien tib. huiusmodi morbos? Et ego credo quòd omnia hæc eueniant ex humido superfluo in cæpa: ideo si quis illã posset siccare haberet utilitates scillæ. Sed mirum est, quòd cum scilla sit siccior, cœpa tamen est maior illa cum deberet esse minor, cum sint eiusdẽ generis & incrementũ fit ab humido, deberet cœpa esse maior scilla? Et mihi uidetur cœpa omnia admiranda continet, nam quæ seritur magna prouenit, & cum modico semine: quæ aũt plantatione prouenit ipsius cæpe, cũ deberet maior euadere & sine semine, euadit parua & cum copioso semine: nihilominus gaudet pingui terra, rubra, leui non coacta. Sed quod senes & quæ iam exhaustæ sunt germinando in domo debeant semine copiosiore abũdare & illud est mirum: & similiter quòd sata luna uacua & à meridie debeat lætius prouenire, & illud est admirabile. Quin & illud quòd melius proueniant in ipsa terræ superficie, quodq; inter herbas bene olentes, & illud est propter rationem, quia simile simili suo gaudere debet. Illud etiã mirũ quod cœpæ crescant luna decrescente, & cum uacua est: & decrescant cum est plena. & rursus infusæ aqua, inde siccatæ cum magis corrumpi deberent, melius seruantur. Vnum est quod si infundantur in aqua diuisæ, permutando aquã inde aceto lauentur odorem non adeo reddunt grauẽ, & minus olent male, & minus acres candidæ sunt & rotũdæ rubeis & latis. Horum omniũ causas huiusmodi ego


di ego esse reor, quod omne immodicum naturæ et opinionibus aduersatur. ita superfluum illud humidum aëris humido & luminis iunctum impedit, non auget incrementum. Coctæ quoq; cœpæ somnum ob id conciliant, quod calidior & siccior pars dissoluitur ac euanescit. Sed ut ad rem redeam, cum infusæ fuerint in aqua præsertim calida magis siccantur, ideo magis seruãtur.

Hieronymus Cardani pater lectori.

Extat & opus sed inconditum, nec absolutum de fulgure.

Reliquit & quædam fragmenta de cura morborum prodigiosa. Quod credo factum ab illo, quia quosdam curauit, quos nec ego nec alius medicus curare potuerat, atq; inter cæteros unum Hispanum & unam Hispanam, quorum ego nec naturã morbi potui intelligere nec alij medici fuerant pro Hispana tres, sentiebat pũctiones quasdam in toto corpore, sed maximè in bracchijs; nec interquiescebat & ita tabescebat, hanc curauit in 40 diebus cum iam triennio laboraret. multa alia præclara faciebat. Ego autem quæcunq; inuenero, sed maxime librum de Fulgure publicabo. habet enim illustrem meditationem & abditas rationes continet. Vt constet, si superuixisset in maximum uirum euasurum.

FINIS.



BASILEÆ,

PER HENRICHVM PETRI, ANNO SALVTIS M. D. LXI. MENSE AVGVSTO.

